


NAZIONALE
14
20 Q
21

b.

REGINALDI

POLI CARDINALIS BRITANNI

PRO ECCLESIASTICAE VNITATIS DEFENSIONE, *libri quatuor, in quibus conatus est maximo studio Ecclesiæ Romanæ Primatum constabilire, nunc primum in Germania æditi, qui tamen antea in Italia fuerant excusi, sed latitarunt diu & ad paucorum manus perueniebant.*

ADIECTVM EST ETIAM QVORVNDAM ALIORVM GRAVISSIMORVM VIRORUM de Pontificis Romani Primatu iudicium.




I. THESSAL. V.

Omnia probate, quod bonum est tenete.






M. D. LV.



Cat. inscrip Casa

Reginaldi poli card.lis ad Henricum viii regem Angliae.

LIBER PRIMVS.



VID ad te hoc tẽpore ſcribam, aut quid non ſcribam:ne uiuam Princeps, ſi ſcio. ac ne illud quidem ſatis conſtitutum habeo, an omnino ſcribere debeam.ita non modo multa, ſed grauia etiam in omnes partes occurrunt,quę animum ſuſpenſum,& dubium,atque omnis conſilii inopem reddant. Primum enim ut ad te ſcribam, quam poſſum iuſtiorem habere cauſam,q̃ te ita non ſolum uelle, ſed iubere etiam,atq; huiuſmodi mihi ad ſcribendum argumentum proponere,quod maxime cum eo diſciplinę genere coniunctum ſit, in quo ego aliquot iam annos, te fautore meorum ſtudiorum, operam conſumpſi?Hæc ſane iuſtiſſima ſcribendi cauſa uideri poſſet,niſi illa adhuc iuſtior accederet,ꝙ ea res,de qua tu ut ſententiam de ſcripto dicã requiris:ad confeſſionem Chriſti nominis maxime pertinet. Qua in cauſa, ſi ſententiam rogatus,tacerem:non iam officium negligere, ſed pietatem prodere, ſed animi ſalutem abiicere uiderer.qua ſe haud dubie priuant,qui quauis de cauſa,ea quæ ad Chriſti nominis confeſſionem pertinent, loqui reformidant.ita fit,ut ſi me antea officii ratio ad ſcribendum commouebat: ꝙ tu,cui omnia officia debeo, hoc a me peteres:nunc certe adiuncta officio pietas,cogere ac prorſus impellere uideatur.Quid enim contra tantum,tantiq; faciendum excogitari poteſt,quod me non dicam retinere, ſed uel minimum retardare debeat,quo minus quę ipſe tali in cauſa ſentiam, libere dicam,ac quã copioſiſſime literis mãdata explicem?At ex altera parte,multa mihi ſunt impediméto,multa me deterrẽt.ante omnia,ꝙ tu non ueritatis cognoſcendæ ſtudio, hoc mihi argumentum proponis,de poteſtate Pontificis Romani diſputandi, cui adiuncta cauſa eſt tui iſtius noui,& nunc primum uſurpati honoris,quo ſupremi Anglicæ eccleſiæ capitis ius tibi,ac nomé arrogaſti:nec quaſi de rebus in controuerſia poſitis, quid probem,quæris,ut per te liceat quod mihi probabilius uideatur,libere effari,idemq; ſcriptis exponere:ſed utrunq; tanquam decretum aliquod tuum,& ratam ſententiam ponis:cum ſic alteri parti,& ei quidem quæ maxime cum ueritate pugnat,adhæreas, ut qui contra ſentire ſe fateatur, cum tu hoſtis ac proditoris loco habeas,eãdemq; in illum pœnam,quã in ſceleratiſſimum quenq; ſtatuas.Quid ergo?cum tecum ſentire non poſſim, committam ne,ut contra tuam iſtam ſentẽtiam,animi mei ſenſum aperiam,

Rogatus ſententiam in cauſa fidei tacere non debet.

atq; etiam literis commendem: ut me, meo scripto & testimonio reum læsæ maiestatis constituam? & cuius nũc prętor cęteros liberalitate fruor: eius iram in me indignationemq;, nulla spe ullius rei bonæ proposita, incendam? At cuius tandem prudentię, uel cuius potius imprudentiæ id esset? quam aptiori uocabulo
Salustius. historicus ille signauit, cum diceret, frustra fatigando se, nihil præter odium quærere, extremæ esse dementiæ. Quàm autem frustra me fatigarem, si te conarer deducere de sententia, quidnam certius declarare potest, q̃ eorum, qui idẽ, quod ego, sentiebant, nullum aliud ob crimen effusus, sanguis? Qui cum initio odium tuum, offensionemq; propterea suscepissent, quod ueritatis causam deserere noluissent: hoc ad ultimum assecuti uidentur, ut sceleratorũ pœnas homines innocentissimi subirent. Hęc illis merces, hoc pretium operæ accessit. Ita labor tua causa ab iis susceptus, nec tibi usui, & ipsis exitio fuit. Ita illi nõ operam tantum & oleum (quod dici solet) perdiderũt, sed uitam etiam amiserunt. Sed quid ago? possum ne hoc dicere de iis uiris, quorum de uirtute, doctrina, & in Deum pietate, tot & tam clara extent testimonia, nec domi solum, sed iam etiam foris, q̃ longe lateq; nomen Christianum patet, ut multis iam sæculis de nullo nec plura, nec clariora memorentur? potest ne hoc mihi uerbum excidere, ut dicam frustra eos, ecclesiæ causa, laborem suscepisse,
Luc.xxi. sine fructu pro eadem mortem oppetisse? ego ne ut hoc dicã, qui Christi uocem de huiusmodi uiris, toties summa cum animi uoluptate audiuerim, ne pilum quidem ullum de capite eorũ posse in terrã sine Dei prouidentia decidere? ego ne, ut nũc post tot labores & ærumnas Christi causa toleratas, uitam etiam illos temere ac sine fructu profudisse, aut animo sentire, aut lingua proferre possim? Non possum Princeps, non possum. procul a me absit omnis eiusmodi impietas. Impia enim fraude ac scelere me obligarem, si ita dicerem, cum ingratus in Deum essem. Nam quid ingratius esset, quam si cum ipse, Deo & conscientia mea testibus, tãtum fructum ex eorum morte ceperim, quantũ ex multorum annorum studiis, in optimorum auctorum lectione consumptis, cum nihil præter animi fructum quærerem, nunquam colligere potuerim: id nunc dissimularem, ac fructuosam negarem illorum mortem fuisse? præsertim cum minime dubitẽ, plurimos in ecclesia Christi, eandem aut etiam maiorem eadem ex causa utilitatem cepisse. Qualis uero hic fructus sit, nõ deerit, ut spero, hoc ipso in opere explicandi occasio, quæ cum se

obtulerit,

obtulerit,ea utar. Nunc uero (quod dicere institueram) absit a me hęc impietas, ut quorum mortē mihi maximo usui fuisse sentiam: illos ego frustra mortuos esse dicam. Cum igitur impietas absit, tum omnis etiam eiusmodi animi timiditas facessat, ut pro qua causa tales uiri non dubitarunt, corpora sua ad supplicia offerre, cum capita sibi præcidi maluerunt, q̄ ei sententiæ astipulari, quæ a corpore ecclesiæ, caput abscinderet: ea in causa ipse, quem Dei prouidentia longius a periculo summouit, dubitem scripta mittere, quę meam sententiam perferant. Nunquam ergo, Deo ipso duce, dubitabo mittere. ac ne coram quidem, si res ita ferat, eadem testari. Cum enim ad Dei & ecclesiæ gloriā illa pertineant: quicquid inde acciderit, non poterit ꝑfecto non ualde utile & expetendum esse. Scribendum igitur est, neq; ullo modo, tali præsertim in causa, talibusq; ante oculos propositis exemplis, tergiuersandum. Sed nunc quo modo scribam, quo modo te alloquar, & appellem, dubito. Vt enim frugi seruus, ac domini amans, ad eum grauiter ægrotantem accedens, cum ab illo conseruos suos eadem fide, & in ipsum beneuolentia prædi tos, quod illius ualetudinis curam habuissent, morte multatos uideret, dubitaret opinor, quo pacto eum appellaret: & ut medicus si ad ęgrotum accerseretur, a quo ui morbi agitato, alios sciret medicos esse interfectos: cum ante omnia prouidisset, nequa sibi uis ab illo afferri posset, adhuc tamē, credo, sollicitus esset, quo pacto eū appellaret, quo pacto in omni sermone tractaret, ut q̄ minime irritaret, nec sine aliqua dubitatione id faceret: sic ego qui sanctissimos homines, conseruos meos, quasi quosdam animi tui medicos, eādem ob causam, quam ego nunc agere me ditor, uita priuatos uideam, quo pacto sermonis initium tecum instituam, quo pacto persequar, ualde plane hæreo. & quidni hæream? maxime in iis, quę progressu orationis non possunt nō asperius, ita salutis tuæ cura exigente, tractari, cum ne hoc quidem satis habeam exploratum, uel potius cum ualde dubitem, possis; ne uel hæc ipsa quæ adhuc dixi, non dicam æquo animo ferre, sed omnino ferre. Quid enim? poteris ne tu Princeps pati, te nunc ægro animo esse dici, & ita ægro, ut ne communem quidem rationis sensum atq; usum retineas: cū illos necaueris, qui ut uiueres, qui ut sanus esses, laborabant? Quid igitur nūc ago? quod initium te appellādi facio? cum nemo mihi serui beneuoli nomen affectumq; tollere possit, cum nemo, qui quidē me norit, hoc nesciat, me multos iam annos iis literis operā dedisse, quæ

Dubitat quo pacto Regem alloqui debeat.

ægritudines animi cum cognoscendi, tum etiam sanandi ratio-
nem scientiamq; promittunt, cum ipse mihi sim conscius, certissi
ma me signa grauissimi ac perniciosissimi morbi in te uidere. re-
media uero præsentissima habere, si te modo curari patiaris: an
ergo tali tuo tempore, hoc tantum timens, ne aures tuas offendã,
eo uerbo abstineam, quod nisi sæpe audias, sanari nunquam pos
sis? & quid hoc aliud esset, quam tuæ salutis curam semel abiice
re? an hoc serui beneuoli officium, an meum esset, hoc tempore,
cum sententiam a te sum rogatus: de iis tuis factis, quæ ipse to-
tius mali caput esse sciam, reticere? An ergo tuum istum animi
morbum sic dissimulem me scire, ut ne nomẽ quidem profari au-
deam, præsertim cum reliqui omnes, factorum tuorum atrocita-
te commoti, ita de te sentiant, & passim loquantur, ut iam non
ægrotare, sed plane animam egisse dicant, & eo tempore extre-
mum uitæ spiritum efflasse, cum sancti illi uiri a te sunt uita pri
uati. tum enim securim illam, quæ eis uitam eripuisse uideatur,
re aũt uera immortalitatem attulerit, per eorum ceruices actã,
in ipsa animi tui uitalia penetrasse, ac tibi (quod magno cũ do-
lore refero) æternam mortem intulisse, ut a nemine, nisi a solo
Deo, ad uitam reuocari possis. Proinde stulte me facere, qui nũc
humana aliqua remedia afferre coner: nec minus stulte, q̃ si quis,
cum funus ducatur, medicorũ consilia in mortui aureis insusur
ret. hæc quidem alii, qui nõ pauci sunt, imo omnes fere, ad quos
tui illius facinoris, quo nihil iam est per uniuersum christianũ
orbem uulgatius, fama peruenit. Sed quid nunc ego? an illis cre
dam? quid si autem credam? an stultitiæ opinionem timens, me
teneam, quo minus te tanquam adhuc uiuum appellem, qui sæpe
uiderim matres, quarum liberi efferrentur, funus non solum la-
chrimis, sed uoce etiam prosequi, mortuum compellantes, se se
ab illo deseri conquerentes: quibus tamẽ illud non stultitiæ tri
bueretur, etsi insanorum facta imitarentur, alloquentes qui au-
dire non possent; sed pietati potius, & communis humanitatis
sensui concederetur? Quanto ergo iustius hoc meæ in te pietati
concedetur, si te mortuum alloquar, eo præsertim mortis gene-
re, de qua hominis iudicium, certum præsertim, esse non potest,
quæ soli Deo est nota; qui (Deum testor) sic te semper dilexe-
rim, ut nulla unq̃ mater magis unicum filium: sic coluerim, ut
nunquam magis parentem filius: sic deniq; ueneratus sim, ut ne-
mo alterius imperio subditus, magis iustissimum, & clementissi
mum Regem? cuius rei uel maximum argumentum hoc habes,
quod

Regis animus ergo tui.

Authoris erga Regem amor.

quod in tantis, & tam acerbis iniuriis, quantas meo iudicio nemo unquam istius insulæ Rex, patriæ intulit, nemo certe communi omnium nostrum parenti ecclesiæ inflixit, (quæ quidem causæ priuatas sic offensiones superant, ut ne conferri quidē debeant) tamen amorem erga te meum abiicere nō possum. quanto ergo iustius hoc mihi concedi debet, si cum omnes te animo mortuum mihi prædicent: tamē te alloquor, te appello, ea ad aures tuas clamo ac uociferor, quæ ad salutem tuam pertinēt? Nec uero, ut omnes de te desperent, spem ego omnē tuæ salutis abieci. Quid enim scio, an Deus meam uocem sit in uocem filii sui conuersurus, quam etiam mortui audiunt? quid? an nō solet hoc usu uenire? an non hoc sæpe in ecclesia accidisse uidimus, ut qui mortui propter scelera uidebantur, qui ab omnibus erant desperati, qui diu nihilo plus, q̄ mortui, ea quæ ad salutem suam pertinerent, audierant, cum a præstantissimis in medendo uiris plane mortui iudicati, & ab omnibus complorati essent, tamē uno aliquo uerbo, ab indocto quopiam & ignaro omnis eius artis, quę ad sanandos animos ualet, prolato, repente in uitam ex morte reuocarentur? quęnam aūt huius rei causa esse potest, nisi quod illam uocem, Deus uocem filii sui fecit, quam semper mortui audiunt? Cur ergo ipse propterea desperem, ꝙ alios uideā me multo præstantiores, non illos quidem, quod ante negaui, frustra in te curando operam insumpsisse, sed certe quod propositum habuerant, ut te sanarent, non confecisse? equidem nunquam desperabo, nunquam desinam te inclamare. maxime cum habeam communis nostræ matris exēplum, quæ etsi iam te sua e domo, tanquam funestum aliquod cadauer, extulit, adhuc tamen tota lachrimis incumbit, te miserabiliter luget, se queritur abs te relictam, te quantum potest, si non uoce, at lachrimis certe & suspiriis, reuocat. Hæc est ecclesia Princeps, sponsa Christi, & nisi eā reiicis, imo etiam si reiicis, mater adhuc tua. Nam ut maxime tu pietatis in illam sensum exueris, ut matrē minime agnoscas, ut insecteris etiam & impugnes; matris tamen officia ac partes obliuisci non potest, quæ uel nunc, cum intollerabilem abs te iniuriam acceperit: cū te, quo reliquis suis filiis consulat, domo excludere coacta est, adhuc prosequitur, inclamat, quam maxime de tua salute est sollicita. Sed quænam hæc sit iniuria, cur dicam te ecclesiam matrem reiicere, quas tragœdias mouere incipiam, indignabundus hic queres: ac statim dices te, quæ feceris, quæcunq; in rebus ecclesiæ innouaris, ecclesiæ ipsius causa fecis

Io. v.

Mortui in ecclesia excitantur.

se,& eius uoluntatem,quam in sacris literis contineri tibi per-suaseris,authorem tuorum omnium factorum habere.Hic Princeps patientiam tuam,& in audiendo benignitatem imploro,in re omnium maxima,quæ sic ad honorem, & salutem tuam pertinet,ut nulla magis. Agitũ enim, an ea quæ in ecclesia innouasti, cum uoluntate ecclesiæ cõsentiant.quod idem ualet, ut si dicas, an cum Christi uoluntate conueniant,a qua qui dissentit,is a salute sua dissentit:& qui iis pertinacius adhæret, quæ Christi & ecclesiæ uoluntati repugnant,exitiũ sibi ac perniciem conciliat. Quare cum eiusmodi de rebus sit controuersia,si unquam alias, nunc certe benigne & attente auscultare debes.Controuersiam porro huius generis,& quidem magnam esse,quid magis ostendere potest,quam quod multi ob hãc ipsam causam mortẽ obierint,quos nemo dicere potest,non & sapientia,& uirtute, in primis præstitisse,quos omnes constat, si tibi assentiri uoluissent, in uita manere potuisse?ex quo illud opinor intelligitur, in magna dissensione positam esse hanc quæstionem. Quo magis oẽs & amici,& inimici etiam,siqui forte existant,qui locum sibi hac in causa ad dicẽdum postulent,benigne ac patienter sunt audiẽdi,nulli reiiciẽdi, ut tandẽ omnibus omniũ dictis ac sententiis diligẽter perpensis,ueritatẽ causæ, tantę præsertim,facilius perspicere possis.Quod siquem omnino libẽter audires,nemini certe iustius quam mihi tuam istam operam dederis: non quo ego ulla ex parte sim cum illis uiris conferẽdus, qui plurimi eadem in causa a te rogati,ante me sentẽtias dixerũt: sed quod siquid in literis possum, cum me audies, alumnum tuum audies: cum quid in literis profeci, siquid modo in iis ꝓfeci, quarum causa, quasi cuiusdam pretiosissimę mercis,prouincias multas adii,magnam etiam ætatis partem peregre consumpsi:quoscunq; igitur ex literarum studiis fructus percepi,eos omnes tibi tuo iure sumere ac uendicare possis,ut liberalitate tua partos, qui me unũ ex omni nobilitate Anglica in literis educãdum statim a puero curaueris. Cum porro omnes sua libenter & uidere soleant, & amplecti,tum illud certe uereri non debes, ne tibi imponere, ne tibi falsa pro ueris,sciens ac prudens,persuadere uelim.Tanta enim sceleris atrocitas,tã immane & tam impium facinus illud foret,ut ne tenuissima quidem eius suspicio constitui in me, atq; hærere possit.Non solum enim Regem,& Principem,perniciosa sententia fallerem,quod ipsum per se grauissimum esset,& tale plane,ut si fontem publicum, unde omnes haurirent,morti-

Regis alumnus in primis a Rege audiendus.

fero

fero aliquo ueneno inficerem (neque enim potest Princeps sine Reip. damno falli) sed quod multo etiā grauius foret, illis ipsis fructibus, quos ex Principis liberalitate cepissem, quibus ipse salutem meā deberem, Principi perniciem inferrem, ut iam nec proditoris nomen tanto sceleri satis esse posset, neq; aliud exco gitari, quod atrocitati criminis respōderet. Quare securus Prin ceps de uoluntate mea, alumnum nunc tuum audi, in quo auscul tando, si eo usq; perseueraris, dum finem dicendi fecero, iam ti- bi polliceor, (scio enim cuius sententia nixus, loquor,) de ueri tate, & ipsa etiam salute tua, quæ in hac contētione opinionum magno in periculo uersat, certum te, & omni dubitatione pror- sus liberum fore. Nunc uero id primum excutiam, quod modo dixi, & quod totam hanc causam continet, quod negas te eccle- siam iniuria affecisse. Exponam autem de qua iniuria loquar, ut omnia sint clara, & cursu suo feratur oratio. Dico igitur, di- co hanc abs te iniuriam ecclesiæ inferri, qua haud scio an maior potuerit, quod suum illi caput in terris aufers, cum Pontificem Romanum unicum in terris ecclesiæ caput, & Christi Vicarium negas. Alteram uero quæ hanc consequitur, ꝙ supremi ecclesiæ Anglicanæ capitis locum, tibi uendicas. Dico autem hanc iniu riam ex priori consequi, ꝙ tu ut hanc faceres, priorem intu- listi. Vt enim te supremū caput ecclesiæ in Regno tuo cōstitue res, negasti unum in uniuersa ecclesia caput esse. isto quidē mo do, altera res, alteram consequitur. Nam aliter non sequitur. Neq; enim si Pontifex Romanus in ecclesia caput non sit, conti nuo efficitur, Reges in suis regnis capita ecclesiarum esse. Sed de hoc post uiderimus. Nunc illud consideremus, sit ne hæc in- iuria, ab ecclesiæ gubernatione unū eius caput remouere: quod multis iam sęculis omnium consensu Pontifex Romanus fuit, quod tu solus ex tā multis Christiani nominis Regibus negas. Sed fortasse in tam amplo corpore, cuius magnitudo sensum ef fugiat, quale est ecclesiæ, haud ita facile conspici potest, qualis sit hæc iniuria. Spectemus ergo illam in alio corpore, cuius par tes, & magnitudo magis se sensui nostro offerant, quo facilius ipsam comprehēdere possimus, fac te in ciuitate quapiam ean- dem mutationem cœpisse inducere, quam in ecclesia exorsus es, ut statum eius mutares: ut quæ a multitudine gubernaretur, eā ad unius potestatem redigere uelles: parua ne hæc in ciuitatem iniuria esset? an ulla potest esse maior? Cōsule historias omniū ciuitatum, & inuenies nullam unquam iniuriam grauius tulisse

Quātam iniuriam ecclesiæ faciat, qui illi vnum in terris caput aufert.

ciuitates eas, quæ populi imperio constarent, q̃ cum sub unius potestatem redigerent. Quàm multa inde, & quanta bella, quot seditiones hac una ex causa sunt ortæ, dum & populi hanc iniuriam ulcisci parant: & qui intulerunt, tueri conantur? Age uero, eandem fac consideres in Regno. Qui sub regibus uiuere solēt, cum ad multorum gubernationem ui traducunt, q̃ ęgre ferunt? q̃ grauem iniuriam ducūt? & sane ita est. nulla ullius status mutatio, sine magna iniuria, magna perturbatione Reip. esse pōt. ꝙ si omnis status mutatio, iniuriam ac periculum habet, quanto maior iniuria, quanto grauius periculum, cum ab optimo statu, ad deteriorem fit conuersio? quo e genere iniuria est, quam tu nunc ecclesiæ intulisti. cuius status cum sit, & is quidem multis iam sæculis cōfirmatus, ut ab uno gubernetur, qui status omnium iudicio, quicunq; unquam de hominum cœtibus, quas ciuitates uocant, constituendis, scripserūt, semper est iudicatus optimus. Ab hoc ergo statu tu nunc eam abstrahere paras, & multa capita in ecclesia constituere. nū hæc parua iniuria est? At enim in ecclesiæ beneficium hoc facis. Pontifices enim mali. At si quotiescunq; capita mala essent, statum mutare oporteret, quod regnum iam staret? in quanta confusione humanum genus uiueret? quando ullus status stabilis esset? cum de nulla fere prouincia, quæ Regum imperio subesset, legi adhuc possit, treis perpetua serie Reges bonos fuisse; atq; adeo uix patri filium successisse, quin continuo miremur, si pater bonus fuerit, non degenerasse ab eius moribus filiū, siquidem diu regnarit. Vt ergo nec ciuitati, nec regno utile, propter unius prauam gubernationem, statum mutare, ita multo minus hoc ecclesiæ est utile, multo minus licet, multo magis contra ius fasq; est, ecclesiæ statum mutari, qui non ab hominibus, sed a Deo est constitutus. Verum hoc adhuc mihi tecum non conuenit. sed post, ut spero, planum faciemus. nunc ut maxime ab hominibus hunc in ecclesia statū constet esse comparatum, tamē qui eum soluat, sua præsertim unius authoritate, quemadmodum tu nunc facis, qui nunquā eius constituendi author fuisti, maxima cum iniuria ecclesiam afficere, omnibus, qui aliquo iudicio sint, est manifestum: & illud pariter est clarum, non te ecclesiæ commodum, sed tuam tantum utilitatem spectasse. Quid enim? an non tuam uoluntatē satis prodis? cum reiecto totius ecclesiæ capite, ipsam tanq̃ agrum ex hostibus captum, tanquam prędam ex aliquo bello, quod tu omnium nomine imperator confeceris, inter reges diuidis, & eius partis quæ

Status mutatio perturbat Remp.

Monarchia, status optimus.

In mutando statu Rex suum, non ecclesiæ commodum spectauit.

quæ tuo regno adiuncta est, te ipsum supremum caput constitu is, ac quasi omnium dominus, in ecclesiæ bona impetum facis: statuis, mutas, ordinas in ecclesiæ rebus, quicquid tibi libet. & cum omnes ante te Reges, quicunq; Christi fidem sunt professi, leges ab ecclesia acceperint, quibus libenter paruerint, tu leges imponis ecclesiæ, quibus ecclesiæ ministros ingratis parere co gas. An hic opus est argumentis, ut huius facti iniquitas osten datur? nõne satis est id afferre, quod modo dixi, te tibi hoc uen dicare, quod nemo adhuc Rex in ecclesia tentandum esse iudica uit? An defuerũt ecclesię Reges, qui honoris essent cupidi? uti nam non nimis multi fuissent. An defuerunt qui suum commo dum, suam utilitatem spectarent? & huius etiam generis nimis multi. Quid ergo causæ fuit, cum hic maximus esset honos, si Rex supremum caput ecclesiæ cõstitueretur, cum maxima ex eo utilitas ostenderetur, ut nemo unquam Rex, neq; tam ambitio sus, nec tam auarus inuentus sit, qui hoc nomen supremi capitis ecclesiæ sibi sumere, aut etiam ambire auderet? Quid aliud, nisi summa rei absurditas, quæ statim illos deterrebat, ut quæ ne mi nimam quidem iustitiæ speciem haberet, ac ne habere quidem posset? Ita certe est, quicunq; non aperte se Tyrannos profiten tur, etiam si iniuste quid appetant, tamen speciem recti quærũt. Hũc igitur honoris titulum, cum ne speciem quidem ullam re cti haberet, nemo inuasit. Sed tu quidẽ speciẽ inuenisti, & eam, ut tibi persuades, egregiam, qui hunc honorem scripturæ autho ritate Regibus deferri affirmas. sed quid Princeps? eorum ne qui ante te Principes fuerunt, nemo unquam, uel tam attentus, uel tam intelligẽs scripturarum fuit, ut quæ uerba tã perspicue ad suum maximum honorem pertinerẽt, aut non aduerteret, aut non caperet? Sed fac Princeps omneis ignaros scripturarũ fuis se. fac te plus reliquis omnibus, qui ante te fuerint, in sacris lite ris scire: An nulli illis erant adulatores, quẽadmodum tibi nunc plures adsunt, qui hoc in scriptutis inueniri admonerent? Quid quæso Princeps causæ est, ut cum tot Reges post Christi fidem receptam numerentur, in quibus multos honoris, plureis lucri cupidos fuisse constet, nemo tamen sit adhuc inuentus, qui uel ipse hũc honoris titulum inueniret, uel adulatorem haberet, qui de eo admonere auderet? Quid causę, ut nemo unquã adulator, tam proiecta audacia, & impudentia fuerit, cui ueniret in men tem, cum uideret Principes nouos honorum titulos sibi undiq; uenari, & totas interdum paginas, id genus nominibus implere,

Ante Hẽricũ .viii. nullus Rex se caput ecclesiæ constituit.

Adulatores nimi nõ excogitant, quo Prin cipibus gratificẽtur.

hoc supremi in ecclesia capitis nomen tam honorificum, tam fructuosum, principi suo obiiceret? cum præsertim uideamus tam esse sagaces adulatores, ut nihil sit ita abditum, ita penitus abstrusum, quod ad gratificandum pertineat, quo non illi quasi quodã cogitationis odore perueniãt? Quid hic dicemus? utrum oculatiores te adulatores habere, an impudentiores omnibus, qui unquam fuerunt, regibus? Ita est plane, nam ne ueri quidem simile est, in tot annorum spatio, in quo tam multi fuerũt & Principes qui cuperent, & adulatores quasi canes qui odorarentur, tam amplum atq; augustum, tam utile etiam & quæstuosum honoris nomen, si ullam iusti speciem haberet, cæteros omnes latere, tuis solis adulatoribus patere potuisse. Itaq; non tu omnium sagacissimos, sed certe omnium impudentissimos, & ad audẽdum paratissimos assentatores nactus es. Age uero, ueteres mittamus. fingamus te omnium primum rem nouam in scripturis inuenisse, quę omnibus omnium superiorum ętatum Principibus, atq; priuatis fuerit incognita. Quid est quod ex his qui hodie uiuunt Principibus, qui a te nunc de tuo hoc tam præclaro inuento sunt admoniti, quod tantopere ad ipsorum honorem simul & commodum pertineat, nemo rem approbat, nemo exemplum imitatur? quod nemo neq; amicus, neq; inimicus tibi inter tot Principes inuenitur, qui indicatum abs te hunc honoris titulum arripiat? cuius certe nemo non maxime cupidus esset, si uel iure sibi deferri, uel recte a se suscipi posse arbitraret? An non uides Christianissimũ Regem tibi cæteris in rebus coniunctissimum, in hac una maxime a te dissentire, neque ullo modo adduci posse, ut aut ipse sibi hunc honorem sumat, aut te iure eundem sumpsisse iudicet? etsi tu non te sumpsisse, sed de concilii sententia tibi delatum recepisse dicis. An non aduertis, Carolum Cæsarem, ipsum quidem religionis maxime studiosum, ab hoc tuo honore ita abhorrere, ut te omni honore priuandum hoc uno nomine censeat? hoc idem cæteri Principes Christiani existimãt, quorum nemo hac in causa tibi fauet, aduersantur omnes, neminem prorsus qui te imitetur habes. Sed si hic tandem ecclesiæ status sit, ut per plura capita regatur, horum autem capitum locum Reges teneant, quam quæso eam facis, cuius spiritu regi, si tot sæculis statum suum ignorauit? si nesciuit utrum ne ab uno an a pluribus regi deberet? si plus homines, cum adhuc in tenebris uersarẽtur, de statu uniuersi cognouisse facis, quam ecclesiam noua de cælo luce illustratam, post tot secula, de suo? hoc enim certe Philosophi, etsi humana

Nullus Rex Henrici. viii. factum probat, nedum imitatur.

Ecclesia, quæ Dei spiritu regitur, statum suum tot sæculis ignorare non potuit.

humana ratione tum maxime obtenebrata, cum ubiq; fere plureis deos colerent, tamen hoc cognouerunt, non a pluribus mundum, sed ab uno regi. Ergo hoc Philosophi de statu uniuersi uiderunt: ecclesia de suo ipsius non uidit? An ne nunc quidem intelligis, quanta tu iniuria ecclesiam, imo Christum ipsum afficias, quæ cum spiritu Christi haud dubie docta sit, eã uelis tot seculis ignorasse, utrum ab uno, an a pluribus regeretur? utrum a Regibus, an a Sacerdotibus? quanta hæc, prò Deum immortalem, contumelia in sponsam Christi? quãta in ipsum Christum? Verum huius generis rationes parũ apud te ualere scio, & parui te momenti eas ducere, q sic nude sine testimonio scripturarum proponãtur. Qui enim acta tua impugnare uelit, inde oportet rationes ducat, (ut ab iis admoneor, qui me tuo mandato ad scribendum inuitarunt) unde tu fundamenta omnium tuarum actionum petieris, idest a sacris scripturis. earum enim te authoritate niti dicunt, non argumẽtis ab humana ratione ductis, nec exemplis hominum qui ante fuerint. Eos enim & falli sæpe, & fallere etiam posse, qui uero scripturis nitantur, eos errare non posse, ut quæ uera ac certa sint regula, ad quam nostra omnia dicta ac facta exigi debeãt. has te omnium tuorum factorũ quasi normam habere. Et recte quidem Princeps hoc dicitur, eum qui sacram scripturam suorum omnium factorum tãquam regulam habeat, errare non posse. si modo qui ita loquitur, illa etiam addat, cum scriptura & uerbis constet, & sententiis, non sic sequendam esse scripturam, ut sensa ipsa negligentes, uerba tantum, & ea quidem, quæ prima facie ad libidinem nostram trahi possint, consectemur, quæ nos, quoties nobis uisum fuerit, quasi plumbeam quandam regulã, ad omnia torqueamus. hoc enim modo nulli perniciosius errant, quàm qui scripturas sequi se profitentur. hinc omnes quicunq; unquam in ecclesia hæretici fuerunt, occasionem erroris ceperunt, dum uerba tantum scripturarum persequentes, sensa ipsa uel negligerent, uel ad arbitrium suum torquendo deprauarẽt. Cuius te Princeps in primis putarem admonendum, in hac tua causa, qui scripturę authoritate, te niti dicis, supremi capitis ecclesiæ nomen tibi uendicans, ut non uerba tantum, siqua tuæ sententię prima statim facie consonare uiderent, attenderes; sed magis in sensum penetrares: Ita inquam te admonendum putarem, si ullum uerbum in omnibus libris sacris inuenirem, quod tale aliquid, uel minus aduertẽti, significare, aut innuere uideretur, sed plane nullum inuenio, quin iam audeo affir

Non sunt consectanda scripturæ verba solũ neglecto sensu.

Ne verba quidem scripturæ cám Regis admittunt.

mare, non modo non illud a scripturis sacris, siquis eas recte intelligat, tribui regibus, ut capita ecclesiarum constituantur: sed ne uerbum quidem in scriptura ullum inueniri, quod uel leuiter id innuere uideatur; cum tamen perditissimis etiam hæreticis, in falsissimis dogmatibus defendendis, deesse multa non soleant. sed tibi in hac causa, quam esse uis optimam, non solum sensus scripturarum repugnãt; sed ne uerba quidem ulla sunt, quæ quo quo modo suffragari posse uideatur. nisi forte ea uerba, quæ Richardus Sãpson tuæ causę patronus, affert in suo libello ad hoc scripto, hãc supremi capitis authoritatem significare tibi uidentur: cum citat ex epistola Petri, Regem honorificate: Quod si tibi ita uidetur, duobus hisce uerbis talem authoritatem, qualem nunc tibi uẽdicas, declarari, primum quidem exteriorem uerborum faciem nihil tale significare omnibus constat. hic enim non capitis nomen, nec supremi, nec infimi, non ecclesiæ mentio ulla auditur. Quod si hæc authoritas in sensu illorum uerborum latet, iam sententia Petri eo in loco est excutienda. Iam cum Sampsone est confligendum, qui ex iis uerbis illam Regum authoritatem elici contendit. atq; hũc quidem congressum, ita nunc nõ possum recusare, ut si tergiuersarer, nemo me magis accusandus & reprehendendus uideretur. & tamẽ nescio quo pacto inuitus in hanc arenam descendo. sed cur recusem? cur non summa alacritate pro ea sentẽtia, quam esse uerissimam certo scio, ad omnẽ contentionem me offero? An aduersarii doctrinæ uim ac magnitudinem timeo? nihil equidem minus. Quid ergo est? quid me a contentione retinet? quid suspicor? quid reformido? dicam aperte Princeps, etsi fortasse non tam ad rem pertinet, sed certe pertinet, & dicendum est. dicam ergo, quid me retineat, quid me tardiorem faciat ad contendendum. Primum quidem natura mea, sua sponte ab omni contentione abhorrens: quam longa iam inde a puero consuetudo sic confirmauit, ut in hunc usq; diem nec publice nec priuatim cum quoquam, quasi cum aduersario, contentionem habuerim, ac ne litem quidem apud iudices ullam, quam tamen, qui bona iure possessa habet, uix effugere possit. Sed nunquam cum quoquam contendi, ut iam a nulla re magis animo abhorream, q̃ uel ab ipso contentionis nomine. Deinde Princeps, si cum Sampsone solo mihi esset contendendum, tamẽ inuito plane animo id facerẽ, pręsertim in ea causa, in qua multa ad illius ingenii, doctrinæ, morũ etiã atq; animi uituperationẽ, ipsa me res dicere cogeret. id quod non sine magno meo dolore

Rich. Sampson. Cicestren. Episcopus.

i. Pet. ii.

Inuitus certamẽ cũ Sampsone init.

facere

facere possum, qui hoc animo semper fuerim, ut siquæ in quo-
quam uitia inessent, ea occultãda, & omni potius ratione sanan-
da putarem, q̃ ulla orationis acerbitate insectanda: uirtutes au-
tem omnium, quibus cum mihi familiaritas intercederet, ut cũ
Sampsone intercedit, prædicando augendas ducerem. Id quod
me uere dicere, non autem ostentandæ probitatis causa nũc fin-
gere, testari possunt, qui me interius norunt. Quanquã quid ue-
reor, ne quis me hoc suspicetur laudis meæ causa dicere, cum sci
am esse multos, quibus hæc mea ratio non probetur, quiq; illam
cuidam potius lentitudini animi, q̃ ulli naturæ lenitati aut cle-
mentiæ assignent? Verum utcũq; sit, rem ita se habere confirmo.
qui autem mihi non credit, is facta mea, tanquam seruos, in quæ
stionem uocet, illis credat. Inuitus igitur facio, ut cum Sampso
ne contendam. Sed si cum hoc inuitus, quanto dolore cum illo
qui Sampsoni adiutor adest, qui eius partes fouet? quanto dolo
re tecum Princeps, qui sic ad latus Sampsoni astas, sic illũ quasi
tuo corpore ꝓtegis, ut ne telum quidẽ in illum iaci possit, quod
non prius in tuam famam tanquam in præcordia ipsa traiici ne-
cesse sit? Equidem quãto hic dolore premar, solus is qui potest,
qui corda scrutatur Deus uidet. tãto certe opprimor, ut ipse qui
sentio, eius magnitudinem metiri animo non possim. Ac tanto
adhuc maior existit hic dolor, ꝗ fore uideo, ut totius uitæ meæ
consilia hæc contẽtio perturbet. Ego enim Princeps ita mecum
statueram, siquid unquã in literis possem, quibus a puero sic fui
deditus, ut cum multi amici, tum tu ipse interdum pro tua beni-
gnitate, diligentiam meam reprehenderes, cum admoneres uale
tudini corporis tantum ac tam assiduum studium obesse, negli-
gentiam quidem certe, nemo unquã accusauit: ita igitur statue-
ram, quicquid ex tot laboribus, ac uigiliis assecutus essem, in eo
ponere ac consumere, ut egregiis animi tui uirtutibus, secundũ
Deũ, qui eas tibi dedisset, inseruirẽ, & ut te, quem generosissima
natura præditum semper iudicassem, quantum possem, literis &
doctrina excitarem, ad ea faciẽda cum amplissimo regni tui fru
ctu, quæ tibi apud Deum & homines, immortalem gloriam pare
rent. hoc me debere iudicabã excellenti benignitati tuæ in meis
studiis fouendis, hoc naturæ, quæ me tecum sanguine coniunxis
set, hoc Principi meo, hoc deniq; patriæ. Sed nunc (proh dolor)
quid dicam? quid primum querar? an mihi ereptam esse omnem
facultatem, diuturno meo, sanctissimo & ardentissimo desiderio
satisfaciendi? hoc quidem ipsum profecto queror, non tantum

ſublatam mihi facultatem eſſe, ut tua cum laude, conſilia tua, iis literis atque artibus, quas didici, iuuare poſſim; ſed illud multo magis, tale tempus incidiſſe, ut tua omnia conſilia oppugnare, tuis factis, meas qualeſcũq; ſunt, literas, & omnes ingenii uireis cogar opponere. Sed quæ eſt hæc uis, ſi non animum erga te mutaui, ſi amorem erga te, ſi pietatem, & ſtudiũ honori tuo & commodis ſeruiendi non abieci? Nihil quidem horum eſt. Animus enim non tantum idem manet, ſed multo magis quam unquam alias, tibi ſeruire cupit hoc tempore, cum te uideo eorum hominum opera indigere, qui uere tuæ & dignitati & ſaluti faueant. Quid ergo me cogit, ſi & animus mihi eſt idem, & tu ipſe ſic me ad te inuitas, ut nunquam maiore benignitatis ſignificatione quenquam inuitaris? Ita enim eſt profecto, negare non poſſum. Quo magis eam, quæ me nunc a te diſiungit, temporum iniquitatem queror, ac doleo, quæ mihi prorſus uim afferat, quæ faciat, ne tu opera mea tuis in rebus uti poſſis. Quanq̃ ne hoc quidẽ tantopere dolendum eſt, cum alios me multo meliores habere poſſis. Sed mihi tamen priuatim dolendum, ea me nunc ſpe priuari, ad quam iam inde a puero totius uitæ meæ rationes ac conſilia direxeram, uerum illud omnium maxime eſt dolendũ, hanc temporum iniquitatem, de qua tantopere conqueror, ita res omnes tuas perturbaſſe, ut qui tuæ ſaluti ex animo conſultum uelit, qualem me ſemper & fuiſſe, & futurum eſſe profiteor, is tuis actis aduerſari omnibus modis cogatur. Atq; in hoc meo ſcripto, quod hoc tempore a me requiris, quod tanquam primitias quaſdam literarum mearum tibi offerri, quo tuas uirtutes, tuas laudes, tuas res præclare geſtas cõtineri ac celebrari oporteret: hoc iam animo proſpiciẽs, quo me quaſi æſtus orationis per media acta tua curſum tenentẽ, abrepturus ſit, ſola cogitatione angor. Sed quid faciam? ſi nec animum ſaluti tuæ deditum poſſum deponere, & res me eo trahit, ut ſi tibi amicus cupiam permanere, neceſſario me tibi aduerſarium hac in cauſa cõſtituere & profiteri debeam, an mihi faciendum eſt, ut curam tuæ ſalutis abiiciens, me tibi blandum oratione præbeam? At hoc ſi facerẽ, quæ maior proditio eſſet, exiſtimare certe non poſſum. Eo ergo aggrediendum eſt, eo curſus orationis dirigendus, ubi mihi ſpes tuæ ſalutis oſtẽditur. utrum autem ſimulate, an ex animo id ſcribam, exitus ipſe declarabit. Quem quidem exitũ ſi tu Princeps, me patienter atq; attente audiendo, expectare uolueris, iam tibi polliceor, etſi interea non acerrimus tantum aduerſarius, ſed ſæuiſſimus

Qui Regi Henrico bene uult, is illius actis aduerſari oportet.

Pollicetur glorioſum Regi certamine exitum, ſi Rex patienter audiat.

uissimus etiam hostis uidear, etsi te a me grauissime uulnerari existimes, etsi honorem tuum & famam lacerari, atque omnibus modis cum summa contumelia premi, putes (hęc enim omnia ti bi necesse est uideantur, tãtum est a te mali contractum) lætum tamen & gloriosum tibi futurum, ac talem plane, ut nõ modo te a me uulneratum non doleas, sed uehemẽter potius gaudeas. Sa lutaris enim manus affero. tuam famam, honorem tuum, quem prima specie in omne tempus tibi eripi arbitreris, nõ eripere me conari, sed eo, qui falso tibi honos uideatur, sublato, restituere uelle confirmo. te ipsum deniq; hac uictoria, quæ non tam mea, q̃ tua, imo quam Christi erit, si uinci te a ueritate, cui omnia ce- dere debent, passus eris. sic in solium illud tuum regium, a quo deiici ac deturbari uidearis, te restitutum iri polliceor, ut qui nunc te tanquam ecclesiæ perniciem quandam auersantur, qui in te probra omnia iaciunt, qui authores sunt atq; hortantur, ut ex ecclesia tanquam ecclesiæ hostis expellaris, non modo te liben- ter uideant, sed quasi gloriosum Christi opus, quasi nouum Re- gem a Christo inunctum, multo nobiliorem, q̃ ullum multis sæ- culis Regem, ecclesiæ autem multo utiliorem spectent, & nõ mo do ueteres tibi honores reddendos, sed nouos etiam multo ma- iores tribuendos censeant. Hoc tibi polliceor Princeps si pri mum me patiaris, quas parteis mihi studium salutis tuæ impo- nit, eas recipere, ut me tibi aduersarium in omnibus, quæ perni- ciem tibi allatura uideantur, præbeam, deinde quo te oratione tanquam manu ducam, sequaris. Sed parteis aduersarii agere nunc ingredior, primum cum Sampsone. deinde etiam tecum, & cum omnibus qui pro salutaribus pestifera tibi consilia offe- runt. quibus quidem omnibus tam diu ero hostis. tam diu bel- lum inferam, dum illos in potestatem redegero, & iurare primũ in tuam salutem, post autem in suam quoq; coegero. & cogam certe si ueritas quæ omnium rerum est fortissima queaq̃ coge- re possit. Sed congrediamur primum cum Sampsone. qui quasi ad singulare certamen omnes prouocat qui ei, quam ipse de ho- nore tuo affert, sentẽtiæ assentiri recusent. Nunc igitur aliquan do uideamus quid Sampson pro te afferat. consideremus primũ genus armorum quo usurus est. Vero id iam uideo. Ordit̃ proę mium longissimum idq; a principio generis humani repetitum: in quo commemorat beneficia Dei in humanum genus, quo ui- delicet hominum animos hac beneficiorum commemoratione, ad amorem Dei incendat. Deinde amoris affectu excitato pro-

iii. Esdræ. iii.

Incipit congredi cum Sampsone.



cedit ut ostendat amoris argumentum esse si Dei præceptis pareatur, iuxta illud qui diliget me sermonem meum seruabit, in sermone autem Christi omnia cõtineri docet quæ in sacris scripturis præcipiuntur, Cum porro inter reliqua præceptum hoc etiam inueniatur scriptum in libris canonicis ex Petri uerbis, ut Regem honorificent, quicunq; Regis imperio subsint, tandẽ concludit, hoc in primis ab omnibus sine ulla tergiuersatione obseruandum, quod si hoc obseruandum sit obediẽdum esse Regi, facienda quæ Rex præcipiat. Hæc bella est illius conclusio, quæ indicat quo genere armorum uti uelit. Vt enim Goliath ille hastam gerens immensæ longitudinis cui ferrum nescio quot siclis graue præfixum esset procedebat ad pugnam in filios Israel sic Sampson cõtra ecclesiæ filios, hoc tam longo proœmio armatus progreditur, in quo non me quidem longitudo terret; sed certe dolum uereor. Hoc enim Sampson plane mihi persuadeo, si aperto Marte, in conspectu omnium, & sine dolo pugnare constituisses nunquam te tam longo ac tam alte repetito proœmio usurum fuisse, Quid enim opus erat si i. genue nihil fraudis cogitans scriberes, cum illa uerba concludebas ex Petro, Regem honorificate ut nihil scilicet amplius intelligi uelles per ea uerba quam quod Petrus intellexisset; tam longe repetito exordio uti ad id persuadendum quod tibi omnes sine ullo proœmio, sine ulla authoritate Petri facile concessissent? Nam quis in eo tibi repugnasset si uel nuda illa uerba protulisses, Regem esse honorandum? Quis nõ statim tibi concessisset Regi esse parendũ? Sed nimirum fraudem tuam animaduerto ut quæ statim se ipsa prodat. Vt enim omnium animos hac mẽtione præcepti Dei de honore & obedientia Regi præstãda occupauisse tibi uisus es, tum intulisti si ergo obediendum est Regi ex præcepto tum facienda sunt, quæ Rex præcipit, Sed Rex præcipit ne amplius obediamus Pontifici Romano ut supremo capiti ecclesiæ in terris; sed ut eum honorem sibi suo in regno omnes tribuant, Regi igitur omnes in eo obedire debent, hic Sampson decipere nos uelles & dolose agis, id quod certe non est uiri boni. At ipse ne cui imponas fraudem tuam patefaciam, ac tecum in hoc nõ contendam, Reges esse honorãdos, sed plus etiam q̃ tu ipse poscas, tibi concedam tuas hic parteis adiuuabo. Dico ergo, nõ modo Reges christianos a christianis sed etiam si alienis a religione nostra Regibus christiani subsint adhuc illos ab his honorandos esse, cuius rei documentum atq; exemplum a filiis Israel li-

1. Reg. xvii.

In longo Sampsonis proœmio dolus latet.

Reges etiam Ethnici honorandi.

cet

cet accipere, qui captiui sub Rege Babylonio uiuebant, quibus non hoc solum a Deo præceptum est, ut Regi obedirent: sed ut libri Hieremiæ ostendunt, etiam graue supplicium irrogatum, quod Regi Nabuchodonosor parere recusarũt. Verum hęc obedictia Sampson suos habet limites, obediebãt enim Regi externo in iis quæ ad regis officium pertinebant, sed cum idem ille Rex iussisset eos statuam aureã adorare, quod præceptum fines excedebat potestatis Regiæ, tum potius habuerunt, qui optimi erant inter filios Israel, in fornacem ardentem coniici, quam ei præcepto Regis obedire: quorum uoluntatem sic Deus approbauit, ut illæsos ab igne conseruarit. Similia exempla, multa habemus de Christianis nostris, qui Reges & Imperatores ethnicos honorabant: & certe de iis Petrus scripsit, cum dixit, honorificate Regem, nullus enim Rex fidem adhuc acceperat: omnes erant infideles, & tamen eos esse honorandos Petrus monet. Ac illi quidem libenter in iis, quæ ad Regium & Imperatoriũ munus spectarent, obediebant. Sed cum Domitianus uoluit, non ut Regem se honorari, uerum ut Deum coli: tum uero omnes restiterunt; neq; ullum supplicii genus fuit, quod non libentius subirent, quam illi præcepto parerent. sic autem resistendo, quis non uidet magis eos Dei præcepto obedisse, q̃ si ad omnia Regis dicto audientes fuissent, cui tamen Deus præcipiat esse obediendum? Eodem modo nunc Sampson, ut tecum propius iam congrediamur, nos Angli honoramus Regẽ nostrum, & illius præcepto obedimus. Sed cum ille dicit, honorate me ut supremum caput ecclesiæ, date mihi locum uicarii Dei, nos prorsus recusamus. neq; enim hic aliquid ualet longa tua hasta, longum istud procemium, de amore Dei, & obedieti... eius mãdatorum. Ipsa enim obedientia mandatorum Dei, nos docet non esse hic Regi obediendum, qui suos certos limites, non infinitos in præcipiendo, habeat, quales nos quoq; in parendo habemus. quos si tu nouisses, uel potius si cum nouisses, ingenue nobiscum agere, quam dolose maluisses, nunquã sane aggressus esses eam, quam Christi Vicario ab ecclesia docti obedientiam debemus, huiusmodi argumentis oppugnare. Quibus tamen tu sic applaudis, sperãs neminem tuas artes uidere posse, ut si nobilis palmarum multarum gladiator, cum primo statim congressu aduersarium confecisset, ad populum gloriabundus se cõuerteret, atq; aduersarii cœcam temeritatem mirari diceret, qui secum congredi ausus esset. Ita enim agit Sampson, postquam illud sibi conclusisse

Obedientia, quæ Regi debetur, suos limites habet.

Dan. iii.

Domitianus.

uisus est, Regem ut Dei in ecclesia Vicarium esse honorandum, quia Deus parendum esse Regi praecipiat: ad populum Angliae, quem suo libro alloquitur, conuersus, mirari se dicit, ullos tam stultos & imprudenteis reperiri, qui huic sententiae aduersent. Stultus ergo & imprudens Sampsoni Morus uidetur, stultus & imprudens Roffensis: Imo non stulti solum & imprudentes, sed plane insani, qui non tantum uoce, sed ipso etiam sanguine, ac uita, huic sententiae restiterunt. Satis enim est, uel nomina sola talium uirorum, contra huius caecam & amentem arrogantiã opponere, praesertim apud te Princeps, qui de utroque tanta iudicia fecisti, quanta de nullis unquam tui regni hominibus: cum Roffensem, me audiente, omnium, quos unquam nouisses, theologorum doctissimum appellares. Mori uero prudẽtiae tantũ tribueres, ut secũdũ te, regni tui gubernacula illi traderes. Sed ii scilicet tales uiri, uni omnium sapientissimo Sampsoni, stulti indoctique uidentur, ignari sensus scripturarum, prudentiaeque communis expertes. Contra quem nihil aliud hoc tempore dicam, nisi ut eius egregiam sapientiam in scripturis intelligendis, hoc praesertim in loco, de quo tantum gloriatur, paululũ adhuc excutiã.

Regis de Moro, & Roffensis iudicium.

Fulcit enim adhuc suam conclusionem Sampson de honore Regi tribuendo, aliis scripturae locis, citatque ex Paulo etiam, cui se ualde familiarem facit. Omnis potestas est a Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. cũ ergo, quin Regia potestas sit a Deo, negari non possit: illi, inquit, non est resistendum, minister enim Dei est. hic abundat Sampson scripturarum testimoniis, Quod si minister Dei, locum Dei tenet, supremum igitur locum in terris Reges tenẽt, de quibus scriptura dicit, Regem honorificate. Quin ergo honorem eum qui supremo capiti in ecclesia debetur, regibus tribui oporteat, dubium esse non uult. Sed quaeso Sampson, quoniam ita te argumentari iuuat, & hac Petri admonitione, Regẽ honorificate, sic niteris, ut ex ea omnia quae ad causam tuam defendendã pertinent, tibi suppedites, mihi hoc si uidetur, respondeas: an non etiam legisti in scripturis, honorandos esse parentes? quam bellum hic & prolixum procemium duci posset, ex aliis locis scripturae, siquis liberos ad parentum honorem excitaret? Sed relinquamus procemia. an non haec Dei ordinatio est, ut parentes honoremus? an non, qui illis resistit, Dei ordinationi resistit? an non Dei ministri sunt? an non a Deo potestatem habẽt? Cum eadẽ omnia, quae pro Rege, tibi pro parentibus honorandis suppetant, cur potius Regi, q̃ parentibus tuis,

Ro. xiii.

Pet. ii.

Probat Sampsoni patrem caput esse ecclesiae, similitudine, ac Sampson pro Regẽ utitur.

tuis,cum honorem tribuis? cur parentes tuos ſupremi capitis
nomine decorandos non cẽſes,Regem cenſes?cum nihil ex ſcri⸗
ptura afferri poſſit,quãobrem Regi hoc tribuas, quod non idẽ,
cur parentibus tuis.In Regem ſolũ gratus eſſe uis, in parentes
non uis,in quos eodem modo ex ſcripturis oportet? Quòd ſi pa
ter tuus medicus fuiſſet,iam altera corona patri deberet. quod
ſi ſenex,tertia,tum quidem ſupra omnes reges pater tuus eſſet.
dicit enim ſcriptura,honora medicum,eadem dicit,ſenes eſſe ho *Eccleſiaſt. xxxviii.*
norandos. Quod ſi tu Regi ſupremi capitis honorem tribuis,
quia ſemel inueniſti in ſcripturis,honorificate Regem:q̃ omnes
honores regios ſuperare debent, qui patri tuo a te debentur, ſi
idem tuus pater medicus ſit,& ſenex? Sed tu ludis Sampſon, nõ
pugnas,& me tecum cogis ludere.Verum ſi ſerio adhuc illa uer
ba,Regem honorificate,tantum ualere uidentur,ut per illa intel
ligamus ſupremi capitis locum in eccleſia Regibus dari,aduer⸗
te quæſo paulo attentius illa uerba:& locũ ipſum totum,in quo
ſcripta ſunt,diligentius auſculta.Sed hoc mihi prius reſponde⸗
as,quis ea ſcripſit?Petrus.ad quos ſcripſit?ad eos qui Romanis
parebant,qui tum erãt totius orbis domini.ethnicos ne; an iam
ad fidem conuerſos,& Chriſtianos?Chriſtianos.eorum enim fi⸗
dem laudat.illos ergo monebat, ut Regem honorificarent. Ita
eſt profecto.Age uero,ubi ſcripſit?Romæ.Quis tum Romæ re⸗
gnabat?Nero,apud quem etiã Paulus Petri collega,cauſam di⸗
xit,& a quo uterq; interfectus eſt.Iuſſit igitur,ut Neronem,qui
tum gladium,ut inquit Paulus,portabat, Chriſtiani honorifica
rent.Hoc quidem negari non poteſt. Neq; uero uel Petrus, uel
Paulus,ulla in re,quæ ad imperatoriam poteſtatem pertinebat,
illi reſiſtebat : ſed uterq; tanquam Regi,& Imperatori,honorem
tribuebat.Paulus etiã illum aliqñ,cum accuſatus eſſet,appella⸗ *Act.xxv.*
uit.quid ergo?ſi cum Sampſone in intelligendis ſcripturis ſapi⸗
entes eſſe uolumus,quid concludemus?Quid aliud,quàm Nero *Ex Sampſonis argu⸗*
nem fuiſſe caput eccleſiæ?O ridiculum tuum caput,cum ita con *mentatione colligitur*
cludas.equidem riderem ipſe in re ſeria,niſi riſus, quos tua no⸗ *Neronem fuiſſe ca⸗*
bis ſapientia excitat,magnas ſecum lachrimas afferrẽt.Iam pro *put eccleſiæ.*
fecto fateor,nec Roffenſem,nec Morum,didiciſſe iſto modo ex
ſcripturis concluſiones ducere. At ne te quidem ipſum tam ſtu⸗
pidum eſſe iudico,nec tam rudem omnis rationis argumentan⸗
di,ut ex illis Petri uerbis,queãdmodum uideri uis, recte te con
cluſiſſe exiſtimes.Ludere,ut uideris,uolebas in re omnium gra
uiſſima,uel potius,quia ex regia,tãquam ex Aſylo,loquebaris,

popularibus tuis,& reliquis omnibus illudere,quo Regi gratũ faceres:atq; experiri in pessima causa,sine Theologiæ cognitione,quantum eloquentia ualeres ad torquendos scripturæ locos, quibus eam sententiam confirmares, quam in aula plausibilem, & tuis cupiditatibus explendis utilem fore arbitreris. Sed si aliud nihil,q̃ scribendo te exercere cogitabas,de tot scribēdi argumentis,quæ ex scripturis sumi possunt,nullum ne eo accommodatius eligere potuisti,in quo si ludas,cum pernicie & tua,& aliorum ludas? Tãti ne tibi fuit tuus iste lusus,uel potius,ut ueriorem causam attingam,tua spes, (sperasti enim hac una ratione,si ita scriberes,posse te & Regis gladium uitare,& ea assequi ad quæ te tua cupiditas trahebat) ut tot millia animarum,quot par est eius modi scriptis posse corrumpi,& a uera sententia ecclesię abduci,nil prorsus curares? An tibi illius in mentem non uenerat,quod Christus clamat,Qui unum ex pusillis istis scãdalizat,expedit illi,ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Tu uero qui tot millia scandalizas,& prauis opinionibus imbuis,quam pœnam a Deo pro isto tuo impio lusu expectas? Sed hic tu tãquam serio loquaris,& ita plane,quemadmodum scribis,sentias,ac causæ tuæ maxime cõfidas: ita,si Deo placet,omneis doctos prouocas, ut uel unum locum ex omni scriptura proferant,ex quo colligi possit, aliquam potestatem regia maiorem a Christo esse constitutam. sic enim scribis. Velim qui se doctos arbitrantur, unam aliã potestatem proferant e sacris literis,quæ huic ęquari possit. O Goliad,Goliad.nec enim iam te Sampsonem appellabo,in quo nullum Sampsonis signum,pręter nomen,possum agnoscere. Goliad uero Philistæi multa. sic enim ille uniuersam ecclesiam Dei prouocabat,sic exprobrabat exercitui Dei uiuentis, ut scripturæ uerbis utar,sic fortissimum quenq; ad pugnam prouocabat, quemadmodum tu nũc doctissimum quenq; ex ecclesia ad disputãdum de nouo tuo dogmate lacessis. Sed hoc te callidiore consilio usum,q̃ Goliad ostendis,quod ille tum ꝓuocabat, cũ multi essent in Israel fortissimi uiri,tu in id tempus lacessere distulisti,cum fortissimus quisq; ex illorum numero,qui eam causam quã tu oppugnas,tueri solebant,e medio sublatus est;nemo autem fore uidebatur tam suæ salutis negligens,qui post taleis uiros ad eam causam defendendam accedere auderet. Nunc enim demum prouocas,cum fortissimis Ducibus hanc ipsam ob causam trucidatis, omnium animos perterritos esse putas. nam ni hoc

Mat. xviii.

Sampsonis uerba,quibus doctos omneis prouocat.

Sãpson agit Goliad.

hoc iudicares, cur uiuis Roffensi & Moro (ut de iis solis mentionem faciam) idem non fecisti? coram quibus ne hiscere quidem his de rebus audebas. Verum ne hæc quidem te calliditas iuuerit, qui Dei consilia te nescire ostēdas: qui suam causam nō semper a fortissimis, sed nōnunquam etiam a debilissimis defendi uelit, ad ampliorem potentiæ suæ declarationem: quemadmodum tum fecit aduersus Goliad, cū puero Dauidi, qui omnis rationis, pugnādi rudis esset, in animum immisit, ut se Goliad fortissimo bellatori prouocanti offerret: quem ille diuina ope fretus, superauit. quemadmodum nunc etiam fecit, cum me puerū & pugnæ expertem, qui adhuc in pace ac mansuetudine colenda, tanquam Dauid in ouibus pascendis uitam traduxi, nunquā autem arma tractaui, tuæ prouocationi ut responderem, excitauit. qua in pugna eundem sane exitum expecto contra te, quem contra Goliad Dauid habuit, tu enim uenis ad me in gladio & hasta, ac clypeo, instructus gratia, & potentia Regis, quorum armorum solo fulgore omnes terreri posse putas: ego cōtra, uenio ad te in nomine Domini exercituum, cui tu hodie exprobrasti: & dabit te dominus in manum meam, & auferam caput tuum, ut sciat omnis terra, quia est dominus Deus Israel: & ut norit uniuersa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat dominus. Sed iam congrediamur, atque iterum repetamus prouocationis uerba, quæ sic se habent. Velim qui se doctos arbitrātur, unam aliam potestatem in sacris literis proferant, quæ regiæ æquari possit. An ulla re alia te magis alienigenam (sic enim interpretari solet scriptura Phylistæum) quam his uerbis ostēdere potuisti? an magis alienum a dogmatibus ecclesiæ, rudem & ignarū totius professionis Christianæ declarare? an magis exprobrare Christo filio Dei? cuius aduentus fructum omnem tollis, si hoc probas, nullam eum attulisse aut dedisse potestatē maiorem regia? Quid uero, cum potestatem hominibus dedit ut filii Dei fierent, utrum hæc potestas infra, an supra regiam fuit? an hanc potestatem Reges ante habuerunt? an dare potuerunt? Cum uero acceperunt homines a Christo potestatem, ut uincerent mundum, & principem huius mundi, cui Reges ipsi fasces summittebant, an illam minorem regia fuisse existimari uis? an ante Christum quisquam Rex eam potestatē habuit? Sed quanta, & quam flagitiosa est hæc ignorantia tua, si nescis huius tantæ potestatis mentionem in scripturis fieri? quanta uero, & quā desperata impudētia, si cum hæc scires in scripturis tradi, tamen

i. Reg. xvii.

Verba Sampsonis.

Philistæus.

Io. i.

Multæ potestates, regia potestate maiores

quaſi nihil eiuſmodi eſſet, hęc interrogaſti. Quarum enim ſingu la prope uerba, ſingulæ certe ſententiæ, nihil aliud ſonant, niſi diuinam quandam poteſtatem datam hominibus, non modo ſupra omnes, quæ unquam in rerum natura fuerint; ſed ſupra omnem quæ excogitari poſſit: de illis tu ſcripturis, homo profeſſione Chriſtianus, nunc quæris, an alicuius poteſtatis mentionem faciant, quæ regiæ æquari poſſit? Quid uero aliud diuini illi uiri, qui nobis ſpiritu Dei dictante, ſcripturas reliquerunt, quem ſcopum alium in ſuis ſcriptis habuerũt, niſi ut huius dignitatis, ad quam uocati ſunt, homines admoneant, & ut uitam tanta uocatione dignam præſtent, adhortatur? Tu autem quæris, an uſquã in ſacris literis mentio habeatur maioris poteſtatis, q̃ regiæ. At uero, Reges quam diu ſuam poteſtatem retinuere, antequã Chriſtus in terras deſcenderet, cum ſub lege naturæ homines etiam tum uiuerẽt? de quorum poteſtate, ut Chriſtus certe nihil detraxit, ita maiorem ſine ulla comparatione illum attuliſſe & dediſſe iis, qui ipſius doctrinæ obedirent, non tantum libri teſtantur, qui Chriſti hiſtoriam continent, quorum tu teſtimonium requiris; ſed cælum ipſum & terra, ſed uniuerſa rerum natura loquit & clamat. Quid enim eſt ſi de regia tãtum poteſtate loquimur, Quid inquam eſt in ea, quod non multi & Philoſophi, & politici homines, natura & ratione duce uiderint? quorũ multi ſic de illa diſputauerunt, ut nihil pene quod de ea dici poſſet, in ipſorũ libris deſiderari uideatur. ex quo intelligit, nihil fere eſſe, quod ad regiam poteſtatem pertineat, quod eos latuerit. At illam poteſtatem, quam Chriſtus attulit, quam Dei filius cõſtituit in terris, cuius mentione ſcriptura paſſim redundat, non modo non penitus noſſe, ſed ne ſuſpicari quidem ii potuerunt, qui ducem naturam, & rationem humanam ſequebantur. ita ſupra naturam, & omne id quod uel ab ipſa natura cogitari poteſt, eminet. Nec enim unquam cogitari a natura, nec in cor hominis aſcẽdere ea potuerunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, cum Chriſtum nobis daret: per quem noua creatura facti ſumus, uocati in tantam dignitatem, ut conſortes & participes ſimus gloriæ eius, qui naturam condidit. Quid apoſtoli ipſi a Chriſto inſtituti, & electi, atque in omnem terram ab eo dimiſſi? fugiebant ne memoriam tuam, cum illa ſcriberes, quum diceres nullius poteſtatis in ſcriptura mentionem fieri, quæ dignitate regiam anteiret? an horum etiam poteſtatẽ inferiorem regia exiſtimas? Nullam enim eorum poteſtatem fuiſſe ut dicas, non poſſum credere.

i. Cor. iii.

Apoſtolorum poteſtas, quanto ſit maior quàm regia.

dere. non dum te eo impietatis & uecordiæ processisse arbitror. Habuerunt ergo illi potestatem omnino aliquam, & cum potestate a filio Dei accepta, in totum orbẽ missi sunt. ministri enim Dei & erant, & appellabantur, quemadmodum ipsos etiam Reges & esse, & uocari debere, tibi cõcedimus. Sed si utra potestas Regum an Apostolorum, maior sit, nunc discutere uelimus: restat ut uideamus, quo in munere fungendo, Apostoli Dei ministri fuerint: quo reges ipsi etiã num sint. At hoc quidem per scripturam satis cõstat. Apostoli enim ministri erãt euangelii Dei, per quorum manus dabatur spiritus sanctus: quem qui accepissent, (accipiebant autem omnes, qui illorum uerbo obediebãt) sic supra omnem potestatem, quæ in rerũ natura inueniretur, extollebantur, ut iam domini naturæ, ciues regni cælestis, hęredes Dei, cohæredes autem filii Dei, & appellarentur, & essent. Nunc uero Regibus ipsis quid muneris imposuit, quam potestatẽ dedit Deus, cum illos etiam ministros suos constituit? constituit autem multis ante Christi aduentum sæculis. sæculis dico? imo iam tum, cum naturam ipsam humanam condidit, cum societatis ac uitæ communitatis appetentiorem finxit, q̃ ullam apem, aut ullum gregarium animal: cum fecit, ut ipse sibi satis esse nemo posset, sed mutuo auxilio omnes indigerent, & proinde ad alios sui generis se se libenter aggregarent. cum deniq; hunc sensum animis nostris communem indidit atq; inseruit, necesse esse ad uitam conuenienter naturæ degendam, uni alicui siue homini, siue hominum numero, summam rerum & imperium permitti, qui uim atq; iniurias arceret, qui semel tum ea quæ officere huic uitæ societati uiderentur, amoueret: tum ea prospiceret ac compararet, quæ ad illam tuendam conseruandamq; pertinerent. Christus igitur cum in mundum uenit, non tunc primum Reges constituit, ut qui iam ab ipsa natura tanquam præsides quidam ac defensores humanæ societatis constituti essent. Sed si quæras, quem iis honorem, quam potestatem tribuerit: ego uero respondeo, nullam illum nouam tribuisse, sed tantum quam a natura accepissent, eis confirmasse. Nisi hoc dicimus, quod uerissime certe possumus, hoc nomine auctam uideri a Christo Regũ potestatem, quod uim illis ad suum munus recte fungendum dederit, id quod certe natura præstare non potuit. Potuit enim natura Regem instituere: institutum perficere, ut munus suum recte, & ex dignitate tanti magistratus administraret, hoc non potuit. Quod certe Christus dedit, iis qui uerbo apostolorum suo

Christus quam potestatem Regibus tribuerit.

rum obediſſent. Vtra ergo maior poteſtas, quæ paret maximis in rebus, an quæ imperat? Quanquam iſtud Chriſtus non magis conceſſit Regibus, q̃ reliquis omnibus, qui a natura munus aliquod ad conſeruandam humanam ſocietatem datum haberent. Sed ſi de Regibus ſolis loquamur, quod colligi poteſt de honore, quo Chriſtus in terris agẽs illos affecerit, id tale eſt, quod nihil de illorum authoritate detraxit. qua re maxime declaratur, iuſtam ipſorum poteſtatem fuiſſe, cum iniuſtas omnes poteſtates Chriſti aduentus diſſoluerit. Ita enim res profecto ſe habet, ut ſi dominus aliquis in ueterem domum & familiam, a qua diutius abfuiſſet, reuerteretur. ibi enim cum multa recte initio comparata, propter ſuam abſentiam, praua conſuetudine male contracta & commutata offenderet, etſi ꝑpterea ueniſſet, ut multo præſtantiorem, & domum & familiam redderet, atq; adeo ut ciuitatem quandam nobilioribus legibus utentem ex ea faceret: Tamẽ neq; priorem ſtatum tollere uellet, ſed tantũmodo quod in illo uitii cõtractum eſſet, corrigeret: reliqua eodem modo eſſe pateretur: & noua tamen, quæ ad nouæ ciuitatis ſtatum pertinerent, munera atq; officia deſcriberet. Sic, Chriſtus cum in orbe terrarum tanq̃ ſua in domo Reges inueniſſet neceſſario munere fungenteis, ut conſeruis ſuis in iis quæ ad uitam ſecũdum naturam degendam pertinẽt, cum authoritate præeſſent, hoc nõ mutauit: ſignificauit tamen ſe conditorem nouæ ciuitatis ueniſſe, in qua qui præeſſent, omnes reges dignitate, & regendi ratione ſuperarent, quibus omnes, quicunq; in ueteri ciuitate præeſſent, ſubeſſe oporteret. id quod Prophetæ ſæpe ſignificant, cũ de noua ciuitate a Chriſto fundanda loquuntur: & Chriſtus ipſe cum in aliis locis, tum in eo etiam quando Cæſaris nomine cenſus ab ipſo exigebatur, innuit: Tum enim ad diſcipulum conuerſus, cui in noua ciuitate, in qua omnia præſtantiori modo fierẽt, ſummam dignitatem erat tributurus, ſumpto exemplo a Regibus terræ, cum interrogat. Reges terræ, inquit, a quibus accipiunt tributum? a filiis, an ab alienis? Ad quam quæſtionem cum reſpondiſſet Petrus, ab alienis, dixit illi Ieſus. ergo liberi ſunt filii, quo uerbo ſignificare uoluit, nec a ſe, nec a ſuis, qui non alieni eſſent, ſed uere Dei filii, cuius eſt terra & plenitudo eius, cum reliqui omnes uetere in domo ſeruitutem ſeruirent, tributa debere exigi. ut autem nõ ſcandalizemus eos, inquit; Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies ſtaterem. Illum ſumẽs, da eis pro me & te.

Simile. *Mat. xvii.* *Pſal. xxiii.*

& tc. Quo facto aperte testatus est, se & uere filium domini na- turæ esse, cui supra naturæ rationẽ ita natura pareret, eoq; exem plo Regum terræ, qui a filiis tributum non exigerẽt, immunem esse: & tamen ne scandalo esset, pendere tributum uoluisse pro se, & Petro, quem noui Regni in terris successorem delegisset. Quod uero ipse Petrus admonet Christianos, ut subiecti sint Regi, tanquam præcellenti, huc prorsus pertinet, ne Christiani propter admirabilem illam dignitatem, in quam supra omne id quod a natura institui honorificum posset, uocabantur, honore illo, & libertate per Christum data, in contemptum eorum qui a natura constituti in dignitate essent, abuterentur. qua propter ut subiecti sint Regi, admonet, Quanquam non tam de Rege eo in loco Petrus loquitur, monens ut ei Christiani sint subiecti, q̃ de omnibus qui a natura, uel consuetudine naturam imitante, aliquam potestatem habeant. quibus etiam ut se subiiciant, sua- det. id quod eius uerba eo in loco aperte declarant, cum dicit, Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter dominum, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis. Sic etiam Paulus in genere loquitur, non tantum de potestate regia, cum de obedientia præstãda rectoribus sæculi monet. Ita enim incipit, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo. Pręcipuam autem aliquam, aut nouam potestatem tribui Regibus a scriptura, quæ ante tri buta non esset: uel honorem deferri, qui non idem ante aduentũ Christi deberetur, id uero scripturæ testimonio probare nõ pos sis. Quod si non ultra progressus esses, de honore regibus præ- stando loquens, q̃ ut diceres, nihil illis per scripturam de digni- tate detractum esse: hoc quidem tibi facillimum fuisset scriptu- ræ authoritate cõfirmare. sic enim Pauli uerba aperte ostendũt, cum de eorum, qui naturæ lege præsint, honore loquitur: cui ho norem (inquit) honorem, cui tributum, tributũ, quasi de re per se notissima, & tanquam animis hominum inscripta, loqueretur, de qua per Christum nihil esset immutatum: quasi diceret, soli- tos honores regibus tribuendos esse, & consueta tributa pendẽ da. interim admonens eos qui in Christi regnum uocati essent, (quod quidem ubiq; ambo apostoli, & reliqui omnes diuini scri ptores faciunt) humilitatis & obedientiæ in Deum, ac ne ad ue lamentum malitiæ, libertate sua abuterentur. & significãs illam esse malitiã, si potestati a natura institutæ propterea resisterẽt, ꝙ in maiorem q̃ quæ a natura dari posset, dignitatem sublati es

[Margin: „ i. Pet. ii. / „ Ibidem. / „ / „ / „ Ro. xiii. / „ / „ Ro. xiii. / „ i. Pet. ii.]

sent, cũm exẽplum haberẽt eius qui author dignitatis suæ fuis-
set, qui cum dominus naturæ esset, legibus tamen a natura latis
parere uoluisset. Illud autem simul indicabat, cum sic uel Regi-
bus, uel potestatibus aliis, tanquam a natura institutis parerẽt:
non tam naturæ eos & hominibus, q̃ Deo, a quo omnis illa pote

Ro.xiii.

stas, & ordo defluxisset, obedire. Qui enim potestati resistit, Dei
ordinationi resistit, non est enim potestas nisi a Deo. Loquũtur
ergo in genere ambo apostoli, de obedientia & honore potesta-
ti tribuendis. At quibus potestatibus? nempe iis etiam quæ tum
erant extra ecclesiam, quæ non dum in corpus ecclesiæ coalue-
rant, sic autem loquũtur de honore illis exhibendo, ut cur maior
authoritas ex iis uerbis Regi tribui debeat, q̃ cuiuis alii pote-
stati, ostendi non possit. dicit enim Petrus, Omnes honorate. Si

Petri verba tam quẽ vis hominem, quàm Regem caput esse ecclesiæ significant.

igitur tibi placet hic modus argumentandi, Petrus dicit diuina
authoritate loquens, Regem honorificate, ergo Rex est supre-
mum caput ecclesiæ, ergo Rex est uicarius Christi: cũ idem Pe-
trus dicat, & eodem in loco, Omnes honorate, concludere isto
tuo argumentandi modo possumus, ergo oẽs sunt uicarii Chri-
sti, omnes supremi capitis locum tenẽt. An tu, si te saltem ipsum
audisses, si aliorum de te iudicium ueritus esses, si cœca illa cu-
piditas Regi adulandi non tibi mentem & sensus omnes ademis-
set, potuisses unquam induci, ut libros eiusmodi argumentis re-
fertos in publicum ederes, in perniciem, (quãtum quidem in te
fuit) patriæ tuæ? Quid enim aliud propositum habuisti, q̃ patri-
am perdere, cum miserę plebis animos decipere, & deprauare hu-
iusmodi argumentis nixus es? At uero, si tantam uim in uno il-
lo uerbo esse putas, quo Petrus dicit, Honorificate Regẽ, ut ex
eo ostendas, Petri sententia, Reges esse capita ecclesiarum: cur
non mouent te magis pro sacerdotibus, illa uerba Pauli in epi-

Heb.xiii.

stola ad Hebræos, ad quos ita scribit. Obedite præpositis, &
subiacete illis qui peruigilant pro animabus uestris. Qui sunt
isti Sampson, qui peruigilant pro animabus eorum qui sunt in
ecclesia? Reges, an sacerdotes? non puto ita te ueterno correptũ,

Ex sententia Pauli probat gubernationẽ ecclesiæ ad sacerdotes spectare.

& alienatum a sensibus, ut Reges dicas. si ergo ii sunt presbyte-
ri & sacerdotes, quibus ecclesiæ cura committitur, attende pauli
per illa uerba, quæ Paulus de iis ad ecclesiam scribit, dicit aũt.
Obedite & subiacete. Hic si uerba ponderare uelimus, plus est
subiacere alicui eum obedientia, q̃ honorare. multos enim hono
ramus, quibus subiecti non sumus, quorumq; legibus soluti su-
mus. Verum Paulus cum ecclesiam doceret, quo honore recto-

res,

res, qui pro animarum salute peruigilant, essent afficiendi: non contentus dixisse, obedite, adiūgit, & subiacete illis. quod quid aliud indicat, q̄, ut corpus animæ, & membra corporis, capiti, sic nos præpositis nostris, qui peruigilant pro animis nostris subiacere debere? quo quid maius potuit dicere? Sed illum locū Pauli, ut uideris, non legisti. si enim legisses, nunquam certe prouocasses doctos omneis, qui contra te sentirēt, ut uel unum locum ex sacris literis proferrent, quo ulli potestati tātum honoris tribui uideretur, quantum Regibus a Petro, ubi dicit, Regem honorificate, Ecce enim, ipse nec doctus, & indignus, qui uel discipulus nominer eorum, quos tu omnes tanta audacia prouocas, cum uniuersos scripturæ libros contra te afferre possim, unum affero locum ita apertum, ut quid huic respondeas, non habeas. Lege igitur illum locum Pauli ad Hebræos ultimo. nec enim nisi egregie dissimules, legisse te ostendis. & dic, uel iis uerbis, Obedite & subiacete, non obedientiæ atq; honoris tantum significari, quantum hoc, Honorificate. uel illa etiam intelligi debere de Regibus, quorum officium plane est, si per te suprema capita ecclesiarum constituant, ut pro animabus peruigilent, præsertim cum idem apostolus Paulus, in actis, legatur sic allocutus presbyteros Ephesinæ ecclesię. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiā Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quæ si dices, te certe aduersario liberabis. nam me qui contra disputem, non habebis. nec enim cōtra tam acutas responsiones quicquam ualeo. Pudet me profecto contra tam futilem rationem tam multa dixisse, nec tamen ante dimittere te possum, q̄ adhuc unum interrogauero, in quo mihi a te responderi peruelim. Quæro enim, an in tota scriptura sacra, quæ canonica habetur, usq̄ legeris, ullum unquam Regem discipulum Christi fuisse, quā diu in terris uersatus est; uel etiam cum apostoli prædicarent, auscultasse. Sed ego pro te respondebo, cum unum tantum habeas, quod uere possis respondere, neminem Regem eo tēpore discipulum Christi fuisse, quo sacræ literæ conscribebantur: de nullo mentionem esse factam, qui uel doctrinæ eius se auditorem præbuerit. illud enim tēpus fuisse, de quo (ut Petro citante cognouimus) prophetæ sint uaticinati, fore, ut Reges maxime aduersarentur actis & doctrinæ Christi. de qua re, sunt hæc Dauidis uerba, Astiterūt Reges terræ, & principes conuenerūt in unum, aduersus dominum & aduersus Christum eius. Quid ergo? Tibi ne credi uis, scripturæ

Episcoporum munus est uigilare pro animabus.

Act. xx.

Nullus Rex christianus fuit quum sacræ literæ scriberentur

Act. iiii.

Psal. ii.

Reges capita ecclesiarum esse non potuerunt tum, quum membra non essent.

Christus cur nullum Regem constituerit Apostolum.

i. Cor. i.

Ibidem.

Christus ante quàm e terris discederet, ecclesiam constituit.

authoritate capita ecclesiarum constitutos esse Reges, prius q̃ ex scripturis ostendas, eos partem aliquã corporis ecclesiæ fuisse: qualia hic capita nobis describit: magis certe monstrosa, q̃ ille Horatianus pictor, Humano capiti ceruicem pictor equinã iungere si uelit. Dico enim, neq; aliter dici potest, nisi siquis a ueritate scripturarũ spõte aberrare uelit: eos quibus tu uis per scripturas authoritatem, & appellationem supremi capitis ecclesiæ dari, in nulla corporis parte, tum cum Christus in terris uersabatur, tum cum scripturæ conficiebantur, fuisse numeratos; nullos ab eo, ut corpori ecclesiæ insererẽtur, longius abfuisse. Id quod cum plurima scripturæ testimonia ostendunt, tum ordo ipse & progressus doctrinæ Christi, cognito scopo aduentus eius, maxime declarat, & cõfirmat. Christus enim, sicut omnes qui Christiani sumus nouimus, uenit, ut ea potestate, quæ nihil commune cum mundo habebat, mundum uinceret. ut ergo omnibus constaret, ipsius nec doctrinam, nec potestatem a mũdo esse, Elegit (ut inquit Paulus) infirma mundi, ut fortia confunderet. quod si Reges ipsos primum elegisset, quorum authoritas & potestas in mundo maxime elucebant, quis non uidet maximam fuisse confusionem futuram huius nouæ potestatis cum illa quæ prius apud Reges fuisset: nec tam constare hominibus potuisse, illam eius potestatem uere esse diuinam, neq; quicquam ab homine & mundo pendere: id quod mundo patefieri Christus uoluit. Itaq; initio non Reges, non nobiles, non sapienteis, non quẽquam eorum, qui apud homines in pretio eẽnt, elegit; Sed ut inquit Paulus, infirma mundi, ut confunderet fortia, ignobilia, & contemptibilia elegit deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt confunderet, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Viuo igitur, & in terris agente Christo, & apostolis, quãtum quidem ex scripturis cognoscere possumus, tantum abest, ut Rex quispiam caput ecclesiæ sit constitutus, ut ne partis quidem ullius in ecclesia loco fuerit; cum tamẽ dici non possit, non ante q̃ e terris excesserit, ecclesiam fuisse ab illo constitutã. cui caput certe deesse non potuit, siquidem reliquis suis membris cumulari, & tanq̃ in iustum perfectũq; corpus adolescere, ac crescere debuit. Quis autem non uidet eam creuisse primum, atq; id diu, eorum accessione, qui mundo despicabiles erant, ut illos quos mundus maxime miraretur, confunderet, deinde sensim incrementa capiẽtem, aliquando tandem Regibus etiam auctam esse, ad quos cum omnium ultimos, quasi ad pedes, deuenisset, crescẽdi finem fecisse. Illi enim

li enim ficut omnium primi in poteftate terrena, & apud homines erant, fic in diuina illa cælitusq; tradita poteftate per quam humana natura ipfa fupra fe attollebatur, omnium ultimi fuere. Quare fi nũc me idem roges, quod prius, cum omnes qui doctrinam & literas profiterentur, prouocabas, ut tibi aliquam in fcripturis poteftatem nominem, quæ Regiæ æquari poffit, non tibi iam, ut ante feci, columnas ipfas ecclefiæ edam, apoftolos inquam, & reliquos qui primitias poteftatis fpiritus dei acceperunt, quorum tu prorfus oblitus uidebaris, cu᷑ illud quæreres: uerum ita agam. Primum quæftionem ipfam magis contraham, ac tibi prius de certis hominibus refpondebo: deinde ad generalem quæftionem tuam reuertar, cui etiam in genere, quod quæris, reddam. Primum enim perinde, ac fi quæreres, cui exiftimem per fcripturas maiorem authoritatem dari, q̃ Regi, quem tu fcripturæ authoritate perniciofe abutẽs, ecclefiæ caput in regno fuo facis, refpondebo, & tibi notos homines afferam, eos ipfos qui fcripturarum authoritate cõfifi, & Regi, & tibi, tuiq; fimilibus, ufq; ad fanguinem reftiterunt. Dico enim illis ipfis, quos Rex te & tui fimilibus inftigantibus, (neq; enim ille unquam per fe tantum fceleris concepiffet) morte affecit: maiorem honorem, maiorem poteftatem tributam effe, non modo q̃ Rex ipfe habeat, fed q̃ omnes Reges, q̃ omnes Imperatores, quotquot a mũdi initio fuerunt, habuerint. hos enim, qua Reges, nullam unquam poteftatem habuiffe dico, quæ conferri cum illorum poteftate poffit, quos tu, quia gladio Regis interfectos uides, miferos putas, & minorem q̃ illum qui necauerit, habere poteftatem exiftimas. Sed cur ita iudicem, fi explicare uelim, longiore mihi opus fit oratione, apud te præfertim, qui tanquam Iudæus quifpiam, aut aliquis de fece uulgi, nullam te oftendis poteftatem putare, præter eam, quæ uel corpus necare, uel externa eripere poffit. Quare fruftra id tibi nunc exponere conarer. Verum illud tantum breuiter dixiffe non pigebit, me, cum uideam ab his uiris illum effe hoftem fuperatũ qui te, & cæteros cædis eorum authores omni fcelerum & cupiditatis genere quafi cathenis uinctos tenet: cum uideam tela illa duo lætifera, quibus nulla unquã uis humana refiftere potuerit, doloris & uoluptatis, ualidiffime ab eodem hofte, principe huius mundi, ob crebras de mũdi principibus uictorias a fcriptura appellato in hos uiros iacta & cõtorta, nihil ad ipforum animi robur frangendum ualuiffe: quum uideam nec præmiis eos ullis, quę ampliffima illis proponeban-

Reges poftremi accefferunt ad ecclefiã.

qui Regi ufq; ad fanguinem reftiterunt, maiorem quam ullus Rex, quatenus Rex, poteftatẽ habuerint.

Satanas cur princeps mundi appelletur.

tur, nec pœnis quæ sæuissimæ intendebantur, adduci potuisse, ut se de ea quam per Christum consequuti essent, potestate, ueritatem confitendi deiici paterentur, cum hæc omnia uideam: me dico non dubitaturum, quin tanquam præco quidam olympiorũ, de illorũ qui ita certarint, uictoria, honore, & potestate, hoc palam & clarissima uoce prædicem, ita illos, Regem, qui se iis aduersarium obtulerit, honore ac potestate superasse, ut ne dignus quidem sit, qui hoc tempore ullo genere potestatis cum iis conferatur. Quin hæc etiam amplius de eorum potestate dico, eam regiæ ipsi potestati, in quocunq; inueniatur, quatenus quidẽ certe regiam potestatem non excedat, esse anteponendam. Cui meo præconio ita rerum euentus fauet, ut hoc commune iudiciũ populi Christiani uniuersi nunc sit. Vbicũq; enim ii nunc nominantur, (nusquam autem non nominantur) cum maximo honore & admiratione uirtutis, atq; a Deo traditæ supra hominis naturã potestatis, eorum nomẽ celebratur: in ore omnium & amore uersantur: cum uos omnes, qui una cum uita famam uos illis & uirtutis opinionem eripere putabatis, maximo odio habeant, & diris omnibus tanquam pestifera quædam monstra execrentur, quorum uel nomina usurpare horreant. Sic ergo respondeo tuæ quæstioni certas ad personas cõtractæ. Quod si in genere etiam ex me quæris, quæ potestas regiæ æquari possit, ita dico, Potestas eorum omnium, quibus a Christo donatum est, ut pro ipso uincula patiantur, regia maior est. Ac ne id a me solum dici putes, idem a sanctissimis uiris, quorum doctrina in ecclesia maxime, quasi lux quædam fulget, didici, inter quos, diui Chrysostomi authoritas me maxime mouet, qui exponens illa uerba Pau-

Virtus interfectorũ a Rege omnibus admirationi est.

Omnium, quibus pro Christo pati datum est, maior potestas, quàm Regia.

Io. Chrysostomus.

Ephe. iii. 1

li, Vinctus Iesu Christi, præfert hunc honoris titulum non modo regio nomini, sed ipsis etiam apostolis, sed ipsis angelis atq; archangelis. Verum tu simplicitatẽ horum hominum rides, qui potestatem aut dignitatem iis tribuant, qui fortiter acerba patiuntur. Sed nos non ita dicimus, nisi etiam pro Christo patianẽ: quemadmodũ illi sanctissimi uiri, a Rege, quod maxime est dolendum, Christiano, grauia sunt passi, quia sponsæ Christi ecclesiæ, cum de ea in plura membra discerpenda ageretur, deesse noluerunt; suaq; potius ipsi corpora dissecari, q̃ ab ecclesiæ corpore tolli unitatem sustinuerunt. Hoc quidem modo, & similibus de causis posse pati, Paulus maximum Dei donum esse testatur, qui ad Philippenses scribens, cum illis de hoc tanto dono gratulatur, sermonem hoc modo cõcludit. Vobis donatum est a Chri-

Phil i. 29

sto, non

ſto, nõ ſolum ut in eum credatis, ſed ut pro eo patiamini. Sed tu ,,
ne umbram quidem huius poteſtatis & gloriæ animo concipere
potes, qui nunq̃ eam guſtaſti, ut aũt ſcripta tua declarant, aliam
nullam poteſtatem intelligere potes, præter ciuilem, & ſolum ci-
uilem gubernandi modum te agnoſcere oſtendis. Sic enim illa
tua uerba apertiſſime declarãt, in quibus ais, te etiam ratione ab
ipſa natura ducta probare uelle, Regem neceſſario caput eccle-
ſiæ eſſe. Qua in re ut apertior ſit ſententia tua, uerba ipſa ponã,
quæ hoc modo ſe habent. Quis neſcit totum regnum unum poli- ,, *Sampſonis uerba.*
ticum eſſe corpus, ſingulos homines huius corporis eſſe mẽbra? ,,
ubi nam eſt huius corporis caput? eſt ne aliud q̃ Rex? aliud pla- ,,
ne non eſt. aliud uſq̃ plane reperiri non poteſt. Vſus rei hoc te ,,
manifeſte docet. Quid fieri, quid ſtatui, quid decerni, ſine regio ,,
conſenſu poteſt? Vides ne ſupremi capitis ſupremam poteſtatẽ? ,,
Video equidem (ut tuis ultimis uerbis primum reſpondeam)
ſummam in te malitiam eſſe, qui ciueis tuos decipere ac fallere *Caput, æquiuoca di-*
coneris, homonymia uocabuli capitis, quo duæ res ualde inter *ctio.*
ſe differentes, communiter appellentur. Nam quin Rex in poli-
tia caput eſſet, quis unquã tibi negauit? hoc etiã uſus, ut dicis,
oſtendit. Sed num, quia in politia ſupremi capitis locum habet, *Nõ conſequitur, quia*
eundem continuo locum in eccleſia teneat? Quis te docuit tam *Rex regni caput ſit,*
malitioſe argumentari? Ideo enim malitioſam hanc argumenta- *eundem eccleſiæ ca-*
tionem, & ad ciues tuos decipiendos confictam dico, quia non *put eſſe.*
poſſum exiſtimare te, aut tam rudem literarum, aut tam alienũ a
communi hominum intelligentia, expertemq; rationis natura-
lis, a qua te profiteris hoc loco probationem ducere; ut ex ani-
mo iudices hoc genus argumentationis ualere, quia in ciuitate
omnes ciuium cauſæ referantur ad Regem, tanquam ad ſupre-
mum caput corporis politici, iccirco in eccleſia, quæ nihil com-
mune cum corpore politico habet, idem fieri debere, ipſum etiã
in eccleſia ſupremum caput eſſe. Quis unquam, niſi penitus ratio
nis expers, ita argumentaretur? At certe pro patre tuo, ſi is uiue
ret, & familiæ alicuius pater eſſet, longe melius concluderes ex
iiſdem principiis, Regem ipſum eſſe, & corporis politici ſupre-
mum caput. Patres enim familias, & omnino qui uxores habẽt,
in ſcripturis capitis nomine appellãtur. Vir enim caput eſt uxo
ris, inquit Paulus: & habet ſua membra, eos qui ſunt in familia, ,, *i. Cor. vii.*
qui quidem ad ipſum omnia, tanq̃ ad ſupremum caput, referunt.
Quid enim in domo ſtatui, quid decerni, ſine conſenſu patris fa-
milias poteſt? ergo pater tuus Rex eſt, ergo caput corporis poli-

tici. plus enim affinitatis habet gubernatio œconomica cum politica, q̄ politicia cum eccleſiaſtica. neque tantum infra dignitatem politicæ gubernationis eſt œconomica, quãtum politica eccleſiaſticæ cædit. Itaq; multo commodius ratio concluderet, patrem tuum eſſe Regem, quia regat domum, quã Regem eſſe caput eccleſiæ, quia regat ciuitatem, aut regnum. Sed tota tua ratio concludit, te eccleſiam exiſtimare corpus politicũ eſſe. quod ſi ita eſt: equidem hac in parte crimine malitiæ te libero, ſed idẽ

Inter eccleſiaſticum corpus, & politicum permultum intereſt.

perniciosa ignorantia obcæcatum eſſe dico. Quantum enim diſtat cælum a terra, tantum inter ciuilem poteſtatem & eccleſiaſticam intereſt: tantum hoc corpus eccleſiæ, quod eſt corpus Chriſti, ab illo quod eſt politicum, & mere humanum, differt. Diuerſum etiam modum gubernandi indicant illa Chriſti ipſius uerba ad eos quos in eccleſia rectores conſtituit. dicit enim, Reges gentium dominantur eorum. uos autem non ſic. Nullam porro differentiam te ponere inter hæc corpora, declarat aperte, quod ſuperius quærebas, num ulla mentio in ſcripturis haberetur alicuius poteſtatis, quæ regiæ æquari poſſet, quaſi illa ſupremum locum in omni genere gubernandi teneret. Quod ſi ita eſſet, iaceret quidem tota doctrina Chriſti, nulla prorſus eſſet eccleſia; fruſtra ueniſſet Chriſtus. Sed prius cælum & terra deficient, q̄ Chriſti uerba. eccleſia autem ſic ſupra petram eſt fundata, ut nulla poteſtas, nec in cælo, nec in terra poſſit eam demoliri. Chriſti uero aduentus fructum, etſi tu non ſentis, ſenſere tamen omnes, quicunq; uel æternam miſeriam fugere, uel aliquam felicitatis partem, aut in hoc mundo guſtare, aut in futuro conſequi ſe poſſe, ſpem aliquam habuerunt. ex quo ſolo, uniuerſæ quidem creaturæ ſalus & duratio pendet. Hæc ergo ſtabunt, tu uero & reliqui omnes qui hac ſententia eſtis, ut putetis nullam eſſe poteſtatem datam hominibus regia maiorem, omnes peribitis. Atq; utinam, ſi omnino uobis propoſitum eſt, hanc ad perniciem & interitum uiam tenere, non unà uobiſcum optima indole principem traheretis, cum qui non ita pridem deliciæ eccleſiæ, & non minima, ſecũdum Deum, totius Chriſtiani nominis ſpes habebatur. quem uos nunc ſic corrupiſtis, ut uix aliquid ab eo boni ſperari poſſit, certe ut omnia potius mala boni omnes timeant. Et profecto ita eſt Princeps, de te enim magno meo cum dolore loquor, & iam te appello. Si te ulla exempla ampliſſimorum & ſanctiſſimorum hominum ab hac pernicioſa perſuaſione reuocare poſſent, ſi conſuetudo optima mouere, tu non ſic quaſi in cæno hærens,

Luc. xxii.

Luc. xxi

rens, iaceres in potestate pestilentissimorum adulatorum, desperata prope ab omnibus bonis salute tua, cum summo mœrore omnium, qui te ex animo amant. Adsunt enim hæc omnia, adsunt quæ te quidem liberare possent, nisi tu ea reiiceres, nisi sic eos qui tibi opitulari cupiunt, tractares, ut omnes desperatione potius tuæ uoluntatis, quæ sana consilia auersari uideatur, quàm quia ipsis facultas desit tui adiuuandi, ab eo deterreantur. Et tamen cum mihi hoc oneris tuo mãdato imponeretur, ut ipse quid in hac causa sentirem, dicerem: non defuerunt qui mihi scriberent, si rationes, sed eas ex sacris literis depromptas, afferre possem, quibus opinionem refellerem eorum quos tu authores secutus esses, te minime illas aspernaturum. sine his autem rationibus, nihil esse causæ, cur quisquam speraret, se aliquid apud te posse proficere. Quod utinam ita esset, ut tu rationes libẽter audire posses. tum enim non sine magna spe ad hoc faciendum aggrederer. etsi aliæ sane erant potiores uiæ, quæ & facilius & tutius ad ueritatis portum in eiusmodi difficultatibus nos ferrẽt. Nihil enim admittere in iis quæ ad religionem pertinẽt, præter ea quæ nobis ratio nostra comprobet, quantumuis scripturæ sacræ authoritate se uẽditet, id uero cum semper est periculosum, tum in multis solet etiam esse perniciosum. Sed tamen quoniam hunc solum ad te aditum nobis, qui salutare consilium tibi dare cupimus, relinquis, si rationes e scripturis deprõptas afferre possimus: hæ quidem, ut spero, non deerunt. Hoc tamen tibi a Deo concedi optamus, ut sic lumen suum oculis tuæ mẽtis præferat, ut cum allatæ fuerint, eas agnoscere & percipere possis. quæ sane nisi in lumine diuino, cerni mentis acie nequeunt, ut pote ex iis ductæ scripturis quæ Dei spiritu dictante exceptæ sunt. Verum illud, quid Deo placeat, tum constabit, cum in medium prolatæ erunt. Nũc autem priusquam hoc facio, ut rationes ex ipsis scripturæ sacræ libris proferam, libẽter de te Princeps hoc quęsierim, Ecquid apud te ualeat consuetudo ecclesiæ? Ecquid mos maiorum? Ecquid exempla clarissimorum, atq; optimorum uirorum? Vel si in omnibus probationes audire uis, hoc modo tibi proponam. Cum ab hac sentẽtia, quam ueram esse defendimus, stet consuetudo ecclesiæ iam a multis seculis firmata, stet mos maiorum, stent exempla clarissimorum & sanctissimorum hominum: alteri autem cui tu adhæres, nec mos, nec consuetudo, nec ullum exemplum boni, aut clari alicuius uiri patrocinetur: quæ uel nunc primum excogitata a uobis, noua omnium auribus ac-

Rex nullas rationes audit, nisi quæ sunt ex cra scriptura se tiæ.

In religione nihil admittere, quod ratio non probet, periculosum.

Consuetudo ecclesiæ, mos maiorum, exempla clarissimorum virorum cõtra Regem faciunt.

cidit: uel siquando a quopiam prolata est, (quod equidem uix puto) sed ut fuerit prolata, statim optimi cuiusque cõsensu explosa est, & cum authore suo damnata: parum ne hęc probatio apud te ualebit, ut tu concedas hanc nostram ueram, salutarem, maxime amplectendam sententiam esse, alteram uero reiiciendam, & abominandam, ut quam nullus unquam bonorum cõsensus probauerit? Audio equidem nihil ualere, sed hoc te solitum esse dicere, cum huiusmodi rationes afferantur, id genus argumentandi hominum esse rudium & indoctorum, qui cum rationum penuria laborent, pro argumentis, consuetudinem & morem ecclesię opponant. quod siqui ita agant, uel ingenio, uel doctrina aliqua niterētur, nequaquam commissuros, ut simplicissimos e uulgo homines, aut etiã mulierculas imitarent̃. Solere enim idiotas hoc modo disputare, ut quoties urgeantur, nec rationem ullam reperiant, dicant, maiores suos ita uixisse, consuetudinem talem esse. Sed tamen Princeps, audio uiros illos quos tu ipse, antequam de noua hac sententia interrogarentur, cum doctissimis totius orbis comparabas, reliquis autem omnibus facile tuo iudicio præferebas, nemo certe in iis duntaxat quę profitebantur, inscitiæ unquam arguit; illos igitur tales uiros audio, cum plurima ex sacris libris argumẽta ac testimonia attulissent, quibus suam causam tuerentur, hãc tamen rationẽ esse imprimis amplexatos, quod dicerent, consensum ac consuetudinem ecclesię secũ facere. Huic rationi sic Roffensis, & Morus adhærebant, ut reliquis omnibus, quæ dici possent, & quas dixissent, omissis, hanc semper tanquam præcipuam, in corde & ore haberent, cum qua etiam mori uoluerũt. O magnos illos uiros, & Deo charos: qui cum alias semper in omni genere literarum, quæ liberali & Christiano homine dignæ sunt, se præter cæteros omneis populares suos excellere ostendissent, tum certe hoc uno responso, etiã prę cæteris spiritus diuini plenos declararunt, dum ecclesiæ consensum, reliquis omnibus & rationibus, & argumẽtis, authoritatis pondere prætulerunt. in quo sane quanta uis sit, nemo intelligere potest, qui non per ipsum Dei spiritũ supra omne id quod humana ratio excogitare põt, sublatus sit. Sed de hoc post, ut spero, dabit̃ locus latius differẽdi. Nunc illud tñ dicam, qui in hac re spiritus lumen, & uim non sentiat, ut quantum ualeat consuetudo & consensus ecclesiæ, animo perceptum habeat: eum ne rationes quidem ex sacris literis ductas posse unquam intelligere. prorsus ut possim merito dicere, frustra me conari, qui tibi ue

Roffensis, & Morus consensui ac consuetudini ecclesiæ plurimum tribuebant.

lim

lim rationibus ex sacra scriptura depromptis hãc meam senten-
tiam confirmare, cum ecclesiæ consensum tam parui facias. Sed
ne desperemus, rationes in medium afferamus, reliqua Deo atq;
illius spiritui committamus, qui ubi, & quando uult, pro sua uo-
luntate, spirat. Tibi uideo, nisi rationibus adductis, satisfieri nõ
posse. Atq; utinã uel sic satisfieri tibi patereris, ut rationibus te
regi permitteres, & quo illæ uocarent, sequi non recusares. Sed
magnam & uehementem suspicionem præbes, te ne iis quidem,
ut cunq; causam explicantibus, parere uelle. Suspitio autem hæc
est, qua nulla maior esse potest, ꝙ cum libros lego, qui tuæ opi-
nionis sententiam continent & defendunt, non modo testimoni-
um scripturæ nullum illic reperio, sed ne argumentationem qui-
dem ullam probabilem animaduerto. & tamen sic te isti senten-
tiæ affixum ostendis, ut nullus fame stimulatus leo magis prę-
de adhæresceat. quam quidem sententiam, quasi prædam, sic mor-
dicus tenes, ut quicunq; te inde quoquo modo diuellere conen-
tur, in eos ineptum facias, eos opprimas, ut multos iam a te hãc
unam ob causam oppressos uidemus. Quid ergo? credã ne te ra-
tiones quærere? qui simul ac a te duo tantum illa uerba audisti,
Regem honorificate, cum cõtra pro Petri authoritate, quo cum
nunc de honore contendis, cui parem te honore, & potestate fa-
cis, audias (ut nihil aliud nũc afferam) Christi ad eum uocem,
clarissimum potestatis traditæ testimonium, Tibi dabo claueis
regni cælorum: cum audias curam Christi ouium ab ipso Chri-
sto illi commissam his uerbis, Petre si me amas, pasce oueis me-
as; cum hæc audias, plus moueare duobus illis apostoli uerbis,
Honorificate Regẽ, quæ tamen nisi uiolentissime detorta, eam
sententiam, quam tu tueris, nunquam referent. Quod si neutra
pars ulla scripturæ uerba proferre posset, quibus quod defende
ret, probari expresse ac nominatim uideretur, tamen qui præse
ferret, sicuti tu nunc facis, ratione se duci, eum certe conueniret,
ubi maior rationis similitudo appareret, ubi maior copia argu-
mentorum, & probabiliora omnia ostenderentur, eo potius acce
dere. Tu autem contra nunc facis, etsi unum tantum profertur,
in quo nulla sit ne tenuissima quidem rationis similitudo, dum
quod cupis, quoquo modo concludat, id arripis, id retines, ei
hæres. & tamen, si Deo placet, te ratione duci ut credamus, postu
las. Sed hic dicere potes, quod sæpe a te & tuis iactatẽ, quod ma
iorem uim omni ratione habere uis, te non tam rationes nũc se-
qui ex scripturis prolatas, (in quibus quidem scripturis si nihil

Magnam Rex suspitionem præbet, quod rationibus parere nolit.

Rex cum Petro de honore certat.

Mat.xvi.

Io.xxi.

Eò accedendum ubi maior rationum, & argumẽtorum copia.

repugnans tuæ ſententiæ inueniretur, ſatis fuiſſe futurum: cum uero non modo nihil diſſentiens, ſed illud, quod magnam probabilitatem pro tua ſententia habeat, illinc afferatur, hoc plus quam ſatis tibi eſſe) te inquam dices non tam rationes ſequi, q̃ conſenſum tuorum, conſenſum omnium ordinum regni tui, qui hunc tibi honorem detulerunt, ut ſupremum caput eccleſiæ in regno tuo eſſes, & huius nominis dignitatem haberes. hoc te conſenſu moueri, quo conſtitutus ſis, non ſolum rerum ciuilium, ſed eccleſiaſticarum etiam caput, ut ad te, & ad tuũ tribunal, omnes cauſæ & controuerſiæ deferãtur, ut tu arbiter, tu iudex omnium ſis, omneſq; cauſas cuiuſcunq; generis fuerint, tuo iudicio atq; authoritate decidas. O Conſtantinum illum magnum: nõ enim me teneo, quin hoc loco exclamem, illumq; appellem, quin illius factum quoddam cum tuo ſimili in cauſa nũc comparem. Quanquam res ipſa fortaſſe poſtularet, ut ſtatim tuæ iſti reſponſioni occurrerem, ac dicerẽ, neq; primates regni tui ius ullum habuiſſe tibi hunc honorem deferẽdi, neq; te iure potuiſſe accipere ab his delatum, qui dare non potuiſſent, quod utrunq; contra ſacramentum, quo ambo obſtricti eſſetis, fieret. Sed de hoc poſt aliquanto dicam. Nunc autẽ facere non poſſum, quin magnum Conſtantinum appellẽ, & eius factum quoddam exponã, quod cum tuo haud diſſimili in genere comparem, ut ex hac comparatione clarius appareat, quale tuum iſtuc factum ſit. Ille igitur cum in concilio illo nobili Niceæ habito, trecentorum & octodecim epiſcoporũ, intereſſet: Tum autem, ut inter homines iiſdem literis & artibus præſtantes nunquam fere non accidit, primum ut æmulatio oriatur, deinde ut ſenſim ex æmulatione, opinionum uarietas naſcatur, & tandem ſeditio erumpat: idem illis epiſcopis uſu ueniſſet, qui cum literis & ingenio omnes excellerent, non omnes ſe ab æmulatione continebant, ex quo opinionum ac ſententiarum diuerſitas extiterat, quæ tandem ad maledicta uſq; & apertas accuſationes proceſſerat, tantumq; iam exarſerat, ut utraq; pars ira demum poſſe in commune optime conſuli putaret, ſi omnes præſentem Imperatorem iudicem & diſceptatorem ſuarum controuerſiarum feciſſent. cum ergo, ita tunc eſſet factum, & ſcriptos libellos, quibus capita accuſationũ continerentur, pars utraq; imperatori obtuliſſet, quid tum ille fecit, tanta ſibi authoritate delata ab iis qui maxime tum in uniuerſo orbe literis & uirtute præſtare exiſtimabantur, quorum conſenſus & authoritas reliquum orbem chriſtianum obligare poſſet?

Cõſtãtinus Magnus laudatur, qui delatam ſibi ab epiſcopis iudicandi poteſtatem recuſauerit.

Concilium Nicenũ

Quid

Quid quæso fecit magnus Imperator? recepit ne illã iudicis personam in florem illum sacerdotum ecclesiæ, ut maior fieret, & sibi dignitas ex eo cresceret? nihil minus cogitauit. Sed quid fecit, ille uere magnus uir? recusauit plane iudicis in eos personã; & ex eo maximus apparuit. & pro iudicis ac superioris potestatis, filii personam induit: atq; ut filius errantem patrem summa cum reuerẽtia moneret, sic ille episcopos illos omni honore uerborum adhibito, admonuit, cogitarẽt qui nam essent, & in quã excelsum honoris gradum a Deo uocati essent, quos deus supra omnes Reges, & Imperatores constituisset, de quibus illud in Psalmo dictum esset, Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. Tandem uero, cum ad hanc plenam pietatis admonitionem preces suas adiunxisset, & obsecrasset, ut finem tandem dissidendi facerent, & digna tanta uocatione facta præstarent, conclusit de illorum controuersiis hoc modo, ut diceret ad nullum nec Regem, nec Imperatorem pertinere, ut iudicis in illos personam gereret, sed tãtum ad eum, de quo in Psalmis scriptum esset, Deus stetit in synagoga deorum. Hæc quidem ille tum magnus, uel potius in omne æuum maximus. quid autem ex hoc præclaro facto consequutus est? Sane illud, ut pudore uicti episcopi, omnes contentiones deponerent, & inter se reconciliarentur, Tum autẽ ut summo consensu ad maximum ecclesiæ commodum ea statuerent, quæ iam inde ab illo tempore tot sæculorum spatio, nõ minore religione ab omnibus catholicis christianis obseruantur, q̃ quæ in ipsis euangeliorũ libris perscripta sunt. Hoc enim fuit nobile illud Nicenum concilium, cuius acta postea non aliter ubicunq; Christi nomen colitur, in honore habentur, q̃ ipsa apostolorum scripta: quæ nemo, qui quidem christianus sit, non ab ipso spiritu sancto edita fatetur. Quid ego nunc contra de honore tibi delato dicam in magna contẽtione episcoporum inter se? an hoc dicam, te exemplo Constãtini, eorum paci ac conciliationi, studere debuisse? honorem tali tempore delatum accipere non debuisse, quoniam ad te nõ spectet, ut iudicem agas in eos, qui in ecclesia suprema dignitate funguntur? Non ita dicam, nõ ero tam seuerus. sed hoc dicam, hunc honorem certe petere non debuisses. hoc dicam, petere adhibitis etiã minis non debuisses. ab inuitis exprimere non debuisses, quemadmodum me quidem præsente fecisti, qui certis diplomatis, quibus maximæ ab illis tibi concessæ pecuniæ testimonium cõtinebatur, subscribere recusaris, nisi illud esset ascriptum, tibi eam pecuniam, ut supremo

Margin notes: Psal. lxxxi. — Ibidem. — Concilii Niceni authoritas. — Rex Henricus titulum suum ab inuitis extorsit.

in Anglia ecclesiæ capiti persolutam esse. sed si in hoc quoq; nimium oneris tibi impono, certe contra iusiurandum fidemq; ecclesiæ datam, quo die insignia Regis accepisti, nihil tale moliri debuisses. Tum enim hoc te sacramento obstrinxisti, ut sancte iurares, priuilegia ecclesiasticis uiris a maioribus tuis cōcessa, non modo non ipsum diminuturum esse, sed ne passurum quidē ut quisquam alius te regnante uiolaret. Sed querar ne de priuilegiis non ab alio sed a te ipso sublatis, cum fundamētum omnium legum ecclesiasticarum iam, quātum in te est, euerteris? cum ecclesiam a capite suo diuellere coneris, & quasi cum tuis quæstoribus negotium habeas, omnium rerum ante actarum rationem reddere cogas? ne caput quidem esse uelis, ni libros proferat, rationes ostendat, quare Pontificem Ro. tot annos ipsa pro uicario Christi agnouerit? Quid quæso unquam simile in ecclesia Christi est auditum? Cum tot Reges iam inde ab initio ecclesiæ fuerint, & in iis tot boni, tot improbi, nemo tū unq̄ nec Rex tam ambitiosus est repertus, qui hunc honorem appeteret, nec adulator tam pestilens, quod quidem maxime est mirādum, qui quasi prædam aliquam obiiceret. Quapropter siqui adulandi artificio reliquos omneis superarunt, tuam optimam indolem, cui omnes insidias struxerant, corrupere: nihil mirum, maxime certe est dolendum. hoc enim adulationis genus est, quod omnium est sceleratissimum. Quid enim sibi uolunt, qui dicunt, quia Rex es, ideo caput ecclesiæ es? An tu maior Rex Constātino, qui etiā Imperator fuit, ad quem regnum ipsum tuum sic pertinebat, ut uix minimæ particulæ locū in eius Imperio teneret? An eo tempore defuerunt, qui hunc honoris titulum libēter ei detulissent, si ulla iuris specie hoc se facere posse putassent, præsertim in tanta turba hæreticorum, quanta tum fuit, quibus hoc præcipuum semper studium fuit, ut Principum animis omni adulandi ratione corrumpēdis suas partes tuerētur? Sed isti tui consiliarii, qui omnes & adulatores qui unquam fuerunt, exquisito quodam genere adulandi, & hæreticos malitia anteeunt, non te patiūtur ad unius hominis quamuis magni & præclari, exēplum respicere. Sed num unius tantum exemplum propono? quod etsi facerem, plurimum tamen moueri deberes, eius præsertim uiri, qui & Britanniæ nostræ maximam gloriā attulit, in qua ex matre religiosissima, ipsa etiam Britanna, natus est, & post acceptam a Principibus Christianis religionem, longe omnibus uirtute, & religionis laude, omnium iudicio est prælatus. Verum illius ne tantum

Adulatores corrupe runt Regis animum.

Rex Henricus Constātino maior nō est

Constantinus in Britannia natus, matre Britanna.

modo & non omnium qui adhuc fuerunt, Christianorum Regũ exempla profero, cum te ab eo honore inuadendo reuoco, quem aio nullum unquam Principem ante te ausum esse accipere? an abs te ita seuere exemplum Constantini exigo, ut uelim in priuatis causis, quales fuerunt illæ episcoporum querelæ, iudicis te & arbitri personam in tales uiros recusare, quemadmodum ille fecerit: cum tamen, nisi eximia quædam illius obedientia, & in Christos Dei reuerentia obstitisset, accipere ab illis delatam iure potuisset? equidem hæc eximia abs te non requiro, quãquam ea certe indole aliquando fuisti, ut nihil magnum & eximium a te non esset expectandum. Sed hanc omnẽ spem adulatores tui, quibus solis aures iam præbes, plane præciderunt. Quare illa nunc non requiro: hoc requiro, & flagito, quod certe sine scelere denegare non potes, ut saltem ordinem sacerdotalem, diuersum & separatum a Regis munere esse patiaris: ut id munus diuina tractandi, præstantius esse uelis eo munere, quod totum ad humana curanda comparatum est. hoc a te exigo, quod natura ipsa exigit, quod Dei ordinatio statuit. in his ut ad exemplum illius magni Imperatoris te geras, postulo. qui cũ dignitas præfectorum ecclesiæ, nondum esset in oculis hominum ita perspicua, nõ dum ita emineret, quemadmodum illam Christus postea eminere uoluit, quando in conspectu orbis, omnibus mundi rectoribus, ipsis libentibus & ultro concedẽtibus, sacerdotes præfecit, cum nihil adhuc tantæ authoritatis emineret in sacerdotibus, & ecclesia: cũ ipsa adhuc quasi adolescentula esset, & non dum constaret, an ad eam dignitatem, qua supra naturam attollebatur, Deus etiam leuiores hosce honores, & bona mundi adiungeret: Tamẽ ille magnus honorem adhibuit: agnouit episcopos in ecclesia Dei supremum locum, superiorem omnibus mundi rectoribus, sibi a Deo datũ tenere. quod si ille tum nouit: hoc a te exigo, ut hoc tempore, cum principes & rectores mundi ad Christi gloriam fasces suos sacerdotibus summiserunt, ne tu contra eos ad tuam dignitatem augendam, illorum autem minuendam, uel potius tollendam, fasces & lictores tuos immittas; ne te caput illorum constituas, cum tuum officium longe aliud sit, cum nemo te huc uocet, nulla authoritas, nulla lex, nulla consuetudo, cum hæc omnia contra te faciant, te repellant, & facti iniuriam maxime condemnent. Quod si nec exemplo unius, nec plurium, nec ulla omnino lege aut cõsuetudine moueri potes, ut istam tam opimam prædam e manibus emittas, illud saltem attende, quid ra-

Requirit a Rege ut sacerdotale munus a Regio munere distinctum esse sinat.

Principes sua sceptra sacerdotibus ad Christi gloriam summiserunt.

tio naturalis,& diuina dictet, & quãdo rationis nomen semper in ore habes,cõsidera saltem quid naturalis ratio de tuo primũ, idest Regis,deinde de sacerdotis officio nos doceat. Illa uero primum te reiiciet ad finem & originem utriusq; considerandã, deinde ad munus quod tractant,& qua ratione uterq; in suo mu nere se gerat,te attendere iubebit.Sed ubi nunc Sampsonſuide tur aufugisse.Atqui hic,si usquam,uireis suas contra sacerdotũ dignitatem experiundi locum habebat,ut principium, progressum,perfectionemq; ac finem,tam regii muneris,q̃ sacerdotii no bis explicaret.quæ sane, si manus cum aduersariis conserere in animo habebat,si in contẽtione & comparatione regii muneris cum sacerdotio Regem sacerdoti præponere, necessario ipsi explicanda erant.Sed nunc non comparet Sampson, subtraxit se, nihil prorsus dicit,nec de origine,nec de fine. hoc nũc mihi tol lendum,ac sustinendum onus reliquit;quod ego certe,ne qua in re quæ ad explicationem huius causæ pertineat, subter fugisse uidear,libenter subibo.Sed eo breuius,quo id maius est,q̃ ut in concursu aliorum argumentorum tractari debeat : quod ipsum per se magnum uolumẽ desideraret,siquis hoc præcipue ageret, ut utriusq; muneris & officii,regii (inquam) ac sacerdotalis,or tum,progressum,finẽ,rationemq; omnem tractaret. Sed eo etiã breuior ero,quod aduersarius hac in re,nullã mihi causam diutius immorandi præbeat,qui nihil ipse attulerit, quod mihi esset refellẽdum. Ego uero ea nũc,ut spero,afferam,quæ maxime cum breuitate perspicuitatem habebunt.Crassa autem Minerua agam,ut saltem quæ dicam,ab omnibus intelligantur,quod con tra Sampson facit,ut omnibus tenebras offundat,& omnia perturbet.Sic uero nunc agam.Primum de origine regiæ dignitatis & muneris disputabo. in quo illud mihi ante omnia succurrit,idem principium fuisse regii muneris apud uniuersas nationes,quod olim fuit apud populum Iudæorum. Quæ res ita describitur primo Regum.Cum populus Israel iudicum tædio ui ctus,& simul q; unius ductu,penes quem summa rerum esset,me lius bella in hosteis geri & administrari posse existimaret, Regiam potestatem desiderare cœpit. Sed uerba ipsa ponam, quæ sic se habent.sunt autem populi Samuelem alloquẽtis, qui sacer dotis,& iudicis locum tenens,eos ante regebat . Ecce tu senuisti,& filii tui non ambulant in uiis tuis. Quid autem hoc sibi ue lit,in eodem loco paulo superius explicatur,cum scriptura dicit de filiis Samuelis,qui erat uir iustissimus. Et non ambulauerũt filii

Sampson fugit ubi maxime pugnãdum fuit.

De origine muneris Regii.

I.Reg.viii.

filii eius in uiis eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera. Hæc ergo una occasio expetendæ potestatis regiæ fuit, iniustitia eorum qui rempublicam gubernabant. Altera uero, quod commodius res bellicæ ab uno, qui regium nomē obtineret, tractari posse uiderentur. Vtranque autem simul explicat Hebræorum populus Samueli, cuius consilio, cum is a Rege accipiendo dehortatus esset, minime assentiebatur. Nequaquam inquit, sed Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes nationes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit pro nobis bella nostra. Hæc illi. in quibus uerbis ostēdunt se similes futuros cæteris nationibus, si unum haberēt, qui Regis nomine appellaretur, cui hæc duo commissa essent, iuris dicendi in rebus & cōtrouersiis ciuilibus authoritas, & belli gerendi, siquando uim hostium depellere oporteret, potestas. hæc enim erant officia regis apud alias nationes. & sane similem originem, neque quicquam diuersam apud alias nationes Reges habuerunt. Nec uero aliam Philosophi, & politici homines, qui de iis rebus scripsere, causam reges constituendi afferunt. Postquā enim multa de natura hominis, qui animal est sociale, tradiderunt, illud addunt: ad arcendas & prohibēdas duas quasi pesteis omnis societatis, in qua uita hominis naturæ congruens continetur, iniustitiam domi, & ab externis uim: homines se se sponte sua unius imperio subiecisse, qui domi quidem potentiorum iniurias ab imbecillioribus prohiberet, & omnes æquabili iustitiæ regula in officio contineret: foris autem, siquando opus esset, ciuium opera ad hostes ulciscendos uteret. Si igitur ad hæc amolienda, populumque in illa perpetua societatis cōcordia tuendum, humana sola prudentia, humana fortitudo, humanæ leges hominum ingeniis inuentæ, sufficerent, & hic finis hominis ultimus in uita ciuili positus esset: tum certe nihil in rerum natura supra Regem esset uideretur, nullius munus eius muneri præferendum esset. Sed si ad multitudinē in officio, & in ciuili illa societate continendam, nec satis est eius hominis prudētia, qui nihil supra prudentiam suam spectet; nec satis hominis fortitudo, qui nullam spem maiorem sua ipsius fortitudine habeat, cum regium munus hæc nō excedere origo ipsius doceat: si est aliud, quod altiori modo, & ciuilem societatem perfecte tueri, & uim humana maiorem aduersus hostium impetus afferre, idemque ab homine administrari possit: necessario id munus, & officium, omni regio muneri, quod humanam prudentiam non excedat, est

Duobus de causis cōstituti sunt Reges.

Ibidem.

Homo, animal sociale.

Rex humana prudētia et fortitudine nititur.

præferendum. Quæ autem historia est, quæ de sacerdotum muⸯ nere & officio taceat? quæ unquam hominum societas, se ipsam uel domi a suis tueri, uel foris ab hostibus defendere potuit, ubi sacerdotum opera non eminuerit? Si enim nulla unquam hominum natio fuit sine cultu diuino, nullam plane unquam fuisse in qua sacerdotum opera non præcipua extiterit, necessario concludere possumus: qualis uero hæc eorum opera fuerit, quantæ diⸯ gnitatis & honoris, quam uim habeat: si cum Regibus, sacerdoⸯ tes maiestate ac dignitate muneris uolumus comparare, iam est explicandum. Sed neq; magna explicatione indiget, res tantum notanda est. Nam in quo utriusq; opera uersetur, nemini obscuⸯ rum esse potest qui oculos ad eorum actiones conuertere uelit, & parumper cōsiderare, quid, & quibus cum uterq; agat. At hoc de Rege iam dictum est, prudētia illum humana, fortitudine humana, res populi tueri & defendere. Sacerdos autem quicquid agit, ex diuinis legibus, ex oraculis diuinis, quibus semper ceⸯ dit prudentia humana, cedunt semper leges ciuiles, cum populo agit. Quot uero exempla nobis suppeditant historię, quibus inⸯ telligamus, cum ratio humana hominum animos accendere ad pugnam in hosteis nullo modo posset; uel unum uerbum ex ore sacerdotis prolatum, quasi ex ceruis propter animi timiditatem, leones in fortitudine ostendenda fecisse? Quoties uero Princiⸯ pes ipsi & Reges, capta iam consilia deponere, priora acta rescindere, interposita sæpe religione, in qua sacerdotū totum munus uersatur, legimus? Quod autem de Romana ciuitate scribit Valerius, declarans quem locum in ea religio semper habuerit, quę imperii magnitudine, omnibus de quibus unquam aliquid meⸯ moriæ proditum est, prętitit: idem de reliquis gentibus quæⸯ cunq; res magnas gessere, & Imperium suum plurimum auxere, est existimandum. Sic uero ille scribit de Romanorum ciuitate.

Sacerdotale munus cum regio officio cōparatur.

Valerius Max.

" Omnia inquit, religioni postponenda semper hęc ciuitas duxit,
" etiam in quibus summæ maiestatis decus conspici uoluit. Qua
" propter non dubitauerunt sacris Imperia seruire, ita humanarū
" rerum se habitura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ beⸯ
" ne atq; constanter fuissent famulata. Si ergo summa imperia seruierunt sacris, quid dicere possumus, nisi munus Imperatoris, seruire muneri sacerdotis? quod aliud certe non est, q̄ ut sacra tractet, diuinam uoluntatem ex diuinis libris, Imperatoribus & Regibus promat: cui famulantes Imperatores, & Reges, se regimen humanarum rerum habere merito existimabant. Sed relin

Munus Imperatoris, seruit muneri sacerdotis.

quamus

quamus parumper historias, in naturam utriusq; muneris, & officii parumper, & in ipsam originem si fieri potest, penetremus. Et quidem de Rege iam diximus, quasi partum naturæ laborantis Regem esse, quæ sui conseruationem primum & perpetuitatem semper appetit. Cum enim natura humana ita constituta sit, ut singuli sibi ad uitam sufficere non possint, sed societas quærenda sit, ut singulis bene sit, hinc primum natura ad societatem impulit: nō esse bonum homini per se separatim uiuere, etiam in hoc natura agnoscit, quod sine societate non modo commoda uitæ, sed ne uictum quidem necessariū singuli sibi parare possunt. Vt ergo uiueretur, societas fuit primum quærenda, multitudo congreganda. Sed cum multitudo sua sponte sit apta dissolui, nisi ab uno aliquo contineatur, & quasi colligetur, hinc cadē natura, dissolutionem timens, & se in longissimum æuum propagare cupiens: unius gubernationem induxit, qui quę in singulis ad uniuersæ multitudinis salutem conseruandam, & perpetuandam pertinerent, ea gubernaret, atq; disponeret. Atq; hoc principium Regum, hic ortus Imperii unius, cuius initium est propter conseruationem plurium. Propter populum igitur Rex, non populus propter Regem. cuius adhuc initiū, si clarioribus uerbis audire uolumus, illa M. Tullii maxime nobis ob oculos, hoc quod quærimus ponent cum de fine illo, quem rectores rerum publicarum proponere sibi debent, scribit. in illo enim fine initium, & totum id quod ad Regis munus pertinet, continetur. sic autem ait. Vt gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori uictoria, sic huic moderatori Reip. beata ciuiū uita proposita esse debet. Hic ergo finis Regis, ut ciueis beatos faciat. Sed hoc adhuc distinctius dici postulat, si finis plene intelligi debeat. id quod sane M. Tullius eodē loco minime omittit, sequitur enim. Vt gloria ampla, copiis locuples, uirtute honesta esse possit. En igitur absolutum omnibus partibus regium munus, ut ciueis beatos faciat. homines porro naturæ præscripto uiuentes, tum se beatos iudicant, cum uitam ex uirtute in honore agētes, abundant iis rebus omnibus, quæ ad uitæ cum necessitatem, tum iucunditatem pertinent. Hoc uero se consequi facillime putant, si multi una congregati unius prudentię, iustitiæ, & fortitudini se regendos subiiciant. Sed finē nunc uidemus, & quicquid pertinet ad Regis munus, satis explicatum habemus. Quod utinam (Princeps) Reges ipsi intelligerēt. qui gloriam, honorem, & felicitatem quærunt, hic profecto quærerent, in suo sibi com-

Rex, partus naturæ laborantis.

Rex propter populum non populus propter Regem creatus.

M. Tullius.

Finis regii muneris.

Felicitas naturalis.

Regis gloria & felicitas, in populi bono consistunt.

mendato munere quærerent, in bono populi quærerent, ubi inue
nirent etiam suum. Nunc autem cum alibi hæc quærant, in suo
uidelicet bono, naturæ institutum peruertentes, suum bonum a
publico segregantes, non modo nomen Regis amittunt, (qui
enim suum bonum quærunt, Tyrãni sunt,) sed una cum Regio
nomine, & suam & populi felicitatem corrumpunt. De uero au-
tem honore, de uera illa uitę suauitate, quam natura pręparauit,
iis qui finem ab ipsa pręscriptum sequerent, nihil ne primis qui-
dem labris unquam gustant, & tamen quærere non desinunt, sed
semper frustra. Omnes enim suauitates huius uitæ, quę secundũ
naturam ducitur, quicquid delitiarum, quicquid honoris & glo
riæ, Reges cõsequi possunt, ea omnia natura collocauit in bono
populi, ut si illinc Reges ea petere recusent, nunquam prorsus, id
quod maxime appetunt, beati esse possint: sed quo magis a bono
populi se abiungant, eo semper miseriores futuri sint. Sed haud
scio, nimis ne digredi ab instituto uideamur, qui tantum propo
situm habuimus, ut Regis officium exponeremus, non ut etiam
de peruerso regię potestatis usu loqueremur. cum autem uerum
finem inneniſsemus, cum deniq; eundem cum sacerdotis officio
contenderemus. Verum si felicitas populi, Regis prudentiæ, ut
diximus, iustitiæ, & fortitudini est commissa: quodnam sacerdo
ti munus erit relictum, quod non sit Regis functione inferius,
cum nullum maius munus procuratione felicitatis ne intelligi
quidem possit? Quid si Rex ipse per se, quod illi cõmittitur, præ-
stare non potest? prudentia eius, iustitia, & fortitudo satis esse
non possunt ad munus regium perfecte fungendum? si pruden-
tia Regis ad aliud quiddam eum amandat, cuius opem implo-
ret, quod sibi adiungi postulet, quod plus q̃ ulla prudentia hu-
mana, & q̃ ullæ humanæ uires ad consequendam felicitatem ua-
leat, quod denique prudentiam ipsius, iustitiam, & fortitudinem
ad ptopositum finem obtinendum maxime adiuuet, & hoc est sa
cerdotis conciliare: non opinor munere suo sacerdos excludi-
tur, nec de illius dignitate quicquam detrahitur, sed potius ma-
xime supra omnia eminere intelligitur, etiam si Regis curæ feli
citatem populi commendatam dicamus. Verum id nunc declara
tione indiget, quo pacto Rex tanq̃ superioris muneris, sacerdo-
tis operam requirat, cum tamẽ ipsi totius populi felicitatis com
missa sit. hic enim uidemur excludere sacerdotes e societate po-
puli, nisi etiam uelimus dicere, curam sacerdotis Regi commis-
sam. quod si ita dicamus, inferiorem necessario sacerdotem Re-
ge faciemus.

Tyranni sunt, qui su um bonum quærunt.

Natura delitias regũ & commoditates o- mnes in populi bono posuit.

Rex sacerdotis auxi lio indiget.

ge faciemus. Sed nunc dicimus (ut statim huic scrupulo occur- ramus) etsi sacerdotes in populo numerentur: q populi nomine omnes comprehendantur, quicunq; aliquo modo pars sunt eius societatis, cuius felicitas, per unius gubernationem quæritur: ta men nec illos finem eũdem quem populus, habere; nec eum fi- nem regiæ potestati mandatum esse: imo eosdem affirmamus, cũ Regem ipsum in ea quæ illi committitur felicitate populi com- paranda, sic adiuuare, ut sine illis Rex nihil possit: tum uero pro prium finem, ultra id omne quod & Rex spectet, & populus ex- petat, habere. ac suum quoddam munus multo præstantius & di uinius, quodq; Regis munus, & populi optata, lõge superat. Sed hæc declaratione maxime indigent, ut intelligi possint. Quod ergo in Rege fecimus, cum eius ortum in rerum natura descri- beremus, idem in sacerdotum origine aperiẽda conabimur. hoc enim certe faciendum est, si utriusq; comparatio in officii & mu neris dignitate recte institui, & qualis sit perspici debet. Sed hic rei difficultas, ac magnitudo me terret. Vereor enim, ne quod in scripturis de Melchisedech, de quo dicitur, fuit enim sa cerdos Dei altissimi; cuius nec pater, nec mater, in scriptura no- minatur, nulla origo eius explicatur, nulla genealogia: idem no bis in sacerdotis munere accidat, ut licet maxime quęramus, nul lum eius principium inueniamus, nullam originem. Sed tamen quoniam societas hæc humana, de qua loquimur, principium ha buit, cuius gubernatio ad finem a natura expetitum Regi com- mittitur, quem nunquam suum munus perfecte obire siue sacer- dotis opera diximus: idcirco dicere possumus, necesse esse, ut se sacerdos cum Rege coniungat in re populi iuuãda, & huius rei principium inuenire; quod quidem satis sit ad id de quo quæri- mus intelligendum, quæ utriusq; muneris dignitas sit, & utrius præstantior. hoc uero non erit admodum difficile ad inuestigan dum, si paulum aduertamus, quo pacto se Rex in suo munere gerat, quibus præsidiis primum ut suis utatur; deinde quid a sa- cerdote accipiat. Ita enim melius ut spero uidebimus, quid sacer dos afferat. At in rege est perspicuum, quod sæpe iam diximus, eum uti prudẽtia humana, uiribus humanis, omni uirtute huma na, & omni opera hominum, ut homines ad felicitatẽ perducat. At qui plane si hominum res ab ipsis tantum hominibus depen- derent: si homo ipse dominus rerum humanarum esset, uel sua- rum, uel earum quæ in natura positæ, eius usui seruiunt: tum qui dem satis esset Regis munus ad omnia præstanda, quæcũq; ulla

Sacerdos quum sit pars populi, quomodo non subsit Regi.

De origine muneris sacerdotalis.

" *Gẽ. xiiii.*
"
"

Quàm sit necessariũ munus sacerdotis, qui cum Deo de populi rebus agat.

societas humana desideraret. Sed cum hominis nihil sit proprium, omnia uero sint Dei, Domini enim est terra & plenitudo eius: homo uero, nec sui ipsius sit dominus, nec suorũ, sed omnia a Dei benignitate dependeant, & ita dependeant, ut nisi ille qui est omnium dominus, assiduo officio colatur, & eo modo quem ipse præscripsit, & natura docuit, nulla hominum societas, parte ulla rerum naturæ, ad suam commoditatem frui possit: hinc factum est, ut nõ satis sit præsidium eius ad societatem humanam tuendam. cuius munus est, ut per homines hominum commodis consulat, sed necessario alterius opera requiratur, cuius officiũ & munus sit, ut cum Deo de rebus populi agat, qui assiduo cultu Deum propitium rebus humanis reddat. Hoc uero munus & officium, quanti momenti sit, & quanto plus q̃ Regium, ad populorum felicitatem conducat, uel illud maxime indicat, quod multæ nationes sine Regibus commodissime uixerũt, cui rei ipsa Iudæorum natio testimonio esse potest, quæ felicissime multos annos uixit, anteq̃ quisquam apud eos Regium nomen habuerit. At uero sine sacerdote aliquam nationem uixisse, nullę unquam literæ prodiderunt: Quanquam Theophrastus philosophus, ut ex Simplicio didicimus, qui eius uerba citat, tradit quãdam nationem, sine cultu Dei uixisse: sed eam tandem totam terra dehiscente fuisse absorptam, uixisse uero absq; ulla religione & sacerdotis opera aliquam societatem, quæ nomen aliquod habuerit, & aliquam partem felicitatis in rerum natura degustauerit, nunquam est auditum. Iam non sufficere operam humanam ad suam felicitatem consequendam, nisi superius numen colatur, in iis quæ ad uitam sunt maxime necessaria, rerum usus nos, ac natura ipsa docet; cum & in agris colẽdis, & in necessario uictu parando, postquã omnia quæ in nobis erant fecimus, nisi fauor cælestis accedat tempestates opportunas indulgendo, frustra nos operam posuisse quotidie experiamur. Eadem porro natura admonet, quo pacto numinis cælestis fauor concilietur, cum ad ea quæ supra nostram potestatem sunt, sed tamen nobis necessaria, precibus petenda impellit. Atq; hæc illa uia est, quam Deus hominis naturæ præscripsit, quem quidem uoluit uitam precando ac supplicando agere, sed ita tamen, non ut in otio, ac desidia iaceret, uerum ut cum omnia fecisset, quæ a natura doctus esset, tũ reliqua quæ uireis suas superare cognosceret, & quibus carere non posset, a Deo peteret. Laboriosam ergo, & ad precandũ semper intentam uitam, nos Deus agere uoluit, si ullam partem felicitatis

[Margin notes:]

Psal. xxiii.

Multæ nationes sine Regibus commodissime vixerũt, nulla sine sacerdote.

Quædam natio quæ sine cultu Dei uixerit a terra, dehiscente absorpta est.

Citra numinis fauorem nihil effici ab hominibus potest.

Humanam vitã Deus laboriosam, & precationi intentam esse

citatis in natura percipere uelimus. & hic nata sunt duo illa maxima munera in rebus humanis, quorum alterum est Regis, laboriosum, & actuosum, alterum sacerdotis, qui humanas actiones omnis deferens, solum in supplicãdo numini est occupatus. Hic iã existere incipit sacerdotis munus, & aliquod sui initiũ, atq; exortum, una cum dignitatis præstantia ostendere. si enim præstantius est agere cum Deo, quam cum hominibus, iam non amplius latere potest sacerdotis excellens dignitas, quem quidẽ huic officio natura ipsa destinauit, ut perpetuo cum Deo agat, ut in rebus diuinis & sacris semper uersetur, cũ regium munus, qua regium, ipsa illius origo toties iam repetita, & originis causæ ante oculos positæ declarẽt intra res actionesq; humanas circunscribi, ad quarum administrationem fuit a societate humana ascitus, & expetitus. Quod si adhuc audemus, ad interiorem regii muneris partem perspiciendam penetrare, etsi superius diximus felicitatem quam homines secundũ naturam expetant, eius prudentiæ, iustitiæ, & fortitudini esse commissam, tamen si cum agentem, & in munere suo uersantem, quo pacto se in omnibus gerat, intueri, & diligentius attendere uelimus, reperiemus pro fecto, quæ illi felicitas procuranda commissa est, non illam esse, in qua humanum genus acquiescere possit, sed per quam incommoda tantum & pestes huius uitæ effugiat, iniustitiam, & uim externam. in multis etenim malis, quæ humanã naturam circunstant, & quæ, ut tempestates ciuitatibus quasi nauibus in altum prouectis impendẽt, nomen quoddam partæ felicitatis obtinet, siquis aduersus illa, quæ dixi, duo maxima incommoda, ciuitatẽ defenderit. sicut qui nauigando scopulos omnes prætereuectus est, & procellas tempestatesq; effugit, felicissimam illam nauigationem appellare potest, licet nõdum in portum uenerit, sed eum tantum e longinquo aspiciat, cum re uera hæc non sit expetita illa humani generi felicitas, incommodis liberari, nisi etiam maximis commodis quæ natura expetit, aliquando fruantur, ad quæ sane Rex suos perducere non potest, non magis certe q̃ Moyses filios Israel in terram tantis uotis exoptatam, qui ne fluuiũ quidem Iordanem transire potuerit. Ne ergo Rex quisquam sibi arroget, ut propius ueram illam felicitatem populũ suum promouere possit, q̃ quousque Moyses populum a Deo sibi creditum. Subsistant omnes cis Iordanem, qui etsi dulcissimus amnis est, abundatq; iis rebus, quæ uitæ utilitatem simul & iucunditatem afferũt, tamen in mare mortuum influit. Ita etsi dulce est aduer-

Excellentia muneris sacerdotalis.

Ad expetitam humani generis felicitatẽ Rex suos perducere non potest.

Reges cis Iordanem subsistunt.

ſis liberari, & bonis, iucundisq; frui, tamen aliquid ultra, natura felicitatem expetens, requirit. quin ſiquid etiam ultra Rex adii-ciat, tamẽ eiuſmodi ſunt omnia, ut prono curſu in mare mortuũ defluant. caduca ſunt, ad interitum feruntur. talia deniq; ſunt ut in iis humanum genus nullo modo acquieſcere poſſit, neq; feli-citatem ſuam ſolidam ac cumulatam inuenire. Sed ſi Rex ipſe propterea quod hoc illi committitur, ut populum ſuum beatum faciat, præclaro hoc munere ſibi commiſſo gaudeat, & huic ſatiſ facere omni ratione ſtudeat, nunq̃ quidẽ hoc facilius conſeque-tur, q̃ ſi ſeipſum, & ſuos, ad ſacerdotis munus, tanq̃ in portũ con ferat, huic ſe & ſuos omnes committat. Sacerdotes enim ii ſunt, qui Iordanem traiecerũt, qui populum, & ipſum populi Ducem duxerunt, qui in terram deſideratam iter patefecerunt. Sed uere or, ne ipſe quos mihi circunſcripſi fines exceſſerim, qui perſpicu am, & hominum ſenſibus accommodatam orationem pollicitus, nunc quaſi quædã myſteria referens, me ipſum cum Moyſe tan-quam in nubem procul a populi conſpectu abdiderim. Sed tamẽ ne philoſophi quidem ipſi, naturali tãtum ratione nixi longius ab eo, quod modo dixi, intelligendo abſunt; imo maxime hoc agnoſcunt ac tradũt. in primis Plato ipſe, qui quidem affirmat, hanc cuiuſcunq; ſocietatis hominum felicitatem eſſe ut poſt in-commoda uitæ, quæ ſocietatem ſunt apta dirimere, id quod nos dicimus, Regis procurationi eſſe commendatum, tandem in cul tu diuino in quo totum ſacerdotis munus uerſetur, quaſi in por tu conquieſcant. hunc enim & non alium felicitatis portum eſſe uult. quo niſi tandem humanæ uitæ nauis appellatur, ullam feli-citatis partem guſtare nemo poſſit. Quare nunc concludere etiã cum philoſophis ſine myſterio poſſumus, ſi regium munus in ſa-cerdotale deſinat, ſi finis ipſe, omnibus quæ ad finem pertinent, præſtantior ſit: neceſſario ſacerdotale munus, in quo felicitas, id eſt ultimus finis, continetur, aliis omnibus muneribus, quæ ſunt ad finem comparata, in quibus regium ipſum apparet; dignita-tis excellentia maxime præſtare. Sed conſideremus adhuc pau-liſper ſacerdotem in ſuo munere. audeamus, quod in regio inue ſtigãdo pauloante fecimus, in interiorem partem penetrare. ſed uereor, ne id nobis non liceat, non magis ſane q̃ in interius ta-bernaculum populo licuit ingredi, quo ſolus, ac ſemel quidem quoq; anno Pontifex introibat, ubi a nemine cõſpiciebatur. Ve-rum tantum opinor licebit, cum ea quæ foris agit, quæq; popu-lus uidet, ſint maxima; illa quæ non uidet, ut multo digniora & maiora

Rex optime ſatiſfaci et ſup muneri, ſi ſe ac ſuos ſacerdoti commit tat.

Ioſue.iii. Sacerdotes populum, ac Ducem duxerunt trans Iordanem.

Plato cultum diui-num, humanæ felici tatis portũ eſſe uult.

Regium munus in ſa cerdotale deſinit.

maiora existimemus. Consideremus igitur quæ populus nouit, & uidet, externum inquam eius munus, in quo contemplando il lud in primis mihi succurrit dubitare, populi ne eos legatos ad Deum, an Dei ad populum, an etiam Deos appellare debeam. Primum enim, necessarium hoc esse legationis genus uideo: quòd sine aliquibus, qui assidue populi causam apud Deum agant, respublicas stare nullo modo posse constet; cum ut supra diximus, omnia quę humano generi ad uitam tuendam sunt necessaria, Dei sint, neq; nostro generi ullo modo concessa, nisi ad operas, laboresq; nostros etiam preces accesserint. Necessariam porro esse precandi assiduitatem: cum rerum necessarium egestas atq; inopia ipsa nos docet, ut de terræ fructibus supra diximus, quibus, ut proueniant, præter nostrã industriam, fauore insuper cælesti opus est, quem quidem non nisi precibus a domino cæli, cum supra nostram potestatem sit, comparari posse, natura ipsa magistra ostendimus: tum uero certissime declarant tot, ac tanta pericula generi humano undiq; imminentia, ex quibus nulla ope, nisi diuina eripi posset, tot item necessitates, quibus nullo auxilio, nisi diuino succurri queat. Hinc factum est, ut cum non modo necessariam numinis precationem, sed assiduam etiam esse oportere natura ipsa monstraret: huic autem muneri, nec propter ciuilia negotia Rex, nec populus ob continuos uitę labores uacare posset: hinc inquam est factũ, ut necessario quosdam suo ex genere huic muneri præfecerint, qui tanquam legati ab omnibus missi, populi negotia assidue apud Deũ curarent, atq; illius benignitati commendarent. a quo tam necessario munere, ne aliquando ipsi etiam propter necessariarum rerum inopiam abducerentur, legationisq; officia cogerent deserere, prospectum illis de publico est, tanquam legatis Reip. nomine missis, ut nihil ipsis deesset, sed omnia quæ ad uitam cum dignitate tuendam pertinerent, abunde suppeterẽt. Hæc ergo cum uideo, legatos populi apud Deum assiduos, qui uota & desideria populi, ad Deum sine intermissione perferãt, uidere mihi uideor. Rursum cum, quo pacto se erga populũ, quo pacto erga ipsos reges sacerdos gerat, cogito, a quibus non tam mandata accipit, ut legati ab iis solent, a quibus mittuntur, quam illis præscribit, quæ mandare, quæ petere debeant, cum sæpe eorum petitiones corrigat, sæpe præcipiat, semper imperet, ea autem omnia Dei authoritate faciat: cum deniq; audio illa Prophetæ uerba de sacerdotibus, Labia sacerdotis custodient sciẽtiam, & legem requirent

Sacerdos legatus populi ad Deum.

Sacerdotibus de publico prospectum.

Sacerdos legatus dei ad populum.

Malach. ii.

ex ore eius, quia angelus domini exercituum est, an non uel hæc sola uerba in quibus Propheta Angelum Dei eum appellat, clarissime ostendunt eum missum a Deo, Dei illum esse, non hominum legatum? Post uero hæc omnia, cum quod sibi soli Deus reseruauit, imperium in animas etiam illum exercere uideo, cum partem nullam cum populo, nullã cum Regibus habere uideo, sed eam quæ Deo debetur sacerdotem sumere (nam quæ Dei hæreditas appellatur, sacerdotum etiam hæreditatem Deus appellari uoluit), quid aliud de sacerdotũ dignitate dicere possum, quam quod Propheta ille? Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes. In omnibus porro iis Reges dignitate superari, nemo, qui hæc inspexerit, dubitare potest. De quibus quidem hoc loco plura non dicam, nisi hoc tantum, admonebo, melius utriusq; muneris dignitatem conspici non posse, q̃ si ante oculos uniuersa hominum societas proponatur. in qua tres primum status se ostendunt, primus populi, alter regis, quasi populi filii. populus enim Regem procreat, ut iam exemplo populi Iudaici ostendimus, & idem in aliis nationibus fieri existimare possumus, ut populus ex se reges procreet, sed id nõ sine sacerdote, quemadmodum in Rege Iudæorum uidemus accidisse, quem a Samuele sacerdote populus petebat, quasi mater in filio gignendo uiri congressum requireret. Sacerdos ergo tãquam uir populi cum sit, erga regẽ patris personam gerit, omnibus uero modis maiorem Rege esse, uel illud Pauli confirmat, cum dicit, maiorem a minore non benedici, Sacerdotem uero Regi benedicere & eundem inungere, ut regio in solio constituat, omnibus est manifestum. Quæ omnia sunt quasi patris, & prorsus maioris officia: qui cum, ad extremum, populi curam Regi committit, dum ipse ab utroq; semotus, munere suo, cum supremo omniũ Rege fungitur: perinde facere uidetur, ac si pater uxoris ætate iam prouectæ curam, una cum rei familiaris & totius domus gubernatione, filio iam adulto committeret, dum ipse apud Principem, a quo totius familiæ salus dependeret, maxime necessario munere procul a domo fungeretur. Hæc habui, quæ in præsentia de utriusq; officio & dignitate dicenda iudicarem. nam quæ in hac causa dici possent ad maiorem confirmationem eorũ quæ iam in medium sunt allata, ea cum sunt abstrusiora, tum certe huic tempori aliena. Satis enim est nunc intelligere, cum sint hæc duo munera, regiũ, & sacerdotale, eorum quæ ab hominibus geri possunt, amplissima, & huiusmodi ut reliquis omnibus, quæ homines, uel a natu-

ra, uel

Sacerdos uocatur Angelus Dei.

Num. xviii. Et Deuter. xviii.

Sacerdotes Dii sunt.

Rex, filius populi.

Sacerdos vir populi, Regis pater.

Heb. vii.

Sacerdos Regi curã populi committit, dũ ipse apud Deum legatione fungitur.

ra, uel a Deo acceperunt, tanquam inferioribus præcipiant; tamen impari inter se dignitate esse: & illud quod imperandi ius habeat, alteri præstare. Quod ius cum penes sacerdotem perpetuo permanere uideamus, cum interea Rex, quatenus Rex, nunquam sacerdoti in suo munere præcipiat, sed ille contra Regi in regio munere quæ facienda sint, præscribat; de eius præstãtia dubitare non possumus. Ac si nunc quod reliquum est, intelligere uolumus, hæc duo munera sic inter se esse diuersa, ut propter diuersitatem & amplitudinem rerum, in quibus uersentur, diuersorum etiam hominum, & nõ unius ea esse Deus uelit, qua nam re id melius q̃ exemplis ostẽdi potest, eorum hominum qui utrũq; appetere ausi sunt? Satis autem est ad Dei uoluntatem declarandam, etsi plura afferri possunt, uel unius Regis exemplum, qui utroq; munere fungi uoluit, in illa hominum ciuili congregatione, cuius Deus author, & legum quibus ipsa uteretur, conditor fuit; de quo scriptura Dei iudicium manifestissime declarat. hic uero fuit Ozias, qui cum rex esset, uoluit etiam sibi sacerdotis parteis asciscere, uoluit sacerdotum munere fungi: quod, quale, & quanti momenti peccatum sit, diligentissime in scripturis expressum habemus. Historia autem sic se habet. Cum multa præclara de hoc Rege narrantur, tum uero extremum hoc factum eius, utpote quod omnia bene prius ab eo gesta deleuerit, diligenter describitur, reliqua enim omnia, quæ de hoc Rege dicuntur, sunt plena laudis. fecit enim (ut uerba ipsa scripturæ ponã) quod rectum esset in oculis domini, & post magna & gloriosa eius facta recitata, cõcludit scriptura hoc modo. Egressumq; est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur illi dominus, & corroborasset illum. En regem iustum & Deo charũ. sed ubi est nunc crimen? sequitur statim in scriptura. Cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit dominũ. sed qua in re? sequitur, Ingressus enim templum domini, adolere uoluit incensum super altare thymiamatis. En totum crimen. primum refertur, eleuatum esse cor eius. at quo pacto eleuatum? quid cupiebat? quid ambiebat? nã si inferiora dignitate sua appetisset, nunquam profecto scriptura diceret, eleuatum. Si sacerdotis dignitas minor esset Regia, qui Rex esset, & descendere ad sacerdotis officium uoluisset, potius hoc facto animi summissionem, quam fastũ & superbiam declarasset, neq; hac in re unquam diceretur neglectum ab illo dominum fuisse. Dicit autem utrunq; scriptura, & cor eius eleuatum fuisse, quia quæ altioris muneris

Sacerdos Regi in suo munere præcipit, nõ contra.

Deus duo tam ampla munera ab vno homine administrari non vult.

Ozias rex lepra percutitur, qui vtroque munere fungi voluerit.

ii. Par. xxvi.

Oziæ crimen exponitur.

essent, quod ad eum nõ pertineret, tractare uoluerit, & ipsum ne glexisse dominum, quia quæ dominus disiuncta & separata offi cia uoluerit esse, ille coniungere ausus sit. Sed totam rationem, & modum rei, scripturæ uerba sequentes, ante oculos ponamus. sequitur autem eo in loco. Statimq; ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes domini octuoginta, uiri fortissi mi, qui restiterunt Regi, atq; dixerunt. non est tui officii Ozias, ut adoleas incensum domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. egrede re de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam a domino Deo. Iratusq; est Ozias, & tenens in manu Thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus, sta timq; orta est lepra in fronte eius, coram sacerdotibus in domo domini, super altare Thymiamatis. cumq; respexisset eum Aza rias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, uiderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum, & ipse perterritus acce lerauit egredi, eo quod sensisset illico plagam domini. Audis ne Princeps, quæ dicit scriptura? sed quid prohibet, quo minus au dias, & animo recte percipias? nihil enim hic spiritus Dei, qui in illis scripturis loquitur, nos celat. apertam omnibus suam sentẽ tiam esse uult. Si uero audis, non times? non horres? nõ similem pœnam pertimescis? Quid enim? putas ne propter Oziam solum hæc tam grauia, tam diligenter in scripturis expressa, ne unius hominis, ac Regis crimen, & pœna crimini constituta, posteros lateret? an potius ad terrorem omnium, qui hoc tantum facinus imitari auderent? Qua porro in re crimen tuum ab illius differt, nisi quod tuum multo, & maius, & grauius est? illius enim factũ, nisi scriptura aliter interpretaret, piũ uideri posset. Quid enim? an non pie factum communis hominum ratio interpretaretur, si audiret Regem ita sacris deditum esse, ut ipse sacrificare, & sua manu thus adolere uellet? At enim admonitus a sacerdotibus ad officium suum hoc nõ pertinere, iratus minabatur illis? esto, graue hoc crimen sit, minari sacerdotibus domini. uerum hæc il lius ira, hæ minæ, ultra uerba non processere. Tu uero, cum Rof fensis, & Morus, ac reliqui sanctissimi uiri, quo tempore summũ sacerdotẽ e gradu deiiciebas, ut te ipsum eius loco, caput eccle siæ constitueres, tibi dicerent, non est tui officii Rex, ut capitis ecclesiæ personam geras, sed sacerdotum, quos dominus elegit, quiq; Deo sunt consecrati, quid tum fecisti? an tantum ira incita tus illis minatus es? imo uero tu sacerdotes domini interfecisti,

Ibidem.

Oziæ pœna dios deterrere debet a simili ausu.

Henrici Regis crimen multo grauius, quam Oziæ.

tu sanctuarium

tu sanctuarium domini spoliasti, tu sanguine sanctissimorum uirorum polluisti. Cum quo ergo factum tuum comparabo: an cũ illo Saulis, propter quod & ipse abiectus est a domino, & illius sanguis hostibus datus, quod sacerdotes domini in Naboch interfecisset? At certe illius factum aliquid excusationis habuit, quod inimico eius Dauidi arma suppeditassent. Tuum uero ne speciem quidem ullam recti habet, qui tui amantissimos sacerdotes domini, eos inquam qui inimicis tuis animi perniciem tibi atq; interitum machinantibus, arma adimere uolebãt, atq; adeo si per te licuisset, ademissent, ꝙ te salutis & officii tui admonuissent, interfecisti, ac qui soli maiestatem se regii nominis saluam esse uelle ostendissent, eos & lesæ maiestatis crimine damnasti, & proditorum pœnis affecisti, ubi ergo crimen aliquod reperiã, quod possit cum tuo cõferri? cum multa in scripturis infanda facinora referãtur, equidem nullum reperio, quod magnitúdinem atq; atrocitatem tui æquare possit. Nec enim par est, quod Dathan, & Abiron, cum reliquis suæ factionis commisere, qui seditionem in castris excitauerant contra Aaron summum sacerdotem, & cæteros ex tribu Aaron, quos solos occupasse sacerdotũ munera indignabantur, quod cum reliquis tribubus communicari uoluerant: illa namq; seditio ultra uerba nõ processit, nemo in illa seditione periit, & tamen hoc crimẽ ita graue Deo uisum est, ut dignos iudicaret, quos uiuos terra in immensam altitudinem dehiscens absorberet. id quod Dei iudicio consequutũ est. Tua uera seditio in ecclesia domini cõtra summum sacerdotem excitata, quo pacto non omnem illorum seditionẽ scelere uicit, quæ præter uerba omnium seditiossima & superbissima, facta ad huc atrociora adiunxerit? Sed si uerba tãtum spectentur, qualia uerba sunt ista tua, qui non contentus regio nomine, tam augusto, tam uenerando apud omnes nationes, quo in munere omnes tibi honorem tali dignitati debitum prompte deferebant, uelis etiam ecclesiæ, quod nullus unquam Rex ante te concupiuit, supremum caput in regno tuo dici? uelis Christi uicarius haberi? uelis filii Dei personam sumere? Quid hoc est aliud, nisi ea uerba, quæ Principi superbiæ in scripturis attribuuntur, usurpare? In cælum conscendam, supra astra exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, similis ero altissimo. Qui enim supra omnes sacerdotes ascendere uis, quos scriptura cælis, & astris cæli sæpe comparat, dum uicario Christi filii Dei de solio deturbato, ipse te in eius locũ infers, quid aliud

i. Reg. xxii. Saulis in sacerdotes domini scelus minus, quam Henrici regis.

Num. xvi. Seditio Dathan & Abiron minus mala, quam schisma ab Henrico rege concitatum.

Esai. xiiii. Henricus Rex Luciferi superbiam imitatur, dũ se ipse Christi vicarium constituit.

facis, nisi hoc dicis, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo, cum eius, qui altissimi personam gerit, & super omnes sacerdotes authoritatem habet, sedem & authoritatem tibi uendices? At qui hac quidem ratione nunquam id quod maxime cupis, assequeris, ut cuius personam gerere uis, eius aliquam similitudinem referas, nunq̃ similis eris altissimo, sed potius hac tu[a] [ar]rogantia, & supremi loci cupiditate, dissimillimum te illi præstas. Christus enim cum natura esset altissimus, & omnia nõ solum quæ sunt, sed quę aut nominari aut cogitari etiã possunt, dignitate superaret, tamen factus homo, ne minimam quidem dignitatem sibi uendicauit, sed in omnibus quæ ad honorem & dignitatem pertinebãt, Dei patris iudicium expectabat; Tu uero qui si cum illo conferaris, nihil es: nullo expectato iudicio, nullo more, nullo exemplo, in supremam omnium, quæ in terris nominari possit, dignitatem, inuadis. An tu obsecro non attendis quantopere ita Christo, cuius uicarii personam suscipere uis, dissimilem te præbeas, inimico autem Christi similem, cuius sunt illa uerba quæ modo recitaui, Ascendam super cælum, & quæ sequuntur? cuius pœnam illi superbiæ irrogatam, si ut est a Propheta descripta, recitarem, merito quidem te qui illam imitaris contremiscere cogeret. Verum hic te Sampson tuus defendet, dicet me malitiose facere, qui de ista tua nominis dignitate ita loquar, quasi uel ipse eam sumpseris, uel ut ab aliis deferretur, omni ambitu ac contentione perfeceris, cum tamen, quin tibi omnium tui regni primatum uoluntate ultro, te non petente, tributa sit, ignorare non possim. Ego uero Sampson, ignorare plane possum, quod nullo modo uerũ esse certo scio, Sed nec si sexcenta diplomata adiunctis omnium signis, quicunq; primates regni appellantur, uiderem, adduci possem, ut crederem, hunc nouum, & ad hanc diem inauditum honoris titulum, Regi, uoluntate illorum tributum esse. quod ipsum quamobrem ita dicam, nunc ex me non audies, postea fortasse commodiori loco cognosces. Verum quo me statim malitiæ crimine apud te liberem, hoc tantum in præsentia dicam. ut maxime omnes Regni optimates hunc honoris titulum Regi tribuendum censuissent, nullum ipsos id faciendi ius, authoritatem nullam habuisse. Quare ne illum quidem iure ullo potuisse accipere. Nam si satis est in ecclesia, quæ tot nationes, tot regna complectitur, unius tantum regni consensus ad summi sacerdotis & totius ecclesiæ authoritatem tollendam, eamq; aliis tribuendam, quibus nunq̃ per Dei, uel

Christi humilitas.

Nouus iste honoris titulus ex primatum regni consensu tributus Regi non fuit.

Lib. iii.

Vnius regni consensus non potest tollere summi sacerdotis authoritatem.

uel ecclesię decreta, sacerdotio fungi licuerit, quid causę dici potest, cur non multo magis Dathan & Abiron cum cæteris seditionis authoribus iure potuerint, sacerdotium a tribu Aarō, cuius erat proprium, ad alias etiā tribus transferre, & cum iis communicare? qui enim tuum factum defendere uelit ut authoritas sacerdotis summi & reliquorum sacerdotū tribuatur Regibus contra ecclesiæ decreta, propter Procerum tui regni consensum, multo is maiorem causam habebit seditiosum illud factum contra Dei sententiam defendendi, siquis factum cum facto compararet, ac quam iuris speciem ob consensus uim utraq; causa habeat, consideret. Hanc enim Dathan & Abiron sui facti rationē afferre poterant, si multorum consensus ad id ualere debet, ut iure fieri aliquid uideatur, ut dicerent sentire secum ducentos quinquaginta uiros. qui (ut scriptura dicit) tempore concilii per nomina uocabantur. Nunc uero si de iis loquimur, qui tuum factū comprobarunt, tales plane sunt, ut si ecclesiæ concilium indiceretur, ne tres quidem ex iis tana authoritate essent, ut nominatim uocarentur; Nec uero uniuersum tuum regnū in amplissimo totius ecclesiæ concilio ulla ex parte tantam haberet authoritatē, quantam habuerūt in synagoga Iudæorum ducenti illi & quinquaginta uiri, qui tempore concilii per nomina uocabant. Quo modo ergo tuum factum probari posset, ut nō multo magis Dathan & Abiron probaretur? At quam id graue fuerit, quam contra Dei uoluntatem, acerbissima in illos uindicta declarat. quod tamen, si cum tuo comparetur, etiam modestum uideri possit. etsi enim graue per se est seditionis crimen, quocunq; tempore, & cuiuscunq; opera existat: tamen alii aliis multo modestius in seditione se gerunt: ut iam si de illis loquamur, nihil præter seditionis nomen uideamus. statim enim ut a Moyse prouocati sunt, ut saltem iudiciū Dei, quod postridie audituri essent, expectarent, quieti tanquam omnes unius sententiæ, & non seditiosi essent, assensere. Nihil tum eorū fiebat, quæ in seditionibus accidere solent, nulla spoliatio, nullę cædes, nulli uis afferebatur. Tua uero seditio, quod signum modestię habuit? qui nec Dei, nec hominū, qui ullam authoritatem in ecclesia haberent, expectato iudicio, cum in nomen supremi capitis ecclesię, depulso eo, quem ecclesia caput agnoscebat, tua unius sententia inuasisses: statim quasi ad officium capitis ecclesiæ pertineret hominibus capita præcidere, & tum ecclesiam, tum homines spoliare : primum in bona eorum, qui tuū hoc factum non ꝓbabant, impetum fecisti. Deinde

Num. xvi. Maior authoritas eorum, qui cum Dathā & Abiron senserūt, quàm illorū qui Regi consenserunt.

Seditio Dathan & Abiron longe modestior quàm Henrici Regis.

Expectanda acerbissima vindicta Dei in Henricum Regem.

gladium etiam in eorum uiscera strinxisti. interfecisti autem, Deus immortalis, quos uiros? tales plane, ut neque doctrina præstantiores, nec sanctiores multis iam seculis ecclesia habuerit. Et hæc quisque audiēs, ac grauitatem supplicii in eos qui nō tam grauiter peccarant, secum reputans, potest aut nō acerbissimam Dei uindictam in te expectare, aut expectans non toto animo perhorrescere? Equidem ipse hæc scribens, & Dei iudicium in illos considerans, totus pauore ac metu contremisco. cum autē de te cogito, qui hæc fecisti, totus in lachrimas colliquesco, ac tuæ saluti grauissime timeo. At ex altera parte, cum factum tuū considero, uideor non modo non debere tibi timere, aut Deum ut a te uindictam suam auertat, precari; sed potius ut ea quàm cellerrime eueniat, ad ipsius nominis gloriam, exposcere, & cum Elia

ii. Reg. xix.

"ad Deum clamare, ac dicere: Domine prophetas tuos gladio oc-

Psal. lxxviii.

"ciderunt, altaria tua subuerterunt: ego autem derelictus sum solus, & quærunt animam meam. & cum Dauide, Domine uindica sanguinem sanctorum tuorum, eoque magis hæc imprecari debere, quod ut scripta illa testantur, quæ authoritate tua per Angliam circunferuntur, edita a consiliariis tuis, in quibus rationē facti tui populo reddere conaris, hoc quasi maximo argumēto uteris ad confirmandum Deo probari tuam causam, quod ex quo tibi uenit in mentem, Pontificis maximi authoritatem deiicere, & eius locum apud tuos occupare, nulla in re calamitatē ullam acceperis. Agros enim tuos ubique fructus uberrimos attulisse. nihil autem decessisse, aut diminutum esse earum rerum, quæ ad uitam iucunde agendam pertinēt. hoc scilicet argumento populū decipi posse, tui isti impostores existimarunt; sed se ipsos, teque in primis, multo magis decipiunt. huiusmodi enim pœnæ (si pœnę putandæ sunt potius, quam clementissimi domini admonitiones leues ad salutem quærendam) leuioribus criminibus reseruantur, non tantæ impietati, quantam tu consciuisti: Et certe multo iam grauiorem Dei uindictæ pœnam sustines, quā ex ulla agrorum sterilitate tibi accidere posset, etiam si fame grauissima laborares.

Rex populo persuadet, facta sua Deo placere ex eo quia agri fructus vberes producant.

Rex fame laborat.

Amos. viii.

iii. Reg. xvii.

Henrico Regi clausum cælum.

"famem enim sustines, non panis, sed uerbi Dei, cælum clausum est, non agris tuis, ut ad Eliæ preces per triennium, impio Achab regnante accidit, cum toto illo temporis spatio nihil plueret; sed tibi clausum est, animo tuo clausum est. eū per hosce annos, ex quo in istam impietatem delapsus es, nihil cælestis imbris in animum tuum impluerit, nullum tu uirtutis fructum ediderís, sed ad rapinas & cædes, tāquam a Dei spiritu derelictus,

totus conuerſus ſis. Quid enim magis declarare poteſt, Dei ſpiritum a te prorſus diſceſſiſſe, nec amplius cæleſtem rorem in animum tuum inſtillare, quam proximum tuum facinus, cum arrogata tibi ſummi Pontificis authoritate, ea commiſiſti, quæ non modo Chriſtiani omnes a uicario Chriſti alieniſſima eſſe ſtatuunt, ſed nec ethnici, ad quos Chriſti nomen nunquam peruenerat, iudicaſſent ullo modo ad eum pertinere, qui Pontificis perſonam gereret? Quanto enim melius ethnicus ille, quid deceret Pontificem, intellexit, (de Tito Veſpaſiani filio loquor) qui factus Imperator, cum natura clementiſſimus eſſet, & a ſanguine ac cæde puras ſeruare manus cuperet; nullam aliam ob cauſam (ut memoriæ proditum eſt) Pōtifex maximus eſſe uoluit, q̄ qd' illo pontificatus honore, quaſi uinculo quodam, manus, ne quando ad ullius hominis cædem porrigi poſſent, contineri ac conſtringi iudicabat? Ita ne uero? ille, qui Chriſti nomen nunquam fortaſſe audierat, nunquam certe Chriſtum ita nouerat, ut eius doctrinam amplecteretur: qui quid inter Imperatoriam & Pontificis dignitatem intereſſet, uix ſatis ſuſpicari potuerat, hoc tamen uere iudicauit, nihil magis alienū eſſe ab eo, qui Pontificis perſonam ſuſtineret, quam hominum ſanguine cōtaminatas manus habere, utpote quem nullius ne iuſte quidem cædis authorem, eſſe oporteret: Tu Chriſti fidem profeſſus, qui quātam clementiam ac lenitatem Chriſtus a ſuis requirat, iis præcipue qui in eccleſia capitis loco ſint, ignorare non potes, tamē quaſi Chriſtus nihil præter cædes imperaret, nec tibi ſatis eſſet regia poteſtas ad effundendum, quantum ſitires, humani ſanguinis, Pontificalem etiam aſciuiſti? Nimirum hoc uideris exiſtimaſſe, regiā poteſtatem, tantummodo ad nocenteis iure damnandos ualere; pontificalem etiam innocentes nullo iure necandi licētiam permittere, qui initium præclari iſtius pontificatus a ſanctiſſimorū & innocentiſſimorū hominum cæde duxiſti; ut ita, dum utranq; poteſtatem exerceres, nemo tuam crudelitatem poſſet effugere. Hæc tu unquam faceres, ſi uel gutta cæleſtis roris, & gratiæ in animo tuo reliqua eſſet? ſi nō prorſus cælum tibi clauſum eſſet? ſi non penitus a Deo, qui lumen, ſalus, & uita animi eſt, relictus eſſes? ſi non nequior ſpiritus, q̄ ille fuit Saulis, per quem, ut eſt a Deo relictus, quieſcere nunquam potuit, animum tuum uexaret & agitaret? Sed hæc Sāpſon dicet nimis atrociter me uerbis exaggerare, & libenter chartas eiuſmodi querelis implere, primū quidem quod ipſe affectui meo indulgeā in deploranda eorum

Titus cur voluerit eſſe Pontifex Maximus.

A capite eccleſiæ nihil magis alienū quā manus humano ſanguine pollutas habere

Rex Henricus Pontificatum ſuum ab innocentiſſimorum hominum cæde auſpicatus eſt.

i. Reg. xviii.

Obiectio.

morte, quos omnes sciũt mihi amicissimos fuisse. deinde uero, quod artis aliquid hic spectem: ut cum inuidiose ac miserabiliter dicendo, lectoris animum indignatione simul & misericordia uehemẽtius commouero, tum uel subterfugere possim, ne ad ea respondeam, in quibus causa uertitur, argumenta, quæ ipse attulerit; uel siquid contra dicam, id cuius modi sit, perpẽdi concitatis animis & iudicari non queat. Nam cur, si causæ confiderẽ, non statim omissis querelis ad argumẽta respondetem, quæ ipse contra Pontificis authoritatem attulerit? ex quibus liquido id constet, Romanum episcopũ, extra suam prouinciam Romanã, nullam authoritatem habere: quam autem sibi uẽdicet successionis in Petri locum iure, hanc nullam esse posse, cum ne ipse quidem Petrus ullam in reliquos Apostolos habuerit: Regiam porro authoritatem latissime patere: ea omnes nemine excepto teneri. hæc inquam certissimis se argumẽtis probauisse Sampson dicet, quę si me diluere posse sperarem, cur non eo potius orationẽ conuerterẽ, q̃ ad querelas, quæ nihil ad rem faciant? Si enim nulla sit authoritas Pontificis Romani, Rex uero summũ ius omnibus præcipiendi, tam ecclesiasticis, q̃ ciuilibus in rebus habeat, & legum etiam utroq; in genere condẽdarum authoritatem, potestatemq; coercendi, siquis iis non pareat: cum constet hos homines, quorum mortem deplorem, contra leges Principis commisisse, nihil hic querelis opus esse, iure in illos animaduersum uideri. sin autem nec Rex authoritatem illã habeat, & Pont. Romanus supremum caput totius ecclesiæ sit, ad quem spectet, ut supremum iudicem, omneis omnium controuersias, quę in ecclesia existãt, ipsorumq; adeo Regum causas decidere: facile profecto esse, quæ contra afferantur, refellere. Quæ cũ ita sint, cur ego si id me posse confiderem, non continuo ad argumenta ipsa responderem, querelas uero uel relinquerem, quod nihil ad rem faciãt; uel si ab iis temperare non possem, perorata causa, & profligatis aduersariorum copiis, tum deniq; uterer? Recte tu quidem Sampson hoc ita statuis, querelis tum demum utẽdum esse cum causa probata sit. nec uero ipse aliter feci. Cum enim librum tuũ in duas parteis diuiseris, in quarum priori ostendere conaris Regem supremum caput ecclesiæ in suo regno esse, & proinde ius necis in omnes habere, qui suis legibus non pareãt, huic parti satis (ut spero) respondi: cum me apertissime ostẽdisse sciam, nulla lege, nullo more, exemplo nullo, nulla deniq; nec humana, nec a diuinis scripturis sumpta ratione, hoc ad ipsum pertinere, ut

Solutio.

Priori parti libri Sãpsonici satis responsum est.

caput

caput ecclesiæ dici possit,& propterea iniustissime illos cum ui-
ros,qui ipię legi suę parere recusassent,occidisse. An ergo que-
relis locus tum non fuit,cum hanc tantã in taleis uiros iniquita
tem atq; iniuriã demonstrassem?Quod si putas eo me dolori tan
tum indulsisse, quia mihi amici fuerint, qui morte sunt affecti;
ego uero agnosco,& prædico libẽter,eos mihi amicos omnium
charissimos fuisse.Nã qui hoc possum dissimulare? de quo qui-
dem ita mihi gratulor,ut si oĩum Regum, & principũ qui hodie
uiuũt,familiaritas mihi contigisset.Equidem si cum oĩbus, qui
aliquid in rebus humanis pñt,amicitia mihi & familiaritas in-
tercederet,non magis tãtis & tã amplis amicitiis gaudendũ iu-
dicarẽ,q̃ gaudeo me illis talibus uiris aliqñ notum & familiarẽ
fuisse:quorũ exitum ideo miserũ putas,quia tu uere miser,qua-
lis sit,aĩaduertere non potes.Ego uero cũ ex illorũ uita magnũ
capiebam fructũ,tum ex morte multo cepi maiorẽ: Ac nunc, cũ
sublatos oẽs fructus arbitraris,qui ab illis percipi poterãt:mul
to uberiores,quã unquam antea,expecto,neq; in eo quicquã du
bito.Quocirca si tibi uideor illorũ mortem nimis deplorare:nõ
ego quidẽ Sampson eorũ causa hoc facio : cuius rei testẽ illum
ipsum,qui corda cernit,Deũ habeo.quod enim ad eos ptinet,ni
hil certe uideo,qđ non sit maxima lætitia excipiendũ.Sed si ue
ram cãm harum tot querelarũ scire uis,etsi te mihi nõ crediturũ
opinor,dicam tñ;nec diutius eã latere,patiar.Vestra oĩum Sam
pson,uestra cã,illorũ mortẽ deploro:maxime uero illius, qui ue
stro perniciosissimo consilio inductus, in hanc fraudẽ incidit,ut
hoĩes sibi fidelissimos,& dignos oĩ præmio,proditorũ pœnis af
fecerit.Hic,hic me dolor excruciat:& ut q̃relis scripta impleã,
cogit.Tũ aũt,q; iam aio præcipio,ac pene certius, quã illa quæ
oculis cernunt,hẽre uideor,q̃ grauiter,nisi cito resipiscat, Deus
sit ipsum ulturus.iam.n. pspicio aduentantẽ Dei in illũ uindi-
ctam multo grauiorẽ,quã unq̃,uel in Oziã conspecta sit,quẽ ele
phantiasi pcussit;uel in Saulẽ,cuius sanguinẽ hostibus dedit.de
qua quidẽ uindicta post aliquãto differam pluribus.Nũc illud
breuiter dicã,qđ uerissime possum;Si multa de facti atrocitate
conqueror,id eo fieri, neque ulla alia ex causa,quod hanc unam
uiam patere illi uideo ad declinandum tam grauem,& tam acer
bam Dei uindictam,si crimen agnoscat,ac ueniã imploret.quod
nunq̃ certe faciet,nisi atrocitas, facti ipsi ante oculos ponatur.
id quod cum in iis,quæ adhuc scripsi, facere sum conatus : tum
in iis quæ deinceps sequentur,fusius & (ut spero) clarius faciã.

Author valde gaudet familiaritate sibi cũ Roffensi & Moro intercessisse, ex quorũ vita magnum sed ex morte maiorem fructum ceperit.

Cur eorum mortem deploret, quos beatos iudicat.

Dolet vicem Regis, cui tam acerba Dei vindicta imminent.

Interea autem ne tu me putes consilio arteq; de facti atrocitate tam multa dixisse, quod causæ diffiderem, & argumentis quæ a te allata sunt contra authoritatem Petri responderi posse despe rarem nihil iam differam, quo minus statim tecum congrediar. Sed quando hic liber ad iustam satis magnitudinē peruenit, id altero faciam, qui hunc proxime sequetur.

LIBER SECVNDVS.



OSTQVAM superiori libro, Sāpson, satis uidemur respondisse priori tui uoluminis parti, in qua probare conatis, Regē suo in regno caput esse ecclesiæ: ac præter confutationem tuorum argumentorum luce clarius ostendimus, Regem nec lege nec more, nec exēplo maiorum, nec ulla deniq; uel naturali uel e sacris ducta scripturis ratione, caput se Anglicæ ecclesiæ constituere potuisse; ad alteram nunc accedamus, responsuri omnibus, quæ a te contra unitatem summi Pastoris, ad confirmandam tuam istam impiam sententiam afferuntur. Verum illud primum ut dubitem facis. quo potissimum genere armorum tecum experiar: quando tu illa repudias, quæ omnibus qui ad hoc certamen ueri inueniendi studio descendunt, iusta ac legitima uidentur. Sed quid? aduersarii ne arbitratu arma capere, aut reiicere debeo? Te ne patiar mihi præscribere, quibus armis contra te utar: cum præsertim ea in manibus habeam, quibus te statim nullo negocio conficere possim? Vide enim quæso, ut incaute pugnam inieris, ut primo statim congressu latus tibi ac iugulum nudaueris. Nam postea quam oratione prolixa, sine uiribus, & nihil prorsus probante, summā esse Regis authoritatem tibi uisus es collegisse, tum ad populū orationem conuertis, hortatione utens, ut Regi tanq̄ ministro, & uicario Dei obediant. Hoc cum dixisti, mox addis, & contra Pontificem ita dicere incipis. Non episcopum illum Roma „ num, hunc uicarium Dei intelligo, qui suo iure non habet quod „ agat extra suam prouinciam. Timuisti hic uidelicet Sampson, ne populus simul ac nomen Dei uicarii audiuisset, de uero Christi uicario, cui tot sæculis ecclesia uniuersa obedientiam præstitisset, te loquutū esse intelligeret, cum diceres uicario Dei obediendum, itaq; hoc quidē satis astute, ac plane in tēpore adiunxisti,

Sampson legitimis armis pugnare recusat.

Sampsonis verba.

Sāpson timet ne populus audito vicarii Dei vocabulo, Papā, non Regē intelligat.

xiſti, Non dico illum epiſcopum Romanum. Sed quando tu tan
quam uictor omnium aduerſariorum loqueris, ad cuius nutum
om :ia ſint facienda: Quid quæſo Sampſon, illi epiſcopo Roma-
no, qui per tot annos, annos dico? immo tot ſæcula, nomen uica-
rii Dei obtinuit, facimus? quos illi præſcribimus limites? Agat
Romæ, inquis, epiſcopum; In Anglia certe plus poteſtatis nõ ha
bet, q̃ Romæ Cantuarienſis. Nimis hoc quidem imperioſe Sam
pſon; præſertim aduerſus eum, cuius authoritas tot ſæculis toto
orbe, ubi Chriſti nomen colitur, ſumma fuit, ſi nunc intra unius
urbis terminos illius imperium circunſcribis. Verum iſte, quaſi

Sampſon Ro. Pontificis authoritatem intra vrbis fines coercet

iam Põtificis authoritatem regiis copiis profligaſſet, & Romæ
intra muros obſeſſam teneret, ita nũc loquitur. Agat Romæ, in-
quit, epiſcopum. Intra urbis fines coercet. Sed hic uideamus
Sampſon, qua fretus authoritate hoc facias; gladii ne regii, an „
ſcripturæ ſacræ. At id oſtendis ſtatim; nullum enim, inquis, eſt „
plane uerbum in ſacris literis; quod illi extra Romanã Prouin- „
ciam miniſterii quicquam tribuat. Sacrarum ergo literarum au „
thoritate niteris. Sed uide ne gladiis ius relinquendo, & ſcriptu
ris adhærendo, præcipuum tuum præſidium, quod in gladio con
ſiſtit, deſeras: & aduerſario, qui ſtatim omnem ſentẽtiæ tuæ uim
perfringet, te dedas. Si enim ſcripturarũ authoritate niti uoles;
tua continuo authoritas plane concidet. Vide enim, quo pacto
ego tibi hic occurram. tu dicis nihil in ſacris literis inueniri;
quod aliquam authoritatem Romano Põtifici extra illam pro-
uinciam tribuat. At Sampſon, pace hoc tua dicere liceat: qui me
lius ſcripturas intelligunt, q̃ tu, quorum uita probitas, & doctri
na, multis iam ſeculis in eccleſia floruere, aliter ſentiunt: Docẽt
hanc Romani Pontificis authoritatem, ex authoritate Petri ipſi
a Chriſto data, defluxiſſe. Petri porro authoritatẽ manifeſtã ex
ſcripturæ uerbis colligũt. ſi ſic primũ dicerẽ, & inter hos uiros,
noſarem Cyprianũ, Hieronymum, Auguſtinũ, Ambroſiũ, Gre-
gorium, Bernardum, atq; alios ſane multos, quorum ſi nomina
perſequi uellem, nomenclatore mihi aliquo opus eſſet. qui a te
omnes hac in cauſa maxime diſſentiunt; quorum ſcripta & teſti
monia nihil negotii eſſet contra te ſtatim proferre, hoc igitur ſi
facerem, quid hic haberes quod diceres? quid reſponderes? an ut
tuis dignum eſt moribus, frontem hic perfricares, & diceres, cũ
illi homines fuerint nõ ſecus ac tu, qui falli & errare potuerint,
non minus æquum eſſe tibi credi, cui non minus pateant ſcriptu
ræ, quam illis? At Sampſo 1, etſi homines ii fuerunt, alii tamen q̃

Sanctis doctorib⁹ credendum potius quam Sampſoni.

tu fuerunt;ſi illa attendimus,quæ in hominibus,ut iis fides uel habeatur,uel detrahatur,ſpectari ſolent.Illi enim cum ſanctiſſimi fuerunt,tum doctiſſimi ſane & in ſcripturis intelligendis peritiſſimi: Quarum illis rerum teſtimonium non pauci aliquando ex uulgo,ſed mirificus eccleſiæ uniuerſæ cõſenſus ſemper tribuit:cum de te nemo unquam ita ſenſerit. Quod cum ita ſit, an dignum cenſes,ut tuum unius iudicium cum illorum comparetur?Sed quid ſi relictis hominibus,de conſuetudine tantum eccleſiæ dicerem,per quam tot ſæculis confirmata eſt Pontificis Romani authoritas?An Sampſonis nomen,& opinio doctrinæ, tanti erunt,ut plus illi q̃ toti eccleſiæ credatur?Quis iam non uidet,ſi his ſolis armis contra te uterer,quæ maxime in hoc certaminis genere ſunt legitima,q̃ nullo negotio te ſtatim conficerẽ; idq; omnium eccleſiæ filiorum iudicio: ad quos ſolos tanquam iuſtos agonothetas pertinet,uictoriam,quibus uideatur,adiudicare?Sed tu hoc armorum genus,quod in hominũ authoritate, & in eccleſiæ multorum ſæculorum conſenſu poſitum eſt, maxime recuſas;rationes poſcis,& his te longe ſuperiorem fore iudicas. At Sampſon etſi hæc omnino omittere non poſſum,ne tamẽ ullo genere armorum inferiores uideãtur, qui ueritatis cauſam contra te defendunt:ſic tecum agam. rationibus primum tecum contendam; uel potius tuas, quas uideri uis rationes, diluam ac refellam. Deinde eas rationes,quibus illam,quam ab eccleſia didici, ſententiam confirmem,in medium afferam.quod uero ad teſtimonia ſanctorum uirorũ attinet: ſic tibi gratificabor, ut niſi forte in aliquod illorum incidero, nullum ſane contra te deditã opera proferam,prẹter q̃ illorum,quos tu,ne nudus omni ex parte uidereris clarorum uirorum teſtimoniis,tuæ ſententiæ approbatores ac teſtes produxiſti. hos me ſolos polliceor contra te adducturum,ex quorũ uerbis manifeſtum,ut ſpero,faciam, quã malitioſe cum ſua ſponte tecum ſentire non poſſent,illorum uerba in tuam ſententiam detorſeris.quibus a me peractis,cum nec rationem tecum facere,nec ullius clari uiri teſtimonium oſtendero,Sed contra omnia: tum illud certe aſſequar, ut niſi plane mentis cæcitate tibi a Deo illata labores, authoritati eccleſiæ, quã nunc,quia rationibus plus fidis,impie oppugnas,te aliquando tandem ultro ſubmittas.Atq; hic demum fructus totius uictoriæ eſt,quem ego de te ac tuis expeto. Sed nũc ad rem aggrediamur,& tuas primum rationes diſſoluamus.Quid iam ſequitur tuo in libro,cui certe ordine quodam reſpondere cupio?

Conſuetudini eccleſiæ plus tribuendum quam Sampſoni.

quem diſputandi modum in hoc libro author ſecuturus ſit.

Quod

Quod inquis, Pontifex ait, se Petri successorem esse, tum ab hac successione authoritatem accepisse, si adesset diuus Petrus, negaret plane. Sic tu ingrederis oppugnare Pōtificiam authoritatē. Sed nullam adhuc rationem audio, dicis tantum Petrum, si adesset, negaturum esse. Verum obsecro te, si ego de hoc tecum contenderem, ac dubitarem de Petri hac in re uoluntate, quo pacto probares? Clamaret, inquis, in hunc impostorem, haud dubie. O impostorem, o uirum ambitiosum, superbum, arrogātem. hæc tu dicis; & multa præterea summe contumeliç uerba affers, quibus Petrus, si adesset, uteretur. At quæso te, quoniam ita familiaris factus es Petro, ut quæ dicturus esset, si reuiuisceret, scire pfitearis: explica tandem in quem uociferaretur, in quem ista tam probrosa uerba iaceret? neminē enim adhuc nominas. An in omneis qui post ipsum fuerunt, Pontifices Romanos, illo modo, quo tu inducis, debaccharetur? At multi boni, & optimi uiri fuerunt, in quos ea uerba nullo modo conuenire possent, præsertim a Petro profecta. An ille in Linum, Anacletum, Euaristum, uel posterioribus temporibus, in Syluestrum, in Gregorium, ea tāta probra iaceret: quibus nec uiuis, nec mortuis, quisquam unquam simile aliquid obiecit, ac ne minimum quidem uel ambitionis, uel arrogantiæ crimen: qui tamen omnes successores Petri fuerunt, & illius successionis iure authoritatem se a Christo accepisse profitebantur? Cum ergo in hos hæc uerba nullo modo cōuenire possint, dic planius: & nomina aliquem, in quē Petrus ista diceret. Adhuc enim cum hæc te sine personæ notatione, tāquam ex ore Petri in Pontificis Romani nomen uociferantem audio, uideor audire aliquem ex diro quopiam insomnio, ut sæpe fit, in uerba prorumpentem: quæ attendēs, illum colligo inani aliqua specie per somnū oblata perturbatum esse. Sic ego Sampson eum tua ista talia uerba audio, neq; in quem hæc conferantur, intelligo: te statuo cum aliquo aduersario uehementius cōcitatum quasi in somno litigare. Sed aliquando expergiscere, & dic iam uigilans, ecquis iste sit, in quem Petrus homo sanctissimus, tanta uerborum licentia insurgeret. Quis est, quem tu in Petri persona, tā contumeliose in somno accepisti? At hic taces, nullius nomen profers, ac tantum pergis contumelias adiicere. quid ergo uis faciam? An me uis diuinare, quid tua ista ex insomnio prolata uerba significent? At hic aliquis fortasse dicet, si posteriores tantum Pontifices cogitare uelim, nihil opus esse diuinatione: rem claram esse, hos si mihi in memoriam redigam, statim iudicatu-

Sāpsonis uerba.

Prosopopœia inepte iuxta ac impie a Sāpsone confict[a].

Sāpson quasi somnians litigat cum aduersario.

rum, esse uigilantis non somniátis, illa uerba, ut quę in eos aptissime conueniant. Sed quid hic clarum est? An posteriores Pontifices aliquos humanis uitiis, ambitionis, & arrogantiæ laborasse? ut hoc tibi concederem de posterioribus, quibus etiam adiũgam aliquos superiorum, qui non ex angelis, qui omni uitio carent, sed ex corrupto humano genere assumpti sunt: An hoc adhuc clarum est, Petrum si reuiuisceret, tãto uerborum impetu in illos incursaturum esse? Hoc tibi forsan homini impuro ac maledico conuenire posset, ut in summum Pontificem probra iacceres: in Petri certe personam, nullo modo cadere posset, ut maxime tales agnosceret, quales tu illos depingis. Sed cur hæc dico? quia uideo eum, qui eundem quem Petrus spiritum acceperat, Paulum inquam uideo, cum imprudens quædam cum contumelia, in Principem sacerdotum apud Iudæos dixisset: simul ut admonitus fuerit, in quem hæc diceret, summum sacerdotem esse, se continuisse, & ignorationem excusasse, cum dixit, nesciebã fratres, quia Princeps est sacerdotum. Quod si Paulus se abstinuit a uerborum contumelia in eum sacerdotum Principem, qui tum post Christi mortem, nihil præter nomen, & umbram sacerdotis retinebat; cum tamen sciret, eum & reliquos sacerdotes omnes, qui Christi mortis authores fuerant, impios, sacrilegos, blasphemos fuisse: q̃ non decore faceret, siquis Pauli personę tribueret, ut in summum Pontificem, qui Christi ipsius personam non adumbrate, sed uere gerit. tanta uerborum licentia crumperet? etsi non conueniunt eiusmodi uerba Pauli personæ quis iam dicet Petri personę conuenire posse? quis ulli Christi discipulo?

Oratio quam Sampson Petro tribuit, non conuenit Petri personæ.

Act. xxiii.

Iam uero non esse quicq̃ de ullius potestatis dignitate, propter hominum qui illa fungantur corruptos mores detrahẽdum: clarissimo Christi omnium nostrum magistri, & domini exemplo admonemur; qui cum Scribarum, & Pharisæorum uitam, maxime ab ipsorum doctrina discrepantem improbasset potestatẽ tamen & authoritatem non sustulit; nec quin uere in Moysis cathedra illi sederent, negauit. Itaq; cum suos, ut ab exemplo uitæ eorum imitando cauerent, admonuisset, tamen uti facerent, quæ illi tanquam ex Moysis cathedra præcepissent, iussit. Pilati porro ipsius potestatem, qua ille iniustissime abutebatur, non modo non negauit, Sed tum etiam, cum illo iudice ad supplicium damnabatur, desuper & a Deo illum accepisse cõfirmauit. Qualis est ergo Sampsonis prosopopœia, qui ea fingit dici a pręcipuo apostolorum, quę nulli discipulo Christi, qui a magistri exemplo ac

Non est quicquã detrahendum potestati, propter uitia hominum qui ea abutunt.

Mat. xxiii.

Io. xix.

doctrina

doctrina desciscere nollet, ullo modo possent conuenire? Imita-
ri credo rhetores uoluisti: qui huiusmodi figuris sæpe utuntur.
Verum illi etsi falsum sermonem figurate nonnunquam indu- *Sampson in sua pro-*
cunt, decore tamen & ad ueri similitudinem apte hoc faciunt: ut *sopopœia decorũ nõ*
iis qui audiant, non alienus ab eius cui tribuitur, persona uidea- *seruat.*
tur. Tu autem cum falsissimum sermonem inducis: tum certe sic
non uerisimilem, ut nullius minus, quam eius cui abs te affingi-
tur, p̃sonæ conueniat. a Petri enim persona est sane alienissimus.
Sed utinam hoc tu in rhetorum tantũ præcepta peccares: cuius
quidem culpæ ea demum pœna esset, ut uel penitus ignarus eius
modi præceptorum, uel certe parum in illis feliciter uersatus, iu-
dicareris. Nunc autem cum in rhetorum leges, atq; adeo in com
munem uulgaremq; prudentiam offendis: tum multo magis in
Deum peccas; in Dei filiũ, Deum ipsum & nostræ salutis autho-
rem peccas; in quem peccare, est uita se ipsum æterna, ac secũ eos *Peccare in Deum,*
etiam, qui huiusmodi figuris persuadentur, priuare, & in æternũ *mors est.*
exitium præcipitare. Sed quo pacto hoc planũ faciemus, tan
tum periculi in iis uerbis inesse, quibus se Sãpson quasi quibus-
dam rhetorum flosculis ludere existimat, cum nulla quidẽ alio- *quantum ueneni la-*
rum pernicie, suo uero etiam maximo fructu, quẽ a Rege, cuius *teat in Sampsonis*
honoris causa hoc facit, expectat? Mihi crede Sãpson, intra hos *prosopopœia.*
qui tibi amœnissimi uidentur, flores, latet anguis, & iam pridem
latuit, qui & te ipsum, & omnes quibus tu illos asperseris, graui
ueneno ad animorum interitum inficiet. Quod sic apertum facie
mus, si hosce tuos flores a te sparsos, quasi in fasciculum colliga
mus: si tua ista uerba in unam summam collecta, nobis ante ocu-
los proponamus. Ita enim facillime, ecquid in illis ueneni latet,
uidebimus. Tua igitur uerba de ipso Pontifice Romano iterum *Sampsonis verba.*
ponam, quæ sic se habent. Quod ait, se Petri successorẽ esse, tum „
ab hac successione, hanc potestatem accepisse: si adesset Diuus „
Petrus, negaret plane, & in hunc mendacem haud dubie clama- „
ret. O impostorem, o uirum ambitiosum, superbum, arrogãtem, „
docuit me magister meus Christus humilitatem: & quæ sequun „
tur in uerbis Petro a Sãpsone affictis, in quibus sit cõparatio a
Petro suæ humilitatis, ac totius uitæ cursus ad Christi exẽplar,
cum ambitiosa & deprauata Põtificis Romani uita: quæ omnia *Impia Sampsonis ra-*
uerba si in summam colligantur, hunc sensum habent: quia Pon *tio, qua colligit Ro.*
tifices Romani, qui eandem ecclesiam, quam Petrus, rexerint, ma *Pont. non esse Petri*
lis & deprauatis moribus uixerint, & Petrus optimis, cuius ui- *successores, quia Pe-*
ta in omnibus Christi magistri exemplar referret: ideo succes- *tro sint dissimiles.*

sores eius dici nō posse, nec a successione eius potestatem ullam habere. hoc enim inquit Sāpson, clamaret Petrus. ego uero hoc contra in Sampsonem cum ecclesia clamo, a qua nūquam Petrus dissentiret, hanc rationem esse impiam. Si enim hæc ratio recte cōcludit, ex ea prorsus sequitur, nullam nunc esse ecclesiam, Imo uero iam pridem desiisse, & iam diu nullam fuisse, Quæ enim res magis continet ecclesiam, quam successio illorum hominum qui regunt ecclesiam, quales sunt episcopi? si autem in episcopis qui locum apostolorum in ecclesia tenent, par ratio uitæ exigeretur, quæ fuit in apostolis: ut nisi illorum uita apostolorum uitæ, humilitate, cæterisq; uirtutibus responderet, nemo illorum successor dici posset: quam quæso ecclesiam iam pridem habuissemus? quis inueniri potuit, qui cum illis, qui quasi primitias spiritus acceperant, uitæ sanctitate comparari posset? Sed hoc fortasse non tam seuere exigit Sampson. satis habet si nō deprauatis moribus uiuant, si nō corruptis prorsus ac perditis moribus uiuāt. si enim tam alienis ab apostolorū moribus sint, tum negat Apostolorum successores esse. At quam tenui & infirmo Sampson filo ecclesiæ successionem connectis, si ex hominum uis illam pendere moribus? si simulatq; episcopi mali fuerint, successionē uis deficere? Quæ oro ecclesia per totū orbem, tam sanctos se homines habuisse gloriari potest, ut uel ad decē episcopos, perpetua serie bonos peruenire potuerit? uel quæ potius, cum decem episcopos numerat, non unum & alterum etiam corruptis moribus, & alienis a uita Apostolorum, quorum sunt successores, numerat? Quid facit quæso successio ad sanctitatem uitæ? nunquā ne audiuisti, malos episcopos bonis succedere, ut Reges malos bonis? Sit prauis & impuris moribus præditus, cui eadem quæ Petro ecclesia regenda committitur; eum quidem uitæ ac morum Petri successorem esse, uerissime negari potest: Successorem uero esse dignitatis, si eadem illi quæ Petro dignitas tributa sit, quis sanæ mentis negauerit? An non illa Christi uerba erāt, quæ prius retuli, de Scribis & Pharisæis, quorum uitam, & mores cū Christus improbasset, eos tamen in Moysis cathedra uere sedisse affirmauit? Quod cum dixit, authoritatē a successione habuisse confirmauit, & cum adiunxit, Quæ dicunt uobis, facite, reside re apud illos authoritatem maxime ostendit. Nunquam ergo Petrus, si magistrum suum sequi uellet, eos qui super cathedram suam Romæ sederent, quia corruptis moribus uiuerent, idcirco negaret successores suos esse: nec qui hoc Petro attribuit, uerisimiliter

Successio Pōtificum continet ecclesiam.

Ro. viii.

Si ecclesiæ successio ex hominum moribus penderet, iam nulla esset ecclesia.

Malus Pontifex non sanctitatis Petri, sed dignitatis successor est.

Mat. xxiii.

Petrus nunquam negaret Ro. Pont. successores suos esse.

militer fingit. hęc quidem certe a Petro dici probabiliter potuit fingere, illos indignos esse, qui in tantam dignitatem, in quam Christus ipsos post se uocasset, succederent. negare uero successionem, per quam ecclesia maxime stabilitur, nemo unquam pius auderet, nedum Petrus si reuiuisceret, ita faceret. Itaq; Augustinus, quodam in loco, cum successionem illam Pontificum Romanorum a Petri exitu ad sua usq; tempora perpetua serie sibi inuicem succedentium percensuisset, testatur ad reliqua magna quæ se in fide ecclesiæ retinuissent, hoc non minimum uinculum fuisse, cum illam nunquam interruptam in tanta rerum mutatione, Romanorum episcoporum seriem, sæpius secum summa diuinæ prouidentiæ admiratione considerasset. in quibus tamē multos fuisse, qui alienissimam a Petri moribus uitam duxissent, nō potuit non uidere. & hoc Sampson illi facile assentietur, qui in omnium uitam sine ullo bonorum & malorum discrimine, Petrū omnia probra iacientem facit. Verum utcūq; facta illorum, corruptam ipsorum uitam ostendant, successionem tamen non propterea interruptam esse, si a nullo alio, ab Augustino certe disce re nunc potes, qui in illa tam longinqua successione episcoporū prouidentiam Christi, in perpetuanda ecclesia maxime admirabatur. At Sampson, uir bonus, & Apostolorum uitæ præcipuus imitator, indignatur, nec potest ferre, ut mali bonis succedant. Affert autem ex Prophetæ etiā uerbis causam, cur odio habeat Ro. Pōtifices, quorum tantopere ab Apostolorum moribus uita discrepet. Iniquos īquit odio habui. Sed si mores iniquos odio habes, an nescis distinguere prauos mores, ab optime instituta successione, homines malos a potestate optima? Vis ne eo potestatem tollere, successionem dicere nullam, quia qui iis utuntur, sunt mali, cum nihil diuinius, ad hominum uitam continendam potestate, nihil mirabilius successione excogitari possit? Ita credo, Zelus domus dei, quo Sampson exeditur, non patitur, hanc illum tam perspicuam morum, potestatis, successionisq; differentiam uidere. Illam scilicet nō animaduertit; hoc dicit se uidere, sacerdotum mores, & maxime summi sacerdotis, Pontificis inq̄ Romani, a maiorum moribus, multis iam sæculis degenerasse: eoq; pie factum iri se putare, si potestas ab eo auferatur: & cum nullius regia maioris personæ mentio, ut ipse uult, in scripturis habeatur; ad Regem deferatur. Ita enim cū populo Christiano, cuius causa uideri uult laborare, commodissime agi posse, si summa illa potestas, quam adhuc sacerdos episcopus Romanus ha-

Augustinum in ecclesiæ fide nulla res magis tenuit, quam perpetua Rom. Pontificum successio.

Psal. cxviii.

Morū prauitas a successione distingui debet.

Psal. lxviii. Ro. ii.

buerit, Regibus mandetur. Hoc igitur ita ut fiat, se per libellos cum populo agere. Sed quid? existimabimus ne pie hæc a Sampsone tentari? existimabimus eius conatus Deo gratos esse, ut quia mali sunt Pontifices, eorum potestas ad Reges transferat? Ego sane qui sententiam nunc rogor, minime omnium hoc existimo. At quanti momenti meum est iudicium, si Sampsonis conatus, non modo non pios, sed maxime etiam impios esse dico? quam habet tanta in re authoritatem mea unius sententia? Eandem plane, quam Sampsonis sententia, qui contrarium defendit, idest nullam. Vtriusq; enim nostrum iudicium, per se in re tam graui, non solum leue est, sed plane nullum. At meũ unius Sampson nõ est: nec meam dicere possum hanc sententiã esse, quasi a me primum prolatam. Sed Dei est sententia Sampson Dei iudicium ante multa secula in sacris uoluminibus perscriptũ, quod quidem omnes tuos hosce conatus, quales sint, declarat, ac tanquam impios condemnat. Est autem ille ipse locus apud Samuelem in primo Regum, cuius ante mẽtionem fecimus, cum de Regum origine diceremus: ubi narrat, quo pacto populus Israel, qui tum a Samuele sacerdote iudice regebatur, illo iam senescẽte, propter prauos filiorũ eius mores, qui patri successuri essent, a cuius sanctissima uita, & moribus maxime degenerauerãt, Regem sibi constitui poscebant, eodẽ modo, quo tu nunc, quia Apostolorum filii, Romani Põtifices, a patribus degenerasse tibi uidentur, non amplius illis, sed Regibus subesse uis, Regẽ nunc, qui supremi capitis locum in ecclesia apud uos gerat, poscis. Sed audiamus scripturæ uerba, quæ satis sunt aperta, non tam populi Israel factum, quam uestrum exprimentia, quę Dei iudiciũ quale sit, explanant. Sic autem se habent. Cum senuisset Samuel, posuit filios suos, iudices super Israel, fuitq; nomẽ filii eius primogeniti, Iohel, & nomen secundi, Abia, iudicum in Bersabea. Et non ambulauerunt filii illius in uiis eius, sed declinauerũt post auaritiam, acceperuntq; munera, & peruerterunt iudicium. congregati ergo omnes maiores natu Israel uenerũt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei. Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in uiis tuis, constitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut uniuersæ habent nationes. En postulatio maiorum Israel, quæ qualis nam tibi uideatur, abs te scire peruelim. Videtur sane prima specie non iniqua: tibi uero, si tuæ sententiæ cõstare uis, non potest non æquissima uideri: ut primo quoq; tempore, sit illis, quod petant, te authore concedendum. Nimirum habebant ante oculos,

Sententia, quam author defendat, ipsius Dei sententia est.

i. Reg. viii.

Expenditur postulatio Iudæorũ, qui Regem sibi dari a Samuele poposcerunt.

los, sacerdotes filios, quos cum patris potestati succedere opor- teret, alienissimos ab illius moribus fore perspiciebant. Quos enim patre uiuo experti essent auaros, rapaces, iniuriosos, qua- les tandem mortuo expectarent? Tales plane, ut illorum iniusti- tiam multo tum maiorem futuram facile suspicarentur. Sub iu- dicibus igitur iniquissimis sibi uiuendum, & diu quidem, cum etiam num iuuenes essent, uidebant, nisi in tempore occurrerēt. Quid porro melius excogitare possent, quam cum animaduerte rent nationes reliquas maxime sub Regibus florere, ut ipsi etiā Regem sibi crearent? Hoc autem eo etiam iustius uidebantur fa cere, quod nulla hic seditio, nullæ partes, congregati omnes ma iores Israel, qui uel nemine consulto ius habere uiderentur Re- gem sibi creandi. & tamen quanquam omnes consentientes, sua authoritate nihil eiusmodi tentare uoluerunt: tantum saecrdo tem Dei consuluerunt, & ut sibi de illius sententia Rex consti- tueretur, petierūt. Quid hic non ordine factum? quid non iuste postulatum obiici potest? Quid hic respondebis? iustissimam tu quidem, si modo tibi & tuo facto constare uelis, hanc esse postu lationem dicas oportet. nam qui aliter tuum factum, & tuorum defendes? qui non congregati uniuersi, ut illi filii Israel, sed pau cissimi (paucissimi enim estis, si cum reliqua multitudine, quę in ecclesia est conferamini) nullo prius maioris authoritatis con- sulto, ut illi: nullo consensu, nullo iure, ut illi, qui una congregā ti magno populi totius consensu, uidebantur natura ius haberē creandi sibi Regem. paucissimi igitur, nullo iure, nullo nisi fa- ctionis uestræ assentiente, ausi estis ecclesiæ statum mutare, & sa cerdotis summi potestatē ad Regem transferre. Quare si uestro isti facto ullam iusti speciem, uel etiam umbram relinquere uis: populi Israel factum in mutando statu suo iustissimum fuisse re spondeas necesse est. At audi quid Deus ipse respōdeat. Sed pri- us ut ordinem sequamur uerborum, eo in loco audi quid sacer- dos dicat. Et displicuit sermo in oculis Samuelis. Hic tu fortas se homo uafer, & natura suspitiosus, dices, te nil mirari, displicu isse sacerdoti orationem, qua filiis suis omnem authoritatem, & dignitatem tolli uideret. Sed certe id ne innuere quidē scriptu- ra potest, quæ perpetuum simplicitatis, & iustitiæ testimonium dat Samueli. cur autem displicuerit causa adiungitur: quod di- xissent, da nobis Regem. hoc enim pertinebat ad mutationē sta tus. Sed Dei uerba audiamus, quæ sequuntur, cum rogasset sa- cerdos Dei sententiam. Et dixit dominus ad Samuelem. Audi

Iudæorum factum in mutando statu displicuit Deo, tametsi Henrici Regis facto iustius fuisset.

Ibidem.

„ uocem populi in iis quæ loquuntur tibi. Verum hęc adhuc tecũ faciunt, quaſi dominus ꝓbarit illorum cauſam. quæ autem mox ſequuntur domini uerba, audi. Quia non te reiecerũt, ſed me, ne regnem ſuper eos. En oraculum Dei, en poſtulationis impietas.

Iudæi reiiciendo ſacerdotem, reiiciunt Deum.

Sed ſi liceret dominum interrogare: ſi hæc poſtulatio Regis, facta ab iis qui ſub ſacerdote ante uiuebant, ſit reiectio Dei, cur ergo domine iubes ſacerdotem illis aſſentiri? huic quæſtioni dominus non uerbo, ſed re ipſa reſpondit, ut euentus poſtea declarauit. Voluit enim pœnæ loco eſſe, quod impie poſtulatum impetrarant. Ita enim accidit. iuſſit autem Deus Samuelem teſtari, ac denunciare populo, quanta incommoda perpeſſuri eſſent, ſub Regum imperio: multo quidem grauiora, q̃ quæ unquam ſacerdotum principatu tuliſſent.

Rex Hebræis pœnæ loco conceſſus.

Qua in re cum Dei uocem audire nollent, ſed inſiſterent Regem petere, conceſſit tãdem iis Deus, nõ in beneficii, ſed pœnæ magis, ac ſupplicii loco, uti Reges haberent: quo re ipſa, quando uerbis credere noluerant, experirentur, q̃ impium facinus conſciuiſſent cum duriſſima & qualia nunquam antea ſub ſacerdotibus, ſub regibus paterentur. Nunc uero Sampſon, cum uos ſacerdotis imperium reiiciẽdo, & in ceruicibus ueſtris Regem collocãdo, Deum ne ſuper uos regnaret reiecistis: non ne eodem modo denũciauit Deus, uos multo grauiora ſub Rege eſſe paſſuros? Quod ſi uocem Dei non exaudiebatis, at certe uocem omnium bonorum, qui uobis, cum hanc telam ordiremini, clariſſime illud idem teſtabantur, audire potuiſtis, cum ſępe impiam iſtam petitionem uerbis reprimerẽt. Si autem ne illorum quidem uocem audire potuiſtis, at nũc cum Deus permiſit, ut reiecto ſacerdote Rex in eum dignitatis locũ inuaderet, non ſentitis onus uos ſuſtuliſſe multo grauius, quam unquam ſub ſacerdote ſuſtinuiſtis? hic te appello, & reliquos omneis ſacerdotes, qui reiecto Pontificis imperio, Regem nobis eius loco præfeciſtis, dicite tandem, utrius grauius onus uideatur.

quanto grauiores calamitates Angli ſub Rege, quàm ſub omnibus Pontificibus paſſi ſint.

Sed hic uos tacetis, ingemiſcitis, nihil dicitis, nec enim audetis. Sed nec opus eſt uerbis, res ipſa per ſe ſatis loquitur: & ita loquitur, ut nemo ſit, qui non uideat grauiora uos hoc triennii ſpatio, ex quo uobis Rex præclarum & tantopere expetitum caput præfuit, perpeſſos eſſe, uos grauius ab illo oppreſſos, quam omnibus ſimul ſeculis fueritis, cum in uos Pontifices ſummam poteſtatem habuerunt. Nam ſi omnia multorum ſæculorum onera per Pontifices uobis impoſita in unum conferantur, ne minima quidem ex parte cum iſta huius trienuii miſeria (nec enim

aliud

aliud nomen tali uitæ conuenire potest) quam sub Rege pestiferis liitis, comparari queant. Cur aūt hæc uobis accideret? quia cum Pontificis authoritatem reiecistis, & Regem postulastis, nō uos Pōtificem, sed Christum reiecistis. Quod si illa fuit Dei iudicio pronunciata impietas, cum Iudæi sacerdotis imperium deserentes, sibi Regem poposcerunt, qui tamen nihil, nec præter naturæ ius, nec contra Deum aperte petere uidebantur: quāto maior est hæc impietas, abrogare summo Pontifici eam potestatem, quæ a nullo, nisi a Deo constitui potest, in Regem autem eandem trāsferre, cui nec per naturam, nec per legem aliquam, conuenire potest? Iam si illa causa satis grauis non fuit ad Iudæorum, qui imperium a sacerdotibus ad Regem transferri uolebant, factū purgandum, ꝙ sacerdotes auari, rapaces, iniusti essent: quāto minus uestrum factum excusari poterit in summo Pontifice, si maxime pluribus, quam illi Iudæorum sacerdotes, uitiis redundaret; ut uos priuati, potestatem eius a Deo constitutam, eam ob causam abrogetis, & ad Regem transferatis? Quare recte in uos propheta in persona Dei loquens clamat. Væ filii desertores, ut faceretis concilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, habētes fiduciam in umbra Aegypti. Hæc ad uos Propheta. quibus adiūgit graues pœnas, quæ uobis impēdent. Dico autem ad uos hæc uerba pertinere, quia nemo pene tam cœco animo est, quin si paulisper mentis oculos ad uestra consilia conuerterit, statim uideat, hæc omnia uos fecisse, quod ea expectaretis a Rege, quę a Pharaone Rege illi expectabant, quos Deus iis uerbis castigat, quod in Pharaone, & in umbra Aegypti spem posuissent. Similia itē iis dicitis, quæ illi apud eundem Prophetam eodem loco dicunt. dicitis enim uidentibus, nolite uidere, & aspicientibus, nolite aspicere, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia. Cum ergo in omnibus uerba & facta impiorum Iudæorum imitemini, an uos speratis easdem pœnas, quæ illorū impiis factis sunt a Deo constitutæ, & eo in loco a Propheta expressæ, umbra Aegypti, & fiducia Pharaonis freti, posse effugere? Nequaquam sane ita erit, quin multo etiam grauiores uos manent, quo grauiora quam illi commisistis: quæ quidem Dei iustitia nō potest inulta prætermittere. Sed omnia uidelicet suo tempore ad suam gloriam, & summam uestram ignominiam ac pœnam facere constituit diui

Iudæi minus quam Angli peccauerunt transferendo imperium a sacerdote ad Regem.

Esa. xxx.

Deus nō potest inulta prætermittere Anglorum temeritatē.

na iuſtitia. Verum hic adhuc Sampſon cauſam ſuam defendet. negabit ſe & ſuos ſummo Pontifici authoritatem abrogaſſe, nec enim abrogari potuiſſe, quæ nunquam fuerit. nam nullo unquã tempore Pontificem Ro. poteſtatem talem habuiſſe, qualem nos affirmemus: immo uero ne potuiſſe quidem habere, cum nec Petrus ipſe, ex cuius ſucceſſione omnem ſuam poteſtatem Romani Pontifices deriuari uolunt, talem habuerit. Hoc loco ſi hęc affirmare audebis, neſcio utrum impietas tua maior ſit, an impudentia futura. Si enim tu negabis Pontificem Romanum, ſupremi capitis locum in eccleſia tenuiſſe: at ſecula loquũtur, non ſolum præterita, ſed etiã præſentia. Nam ut uos iſtic omnes hoc negetis, quantulus eſt ueſtrarum ſententiarum numerus, ſi cum illorum qui affirmant, comparetur? Quam diu uero eſt, ex quo iſta inſula negare hoc cœpit, de cuius perpetuo ac conſtanti in Romani Pontificis authoritate agnoſcenda conſenſu, non dies, aut anni, ſed ſecula numerantur: cum uix adhuc totum triennii ſpatium effluxerit, poſtquam uobis in mentem uenit contrarium defendere? quod quidem quam ob rem feceritis, ut poſt tot ſeculorum obedientiam, Pontificis poteſtati aduerſaremini, quis eſt qui neſciat? Sed tu ad rationes iam tu reſpondeam, inſtas: atque hoc quidem faciam: quanquam tu certe minime dignus es, cui tali in re ſatiſfiat. Sed quia ita ſum pollicitus me facturum, tibi morem geram: dummodo illud prius inter nos conſtet, non continuo ſiqui muneribus recte ad hominum ſalutem comparatis peruerſe abutantur, ipſa eſſe tollẽda ac repudianda munera: Nec ſi Pontifex maximus poteſtate perperam utatur, ſtatim eſſe tollendam poteſtatem quam iure habere demonſtretur: quemadmodum nec poteſtatem ſacerdotis in iudicando Deus uoluit in alium transferri, quod ea poteſtate aliqui ad queſtũ atq; ad libidinem abuterentur. Hoc ſi mihi conceſſeris, ad argumenta tua ſoluenda ſtatim accedam. In hoc uero eo magis te urgeo, quod hinc fere omnes qui aduerſus Pontificis poteſtatem dicunt, aut ſcribunt, ordiuntur, has tenebras hominum ſimpliciorum animis offundunt: uitia quorundam Pontificum proponũt, in quæ cum iuſto odio hominum animi ferri ſoleant, imprudentes eo delabuntur, ut poteſtatem contemnant, quæ illis improbis peccandi licentiam feciſſe uideatur. Legi enim nuper librum lingua noſtra patria in hanc ſentẽtiam ſcriptum, ut ſimplicioribus ex populo perſuaderetur, hanc quam Romano Pontifici tribuere multis ex ſeculis ſoliti eſſent, obedientiam, denegandam eſſe.

Romano Pontifici ſupremi capitis locum vniuerſæ eccleſiæ conſenſus multis iam ſæculis tribuit.

Anglia nuperrime negare cœpit.

Non eſt tollenda poteſtas, quia homines ea male abutuntur.

Taxatur author cuiuſdam libelli Anglice conſcripti, qui inepte collegerit Pontifices Ro. Chriſti vicarios eſſe non potuiſſe qui tam vitioſi fuiſſent.

Ad

Ad quod persuadendũ hanc author ille quisquis fuit (nec enim suum tam præclaro operi nomen adscripserat) rationem instituit. Primum malorum omnium Pontificum, quos nominatim etiã appellat, peruersos ac uiciosos mores colligit; de bonis uerbum nullum facit. Deinde postquam longa serie eorum Pontificum nomina, qui male se in Pontificatu gessisse uideantur, una cum ipsorum uitiis recitauit; tum deniq; populo suam ignorantiam exprobrat, qui tot sæculis nescierit quibus obediendum esset, cum eiusmodi Pontificibus tanquam Christi uicariis obedíret. Tum autem interrogat, an quisquam sanus eos homines pro Christi uicariis acciperet, Quos nemo nõ prorsus dissolutus paterfamilias, in suam domũ infimi ministri loco admitteret. Sed tamen hic indulgenter agit, errorem ignorationemq; populi excusat, quod illi sanctis se uiris, qui Christi personam referrent, obedire putabant. Ac tandem ita concludit, cum iam a se reuelati eorum mores sint & explicata uita, quæ adhuc quasi quodam ignorationis inuolucro tecta latuerit: si nihilominus in obedíendo perseuerent, nullum postea excusationi locum fore. grauissime enim eos in Deum peccaturos esse, si postea quã quales sint, ex scelerata eorum uita nouerint, adhuc tamẽ illis tanquam Dei uicariis, & eius personam referentibus, obedientiã præstare pergant. Quid enim eos contumeliosius in Christum, qui est ipsa sanctitas, & ueritas, facere posse, quã existimare homines omni genere flagitiorum redundantes, eius personã referre? Hæc erat summa illius libri, in quo cum author illum scopum sibi proposuisset, ut populum deciperet, & a iusta obedientia Romani Pontificis abduceret, eam quæ facillima uidebatur populo imponendi rationem excogitauit; cum nunquam fere populus quid inter potestatem & hominẽ intersit, distinguere possit: sed magna ex parte, propter hominum potestate praue abutentium uitia, potestatem ipsam odio habeat. Quod si hoc modo agere cum populo liceat, Quis iam Rex suo in regno tutus, quis status stabilis erit? Quis enim dubitare potest, si Regũ qui male abusi sunt potestate, libidines, cædes, onera grauia populo imposita, omni in genere spoliationes, ac rapinæ, longa serie populis ante oculos proponerẽtur, q̃ non difficile esset, eos non in hominum solum, qui regio munere funguntur, sed in ipsius etiam regii status odium adducere, ut etiam ipsum Regis nomen quasi pestem horrerent: cuius rei exẽplum clarissimum apud Romanos habemus. qui propter unius, aut alterius Regis paulo licentiosius actam

Neoterici scriptores in Anglia decipiunt populum.

Populus nescit quid inter potestatem & hominem intersit.

Si propter abusus tollẽda est potestas, nullus Rex in suo regno tutus erit.

Regis nomen Romanis olim inuisum.

uitam, cum superiores omnes reipublicæ utilissimi fuissent, una cum hominibus regnum ipsum reiecerunt, & totum reipublicæ suæ statum commutarunt. Ac tales quidem libri nunc in precio habentur, ut per hos populus decipiatũ. quo magis hoc a te Sampson homine nequaquam simplici, qui facilius decipere q̃ decipi possis, nunc exigo, ut inter hominem & potestatem discrimẽ ali-quod statui patiaris; ut supra uulgus re sapere hac saltem in re ostendas, neue eadem sententia, qua tu hominẽ potestate pro peccandi licentia abutentem cõdemnes, etiam potestatem ipsam tollendam censeas. Quod enim homines praue potestate abutãtur, id ab hominum malitia ꝓficiscitur, quæ iure sane damnatur. Potestas uero ipsa a Deo est, & proinde bona: quam nemo nisi impius, nisi qui Deum ipsum regnantem, & potestates quibus uult distribuentem, reiicit, condẽnare possit. Sed si hoc a te pro te ipso impetrare non possum, ut impia ac nefaria sententia desistas, at certe hoc ab omnibus qui & pii & æqui auditores esse uolũt, Petri causa peto, nec quin impetrem dubito, ut semel statuant, quæ tu uerba Petro contumeliosa in summum sacerdotem ipsius successorem affinxisti: ea minime omnium eius personæ conuenire posse, a qua sunt certe alienissima. præsertim cum eadem illa uerba non solum ad eius hominis contumeliam pertineant, cui maledicere nullo modo liceat; sed multo magis ad ecclesiæ status permutationem, cuius Christus ipse solus author fuit. id quod postea clarius ut spero, uidebimus. & nunc adeo, utcunq; tu dissentias, uidere licet, nullum meliorem in rebus humanis, nec in uniuersa rerum natura constitui posse. Quis enim status melior excogitari potuit eo quem in ipsa rerum natura, cũ summa pulcherrimi ordinis admiratiõe animaduertimus: ut ultima per media, media per superiora, quasi per gradus quosdã, omnia ad unius regimen ac gubernationem perducantur? An non hic status, hic ordo est pulcherrimus? Age enim, ratio humana, cum natura duce, suam salutem, & suam perpetuitatem quæreret cum ciuitates conderet, gubernatores præficeret, ordinem instituerct, an meliorem unquam ordinem excogitare potuit, quam ut infima plebs per magistratus medios, illi uero per superiores, tandem uero omnes unius summi imperio regerentur? Sed quid? cum in cælo (ut per diuinos scriptores nobis est reuelatum) idẽ ordo sit quem in natura descriptum ratio etiam imitatur, ut infimi angelorum ordines per superiores, illi uero per archãgelos omnes autem in unius Dei gubernatione perficiantur; si is qui hæc iam

Exigit a Sampsone ut inter potestatem & hominem aliquod discrimen statuat.

quod Petrus si reuiuisceret, nũquã damnaret eum statũ atq; ordinem, qui in ecclesia seruatur.

cernit

cernit Petrus, in terras delaberet, ut ecclesiæ statū consideraret, cuius Deus ipse author fuit, in qua diuinorū bonorum dispensatores posuit, qui diuinum exēplar semper intuerētur; & in ea plebem per sacerdotes, illos per epos regi, animaduerteret, quibus epīs præesse archiepiscopos, tandem uero hos etiam sub unius, qui Dei personam gereret ptātem redactos uideret: an ille hunc ordinē, quem natura tanq̄ pulcherrimū nobis primo proposuit, post aūt ratio humana, ut pfectissimū, eo quo potuit modo, semper conata est exprimere: quo deniq; diuina reuelante gratia, nihil ne cogitari quidē posse pulchrius cognouimus, cū illius, qđ in cælo est, pulcherrimi & absolutissimi exemplaris speciē quandam habeat: nūc tādem propter unius & alterius hoīs minus ordinatam uitā, tollendū cēseret? Quis hoc de Petro cogitare posset? quis, nisi impius, hoc eius sanctissimæ psonæ tribuere? præsertim cū de illo, qui supremum locum teneat in hoc ecclesiæ statu, siue probus is, siue improbus sit, hoc oēs norint, non hoīem, sed Christi in homine personā honore affici. Quod si Petrus hoīem minus probum eo in loco sedentem uideret, cuius tamen improbitate ecclesia nihil moueretur, quo minus Christi in eo personam agnosceret; quæ quidem etiam si is homo optimus esset, nō hominis bonitatem, sed Christum ipsum ueneraretur: si inquam nec probitate nec improbitate ullius hominis moueri ecclesiam uideret, quo magis minusue in eo, qui supremum locum in ipsa haberet, Christi personam coleret: Quid hic de Petro est existimandum? An multitudinem illam ecclesiæ reuocaturum esse, ab hac tanta & tam constanti uolūtate huic uni obediēdi, qui Christi locum teneret: & non potius Deo gloriam daturum, & ecclesiæ ipsi summopere gratulaturum, de hac tanta in Christo uenerando constantia? præsertim cum uideret non plebem tantum in ecclesia, sed & Principes huius mundi, Reges atq; Imperatores, ad quorum tribunalia olim qui Christi nomen profitebantur, omnibus probris, & omni suppliciorū genere affici solebant; nūc eosdem ad tantam Christi obseruantiam ac cultum deuenisse, ut non solum fasces suos iis hominibus, qui Christi personā sustinerent, ultro summitterent, sed quod in primis admirandum sit, pedes etiam illorum libenter & cupide oscularentur: ac qualescunq; ii essent probi improbi ue hoc semper dicere, non tibi, sed Christo: Quanto tandem hæc conspicientis Petri animus gaudio compleretur? Cuius uoces, quas tum ea uidens mitteret, si quis probabili aliquo orationis genere imitari uellet, quanto is

Ordo qui in ecclesia tenetur, cæleste exēplar imitatur.

quod Petrus uisæ ecclesiæ statu ac ordine, gauderet.

Christi psona in Pōtifice Rom. colitur.

Non tibi, sed Christo.

uerisimilius faceret, si eundem illi sermonem tribueret, quē Christo nuper nato Angeli exultantes cecinerunt, cum dicerent, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus? Eum nāq; ille hymnum potius caneret; quā aliquid de hoc pulcherrimo ordine, in quo tum Christi honos, tum pax etiam, & tranquillitas humani generi continetur, immutandum censeret. Quo enim modo afficeretur, si tot nationes ad unius, qui Christi loco esset, potestatem agnoscendam tanta animorum alacritate ac cōsensione confluere uideret, & in iis Reges etiā ipsos, a quibus antea christianum nomen maxime oppugnabatur, omne honoris genus deferre: & quos urbibus, quos cœtibus, omniq; commercio hominum antea excludebant, quos deniq; omni genere suppliciorum persequebantur, eosdem nunc non in ciuitates solum recipere, ac reuocare, sed illis ciuitates subiicere; atque adeo imperium cum illis partiri: sic aūt in omni honoris genere sibi præferre, ut ēt honoris loco haberēt, se pp Christum ad illorum pedes osculādos ꝑnos demittere? Certe quid hic Petrus diceret, quo pacto afficeret, clarissime testatur is, qui de omnibus, quæ ecclesiæ acciderunt, uaticinatus est, Esaias, cum dicit. Et uenient ad te curui filii eorum, qui te humiliauerunt, & adorabunt uestigia pedū tuorum, omnes qui detrahebant tibi uocabunt te ciuitatem domini Syon, sancti Israel pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sęculorū, gaudium in generationem, & generationem, Et suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis. & scies quia ego dominus saluans te. Hæc omnia ab Esaia de futura ecclesia prædicta sunt, quæ nos accidisse cernimus. Quod si eadem hęc Petrus uideret, quo nam alio modo afficeretur, quam quo Esaias eodē loco, omnes qui hæc aspicerent, & opus domini agnoscerent, affectum iri significauit, cum dixit, Tunc mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa ad te fuerit fortitudo maris, & multitudo gentium, & dabis gloriam Deo, Hæc quidem iam non tantū uerisimiliter, sed uerissime tribui Petro possunt ac debent, quæ diceret, si reuiuisceret, atq; hunc qui nunc est in ecclesia statum uideret; quemadmodum quidem de cælo nunc uidere, & ut perpetuo ad Dei gloriam cōseruetur, una cum Angelis Dei orare credendum est. Quæ autem Sampson fingit, cum summi sacerdotis maxima contumelia ac status labefactatione, ea non solū ita falsa sunt, ut ne ullam quidem uerisimilitudinem habeant, sed a persona quoq; Petri, uiri apostolici, & sanctissimi, ita aliena, ut maxime

quid dicturus sit Petrus si hūc ecclesiæ statum ordinemq; videret.

Esa. lx.

Ibidem.

xime

xime etiã repugnent. Quod si adhuc dubitamus, & Petrũ ipsum loquẽtem de iis rebus audire uolumus, haud erit istud factu difficile. scripta enim cum eius, tum Pauli etiam, quorum quidem una semper sententia fuit, habemus, quæ facile hanc dubitationẽ expedire possint, & claram Petri sententiam declarare, maxime contra illud fundamẽtum Sampsonis, quia Pontifices aliqui mali sint, qui hominum opinione Christi locum teneant, Ideo successores Petri non esse, ideo illis non esse obediẽdum. huc enim uidelicet tota Sampsonis prosopopœia spectat. Faciamus ergo nosmetipsos familiares Petro, exemplo Sampsonis: hactenus tamen, ut nihil illi ipsius persona indignum, quod facit Sampson, tribuamus: sed tantum ut eum interrogemus, atq; ex suis ipsum uerbis & epistolis respondentem inducamus. Sic ergo alloquemur, cum locum Petri de obedientia pręstanda Regibus alienis a professione Christi habeamus. Ain tandem sanctissime Petre christianos homines, quanquam omnium maxime liberos, Regibus a religione alienis obedire debere? Aio, inquiet Petrus, hæc enim est uoluntas Dei, a quo constituti sunt in uindictam malefactorum, laudem uero bonorum. Recte hoc quidem sanctissime Petre. audio Dei imperium, audio; & ualde nunc assentior, illis obediendum esse, quia Deus ita uelit, qui eos constituerit, ut malos pœna, laude bonos afficerent. Sed quid si contra faciant, id est ut ignominia & pœna bonos afficiãt, honores autem omnes in malos conferant? an sic etiam obediendum illis erit, quia hæc sit uoluntas Dei? Obediendum sane, inquiet, hęc est enim gratia apud Deum, si propter Dei consciẽtiam, sustinet quis tristitiam, patiens iniuste. Quæ est enim gratia, si peccãtes colaphizati sufferetis? Sed si benefaciẽtes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Hactenus opinor satis aperta sententia Petri est. uerum adhuc tertia quæstio existit: qua soluta omnis dubitatio, de eo quod præcipue ex Petro scire uolumus, sublata erit. ea autem est huiusmodi. Quoniam dicis sanctissime Petre, Regibus in potestate constitutis, Regibus prophanis, etiam si potestate non recte utantur, etiam si a religione christiana alieni sint, tamen obediendum esse: quid si ad Tyrãni alicuius potestatem accedat etiã religio, ita ut non iam ethnicus sit, sed christianus; ut quod ad religionem attinet, nemiuem quia se christianum profiteatur, oppugnet, sed contra in eos, qui quoquo modo religionem uiolẽt, semper sit paratus seuere animaduertere, etiam ne huic Petre parendum censes? Quis hic nunc pro Petro respondebit? nec enim

Scoptus prosopopœiæ Sampsonicæ.

i. Pet. ii.

Ex Petri sententia colligi Romano Põtifici obediẽtiam esse præstandam.

ulla illius expressa uerba extant, quæ ad hāc quæstionem nobis satisfacere uideantur. Verum an non satis aperte, ex iis ipsis quę iam citauimus, Petri uerbis, quid ipse responsurus esset, elici potest? Si enim Tyranno non solum a religione alieno, sed oppugnanti religionem, tamē in iis quę illius potestati sunt subiecta, obediendum esse propter potestatem censet, quis non facile ex hac ipsius sententia colligat, si Tyrannus nomen Christi profiteatur, & in eos qui a religione desciscāt, acerbe uindicet, ut maxime in reliquis Tyrannum se præstet, ei tamen de Petri sententia parendum esse? de hoc plane nemo, quæ Petri futura sit sententia, dubitare potest. Nunc ergo Princeps a te peto, ut ne graueris hoc mihi unum respondere, ecquem hominem tui Pontificem Romanum esse dicant. certe cum omnia probra in illius uitam congerūt, ut maxime ita libidini suæ satisfaciant, nihil contumeliosius dicere possunt in malum Pontificem, quam Tyrannum eum esse, religionem Christi profitētem, in alios ut quisque, quippiam contra religionem commiserit, acerbe uindicantem. ipsum nulla ex parte eam obseruantem. Quid ergo? tali ne obedientes erimus? quid hic dicit Petrus? profecto de tali nō loquitur; sed etiam si alienus a religione Tyrānus esset, si religionem etiam oppugnaret, tamen huic obediendum censet. quanto igitur magis, si is religionem profiteatur, & in nullos seuerius animaduertat, quam in hæreticos, & eos qui deficiant a religione, obedientiam illi præstandam esse ex Petri sententia concludere possumus? quod si hoc uere cōcludere, etiam ita Petrum, si rogetur, responsurū asseuerare. Non ergo sanctissime Petre, tu si adesses, in Pontificem summum: ut maxime Tyrannus esset, illa tam contumeliosa uerba iaceres, quæ Sampson a te dicta fingit. neque tua uerba esse possent, si summum Pōtificem alloquereris. O impostorem, arrogantem, superbum; Sampsonis illa potius sunt, de quo nunc dici potest, ut angelus Sathanæ se transfigurare solet in angelum lucis, quo simpliciores animas decipiat, ita hūc Sathanæ filium, ut plebi christianæ imponat, maximi apostolorum personam sumpsisse, & eius uerba ementitum esse. Impostorem ergo maximum siquis Sampsonem uocaret, si superbum, si arrogantem, qui sanctissimo apostolo ea uerba affingat, quę nunquā Apostolus dicturus esset, quis non merito & uere in eum retorqueri iudicaret, quæ ille falso & impie sub Petri persona in Ro. Pontificem loquitur? An non omnes nos Angli qui non tam patriæ, q̄ gregis illius Christianorum, qui in patria est, saluti faue

ii. Cor. xi.

Sampson maximus imp. stor est, qui talem prosopopœiā cōfinxit.

mus,

mus, in te tanquam in maximum impostorem, inuehi possemus? quibus tantas coneris tenebras offundere, ut bonorum Pontificum, & qui maxime Reipublicæ Christianæ fuere utiles, nomina supprimens, pessimum uero quenque seligens, ita paucorum uitiis ante oculos propositis, ab omnium obedientia Pontificum abducas; quam optimus quisque, quam reliqua pars christiani nominis maxime agnoscit: ut quæ natio (quod tu te ipse ex historiis citas) hanc prærogatiuam a Christo habuerit, ut prima omnium prouinciarum publico cõsilio fidem ab Eleutherio Pontifice Romano susciperet, prima publico consilio obediẽtiam uicario Christi præstaret, ea nunc, reliquis omnibus in fide & officio post tot sęcula manentibus, sola obedientiam exuat, te secuta authorem; uel potius tuis elusa imposturis, qui paucorum uitiis ante oculos propositis, tãquam nulli unquam boni fuissent, tanquam nemini unquam uni authoritas data fuisset, omnes in odium uocas, & omnem Christi uicarii authoritatem tollis. An non sic apostolatum etiam ipsum tolleres, si Iudæ tãtum mentionem faciens, cæterorum nominibus & uirtutibus silentio inuolutis, eius proditionem scelusque in dominum narrares? An non uel hoc uno facto te cum Iuda ipso de sceleris magnitudine certare ostendis; qui, ut ille Christum dominum principibus sacerdotum, sic uicarium Christi, & cum eo sacerdotes omnes, Principibus & Regibus prodis? quo sane uno facinore ecclesiam uniuersam prodis, & quãtum in te est, euertis: dum per eiusmodi cuniculos illius fundamenta, in quibus ipsa tanquam præclarissimum a Christo erectum ædificium innititur: primo lapide emoto, subruere conaris, sicque maxime Christum authorem & dominum prodis. An hoc meliorem tuam esse conditionem q̃ Iudæ, existimas, quod ille triginta tantum argenteis nummis Christũ uendidit: tu autem multorum talẽtorum annuum uectigal quasi mercedem pactus, quod ex episcopatu Noruuicensi, tibi ante aliquot annos a Rege promisso, ut omnes nouimus, expectas, simile facinus aggrederis? Quis enim eorum qui te norunt, hoc nescit, te qui antea semper ueterum ecclesiæ rituum ac consuetudinis studium profiteri soleres, nunc repente mutatum esse, ut Regi ad omnia assentireris contra ecclesiæ leges, non aliam ob causam quam quod ita semel statueras, nusquam contra eius uoluntatem uenire, a quo tam opimum episcopatum quasi prædam expectares? Quem tuum affectum postea gladii etiã Regii timor, ita & cõfirmauit & auxit, ut non dubitares primo uicariũ ipsum

Sampson bonos Pontifices silentio præterit.

Anglia fidẽ ob Eleutherio publice accepit.

Vt Iudas Christũ, sic Sampson Christi vicarium, ac [illegible] prodit sed spe maioris quæstus.

Sampson Noruuicensi episcopatui inhiabat. sed postea obiecto Cicestrensi contentus fuit.

Christi tantummodo, quia Rex (ut tu te ipse scribis) ita iussisset, omni honore spoliare. Deinde ecclesiam uniuersam seruam ex libera constitutam, eius hominis potestati atq; imperio subiicere, cuius in maximis laudibus, optimi cuiusq; iudicio, numerari posset, si quomodo ipsius maiores semper fecerunt, ab ecclesiæ more & instituto nunquam deficeret, sed potius q̃ obedientissimum se se Christi uicario ad omnia præberet, quæ is pro potestatis & loci, quem tenet, iure præciperet. Sed quantum impietatis in tua ista proditione delitescat, longum esset explicare. nũc hoc tantum de Petro attingam, cui tu homo impius impii personam imposuisti, cum illum fecisti in sacerdotem domini omnia probra iacientẽ: post uero etiam in se ipsum contumeliosum, qui hoc illi tribueris, ut potestate sibi a Deo tradita se spoliaret, iterumq; Christum negaret non ad uocem iam ancillulę, sed ad Regii gladii terrorem. Quid enim aliud faceret si munus & officiũ sibi a Christo cõmissum ipse post tot sęcula, quibus id Christus successoribus eius confirmauit, & omnibus manifestum fecit, ne datum quidem omnino (ut tu eum loquentem inducis) confiteretur, & ad gladium nũc Regis, quem tu ubiq; in tuo libro stringis in omnes, qui audeant uobiscum nõ sentire, pauidus ut olim ad uocem ancillæ, negaret illud quod ipsi Christum dedisse constet? Sed relinquamus nunc impie abs te facta ac dicta; & eo potius ueniamus, ut quibus machinis tantam potestatem in Petro demoliri studeas, cognoscamus. Sed satis apertæ sunt. statim enim sine ullo apparatu, tanquam res leuissima esset, ita aggrederis. „Nihil minus, inquit, sibi arrogauit Petrus, q̃ eiusmodi pri„matum, quem exercuit nunquam. ideo non exercuit, quia nunquam accepit. Hæc tua sunt ualida scilicet argumenta. Sic enim incipis Petri authoritatem oppugnare. negas eum sibi illam arrogasse. Quid autem tu intelligas per uerbũ arrogare, nescio. si hoc intelligis, qđ uerbũ ipsum apud latinos sonat, eam authoritatem sibi Petrum nunquam sumpsisse, nunquam authorem sibi huius potestatis fuisse, quemadmodum contra de Rege dici potest, sibi eum hanc potestatem arrogasse, quam nullo iure, nullo exemplo, primus omnium Regum sumpserit, non ab alio traditam, sed alii potius, qui iure eam haberet, ereptam: equidem tibi hoc ualde assentior, Petrum nunquam hanc sibi authoritatem ar„rogasse. Sed quod adiungis, ideo non exercuit, quia nũquam ac„cepit, in hoc iam non solum false, sed etiam impie loqueris. Accepit enim ab eo, qui maxime dare potuit, cui rei testimonio sunt,

Sampson facit Petrum iterum negare Christum metu gladii regii.

Sampson regium gladium passim in suo libro stringit.

Sampsonis verba.

Arrogare.

Rex Henricus pontificiam sibi potestatẽ arrogauit.

authoritas

authoritas ecclesiæ, authoritas scripturarum, authoritas omniū sanctorum & doctorum uirorū, quot quot de iis rebus aut scri-pserunt, aut dixerunt; quibus quidem euentus ipse rei tot iam sę culis, quot a Petro ad nostram ætatem numerantur, mirifice con sentit. Verum tu ut probes illum non accepisse, inde ordiris, ut prius doceas non exercuisse: ad quod probandum abuteris qui-busdam scripturæ testimoniis. Nos autem alium ordinem seque mur. Primum enim ostendemus eum accepisse. ac tum, qui uirū bonum eum fuisse confiteatur, dubitare non poterit, quin etiam exercuerit, ut ego nihil præterea dicerem. Sed hoc etiam ut spe-ro, apertum faciemus. Incipiemus autē ab eo loco scripturæ, quem tu quia uis uideri nihil ad rem facere, contemptim citas, cum tamen ecclesia inter præcipuos locos, quibus sententiam su am confirmat, afferre illum soleat. Sed tu, scilicet ut hac arte sim plicioram animos facilius caperes: quasi leuiorem aliquam, ac nullius fere momenti authoritatem reiiceres, quam ecclesia gra-uissimam, & maximi pōderis iudicat; sic disputationem ordiris.

Petrus a Christo pō tificiam authoritatē accepit.

Neq; inquis, ad rem pertinet, quod Petro loqueretur Christus, in euangelio, dicens. Ego dico tibi, tu es Petrus, & super hāc pe tram ædificabo ecclesiam meam. An ad rem pertineat, iam ut spe ro, uidebimus, & tu in primis Princeps uidebis clarissime: si mo-do hoc a te impetrari patieris, ut recto animo ac iudicio, utranq; partem audias. Quanquam aūt plura, & maioris ponderis sunt, quæ te ut in hanc potius quam defendimus, partem propēdeas, merito mouere debent, tamen hoc non peto: tantum peto, ut te, quantum fieri potest, æquum utriq; tātisper dum utriusq; ratio-num momenta expenduntur præbeas; neq; quicquam mihi con-cedas, nisi quod tuo ipsius iudicio ratio probauerit. Multū qui-dem nūc uideor de iure meo remittere, qui tuo iudicio id quod dicturus sum, permittam, cum te alienissimum a mea sententia pa lam ostendas. Sed ita causæ confido, ut nullius, qui non se aper-te hostem ueritatis profiteri uelit, iudicio possim diffidere. Qua re nunc Princeps, ausculta. hoc uero primum, quoniam aduersa-rius negat super Petrum ecclesiam Christum ædificasse, ut saltē ecclesiam a Christo ædificatam esse mihi concedat, postulo. At hoc nunquam negabit Sampson. Verum qui non negat, scit ne ipse quid sit ecclesia? scit ne, quid sit ecclesiam ædificare? Certe si ex libro eius iudicare licet: neutrum se horum scire ostendit. ut autem hæc a te Princeps, ad cuius iudicii ęquitatem prouocaui, intelligātur; tibi ipsa adumbrare conabor, nam explicare maio-

Sāpsonis verba.

Regis iudicio pmit-tit, quod dicturus ē.

Sampson videtur ne scire quid sit ecclesia

ris esset operis. Atq; hoc modo facillime, quid per ecclesiam significetur, intelliges, si tuũ ipsius munus quale sit, intellexeris; hoc est si quid sit regnum, aut etiam ciuitas quæ unius imperio regitur, cognoueris. umbra enim & tanquam pictura ecclesiæ regnum & ciuitas sunt, quæ ecclesiam non aliter exprimunt, quam imago a bono artifice depicta ueram corporis effigiẽ referret.

Ciuitas pictura ecclesiæ.

Sed ne nomina nos perturbent, dicamus ecclesiæ picturam esse ciuitatem, & nihil aliud huic initio addamus. nunc autem aduertamus, quid primum in hac pictura nobis occurrat, quid autem prius se nostris oculis in ciuitate offert, quã congregatio multitudinis? Atqui non oĩs congregatio multitudinis ciuitatẽ facit.

Ciuitas regalis.

addamus ergo illud qđ eam multitudinẽ ciuilẽ reddit: & dicamus, ciuitatem multitudinem hominum esse iure & legibus congregatam. Sed nondum ciuitatem uidemus, nisi modum etiam quo gubernetur, uideamus. Quare hoc adiungamus, quando ciuitatem regalem describimus, ut dicamus, multitudinem esse iure & legibus congregatam, quæ unius imperio pareat. Verũ ne sic quidem satis perspicimus talem ciuitatem, nisi etiã quare & quem ad finem consequẽdum hæc multitudo iure sit, & legibus sub unius imperio congregata, uideamus. At hoc profecto obscurum non est, eo consilio homines certo iure ac legibus sub unius potestatem conuenisse, quo hanc quæ secundum naturam est, uitam commodius degerent: ut necessitatibus primum naturæ, deinde commoditati etiam uitæ subuenirent. En tibi ciuitatis adumbratam imaginem: quæ quidem ecclesiam tanquam exemplar exprimit. hoc uero ita se hẽre cognoscemus, si ad ipsam ecclesiam mentis oculos conuerterimus; in qua eodem modo hominum multitudo nobis occurrit: multitudo autem iure & legibus congregata.

quid inter ecclesiam & ciuitatẽ intersit.

Sed quid nunc inter utranq; intersit, ut ab imagine exemplar distinguatur? Hoc scilicet, ꝙ in illa leges humanæ, humana ratione inuentæ, multitudinem continent: hic in ecclesia, leges itidem, at hæ non humanæ, sed diuinæ, & per spiritũ Dei conditæ, congregationem continẽt. Et quoniam ciuitati regali similem ecclesiam dicimus, hoc etiã in ecclesia maxime spectatur, quam Propheta appellat ciuitatem Regis magni.

Psal. xlvii.

Sed quem ad finem adipiscendum utrobiq; congregata sit multitudo, non est omittendum. Ac ciuitatis quidem, quæ regia potestate continetur, finem iam diximus: & si idem, quo apertius intelligatur, uidetur repetẽdum.

Finis ciuitatis.

Dicimus ergo, ciuitates quæ legibus humanis sub Regum imperio uiuũt, eundem finem propositum

habere,

habere, quem populus ipse Israel secundum carnem spectauerit: cui leges obseruanti Deus ita per Propheram promisit. Si hæc feceritis, bona terræ comedetis. hoc idem omnibus secundum leges naturæ, quas recta ratio dictat, uiuētibus Deus promisit, fore inquam ut ipsi bona terræ comederent. Huc pertinent omnes illæ, ut scriptura appellat, benedictiones, quas Deus ore Moysis populo Iudaico legem obseruanti promisit, liberorum procreationem, fructuum ex agris & pecore prouentum, ac reliqua quæ in benedictionibus Moysis continērur; in quibus quidem nihil aliud explicatur, præter terræ bona. At nunc in ecclesia quid discemus? Quid spectat illa multitudo? quid sperant obseruātes leges Dei, leges spiritus, qui sub Deo Rege congregati sunt? quid aliud, q̄ bona cælestia & diuina? quibus per Prophetā Deus ita ꝓmittit, Inebriabo sacerdotes pinguedine, & populus meus bonis meis implebitur. Vt ergo fruātur bonis diuinis, homines in ecclesiam conueniunt. Id quod eodem in loco Propheta magis explicat, de futura ecclesia loquens. Et confluēt inquit ad bona domini, super frumento, uino, & oleo, & fœtu pecorum & armentorum, eritq; anima eorum quasi hortus irriguus. Vt ergo animi bona, non corporis neq; externa consequantur, homines se ipsos legibus diuinis subiiciūt, & in ecclesiam cōueniunt. Quod si adhuc uno uerbo explicare uolumus, quid spectet multitudo in ecclesia: dicimus, ut Deo fruantur, in quo omnia bona continentur, propter quē reliqua omnia parui faciunt, & libenter reiiciunt. Quod autem Abrahamo munera Regum in præda diuidēda recusanti, dixit Deus. noli timere Abraham, Ego enim ero merces tua magna nimis: idem dicit Deus omnibus munera illa quæ per Reges in ciuitate terrestri dari possunt reiicientibus: cuius est merces magna nimis. Hāc mercedem magnam nimis, tum Deus ipsi Abrahamo plene persoluit, cum ex semine eius filium suum nasci uoluit, quem ecclesia primum agnoscit conditorem, per cuius spiritum perpetuo regitur: quo deniq; ut fruant, tanquam bonorum omnium summa, omnes qui in ecclesia sunt, nihil laborum ac molestiarum pati recusant. hęc illis beata spes est, & longe felicissima expectatio. Inuenimus igitur uerum illum, quem unum semper spectat ecclesia, finem, hic autē est Christus, est Deus ipse. inuenimus etiam id, quod omnia ad hunc finem pertinentia comprehendit, continet, ac regit, id est spiritum Dei, spiritum Christi, qui regit ecclesiam, ut prudentia humana ciuitatem uel regnum. In hoc quoq;, ut spero, nulla mihi cū Sam

Esa. i.

Deut. xxviii.

Finis ecclesiæ.

Hiere. xxxi.

Gen. xv.

Spiritus Dei regit ecclesiam.

pſone erit controuerſia. Sed nunc magna illa contentio inſtat: cum conſtet Chriſtum de hac eccleſia tanquam de ædificio quo- dam loqui cuius ſe ipſum architectum conſtituat, quod tempo- re inciperet, tēpore creſceret, & ad ſummū faſtigium tēpore per duceretur; cuius primum fundamenta, & forma ſpectant: de hoc nunc fundamento quæritur, ubi nam illud collocarit Chriſtus, quod exordium huic omnium præclariſſimo operi dederit. Nos cum dicimus ſuper hominem Petrum cœpiſſe hanc ædificatio- nem, ſuper illum primum fundamentum eccleſiæ futuræ iactum eſſe, exclamat Sāpſon, nec poteſt ferre; Abſit, inquit, ut ſuper ho minem ædificetur eccleſia. Sed quare Sampſon? hoc inquit, eſſet ſuper harenam ædificare. Quid ergo? times, ne cadat, ne ruat, ſi ſuper hominem fundetur? Ac merito quidem Sampſon times, ſi illum tantum hominem ſpectes, ſuper quem nos hæc fundamen- ta iaci dicimus. ille enim non modo harena inſtabilior, ſed uitro etiam, & ſiquid uitro magis fragile, imbecillior eſt. Sed attol le pauliſper ad architectum oculos: & nūquam dubitabis de rui na, ſi modo ille ſtabilitatem promittat. Ille uero ſic ſtabile futu- rum hoc ædificium promiſit, ut id nulla uis, nec uiſibilis, nec in- uiſibilis, demoliri poſſit. Sed tu hic iterum, & altius iam excla- mabis. quæ enim de ſtabilitate huius ædificii a Chriſto promit- tantur, ea uel maxime tibi perſuadere dices, ſuper hominem ſid fluxum & fragilem hoc tam firmum ędificium non potuiſſe con ſtitui. Chriſtum enim ipſum eſſe, qui dicat, nō eſſe boni archite- cti ſuper harenam ædificare. Quam ergo non eſſe cōſentaneum de Chriſto architecto cogitare, ipſum uoluiſſe ſuper hominem, quo nihil quidem eſt fragilius, fundamētum eccleſiæ ſemper du raturæ conſtituere? Adhuc Sampſon oculos nimium deiicis ad hominem huic ædificio ſubiectum, architectum non ſatis atten- dis. Sed ſi adhuc nomen hominis times, quod maxime profecto eſt timendum, tantiſper quidem, dum oculos in illum tantum fi- xos habes: at aliquando, ſi potes, oculos ad architectum attolle: aut ſi non potes tantum lumen ſuſtinere, ſaltem audi quid archi- tectus dicat, audi uocem, Beatus es, inquit, Simon Bariona. no- men hoc quidem fragilitatis eſt, Simon enim Bariona hominis erat nomen, quod ipſe in natura ſua fragili manens habuerat, quod acceperat a patre ſecundum carnem. Sed cum dicit Chri- ſtus ſe ædificaturum ſuper eum eccleſiam, nomen hoc mutauit. Et ſtatim adiūgit. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hāc Petram ædificabo eccleſiam meam. Hic quidem Sampſon, ſi uel

Chriſtus eccleſiæ ſuæ fundamentū ſu- per Petrum iecit.

Mat. vii.

Mat. xvi.

Simō nominatur Pe trus.

uocem

uocẽ architecti audire potes, nulla fragilitas timenda est. Quod si uereris ut possit facere, ille idem est qui omnia ex nihilo fecit; cuius dixisse, fecisse est: quem nũc cum audis dixisse Simonem Bariona esse Petrum, existimato iam factum esse, iam Simonem esse Petrum, ex fragili fundamento stabile effectum, super quod si ecclesia fundetur, non amplius timẽdum sit, ne uenti aut fluuii irruentes ædificium euertant. Non enim iam super harenam, nõ super Simonem, sed super Petrum est fundata. de quo si adhuc dubitabis, architecti tantum potentiam considera; quem si uides eundem, qui uerbo omnia creauit, quid iam te terret? num abbreuiata est manus domini, ut non possit conseruare quantũuis fragile opus, & perpetuum facere, qui ex nihilo fecerit quæ semper duratura essent? Quod si de potentia certus, cum uideas eum omnia posse, dubites an uelit: possumusne certius argumentum illius uolũtatis habere, quã ꝙ ecclesia hoc dicit? illa ecclesia Sampson, quam Prophetarum uerbis pauloante ostendimus semper regi spiritu Dei, ut ciuitates spiritu hominum, prudentia humana: illa inquam ecclesia, cui ita Deus patefecit, uolũtatem suam, ut per Prophetam, hoc ei nomen dare uoluerit, cum dicit, Nouũ nomen dabo, non amplius uocaberis derelicta sed uocaberis uoluntas mea in ea. Ab ea ergo exquiramus uoluntatem Dei. Sed quid opus est exquiramus? uide ecclesiæ consuetudinem. Si Dei uoluntas declaratur in ecclesia, ubi hæc intelligi melius potest, q̃ in consuetudine ecclesiæ? Interroga ergo patrem tuum, & dicet tibi: maiores tuos, & dicent tibi. hanc consuetudinem proferent, & dicent Petrum a Christo accepisse Christi in terris locũ, locum capitis in ecclesia: cui qui succedant Romani Pontifices, eundem locum teneant. At qui huius te antiquissimæ consuetudinis minime ignarum ostendis, cum ipse protuleris mille annis antiquiorem Regis Britannorum historiam, qui ad Pontificem Romanum miserit, ut ab eo fidei christianæ dogmata acciperet. Si nihil is putabat amplius authoritatis esse in Romano Pontifice, quam quantum esset in aliis: quid opus erat tam longe mittere? an nulli erant episcopi propinquiores? At certe negari non potest in Galiis fuisse ab ipsis apostolorum temporibus. Quid ergo opus fuit Romam tam longe mittere, nisi illic Petri successorem esse sciret, quem ecclesia Christi in terris uicarium agnosceret? A quo autem postea, cum in Britannia barbarorum infestationibus fides intercidisset, iterum est renouata, nisi a successore Petri, Gregorio episcopo Romano, qui Augustinum illuc

Esa.l.

Esa.lxii.

Ecclesia uocatur uoluntas Dei in ea.

Deut.xxxii.

Cur Lucius rex Anglorum ab Eleutherio Rom. Pontifice fidẽ acceperit potius quam ab episcopis Galliæ.

Fides in Anglia renouata per Gregoriũ.

docendi causa misit? Sed hæc consuetudinis exempla neminem esse dices qui non nota habeat: te autem scire uelle, unde nã primum huiusmodi cõsuetudo irrepserit. a quo igitur scire hoc uis Sampson? a quo potius quam ab ecclesia? illa uero nihil aliud dicit, nisi traditam per manus ab ipsis usq; Christi & apostolorum temporibus. At tu dices rem non ita se habere, quid ergo? nõ credis ecclesiæ? Ita sane ipsa catholica tradit. Verum tu scripta exigis.

Sampson non credit ecclesiæ sine scripto

Siccine Sampson contemnis ecclesiam Dei, ut nihil illi sine scripto credas? quid si autem scripta omnia intercidissent, quemadmodum quidem fieri potuit, & de antiquo testamento narratur in historiis, periisse oẽs libros in illa hebræorũ captiuitate, quos postea Esdras spiritu Dei plenus instaurauerit?

Esdras perditos antiqui testamenti libros instaurauit.

Quid igitur si idẽ in nouo accidisset, ut libri nõ extarent? amisisset ne ecclesia nomen sibi a Deo impositũ, uoluntas mea in ea? Sed tu plane, nec cum scripto, nec sine scripto te illi credere ostendis. cum enim ea profert illum euãgelii locum, ubi Christus loquitur de clauibus ecclesiæ Petro datis;

Mat. xvi.

tum multo magis cum ipsa contẽdis; & tãquam cum falsario quodam tibi res esset, abrepto libro e manibus, ipse inspicere uis, ipse uerba legere: statim autem pronuncias, quæ ecclesia maximi mométi esse dicat, ea nihil ad rem facere: aliam autem ipse ab ea q̃ ecclesia probet interpretationẽ affers. Quid est hoc aliud, quam plane dicere, ut omnes intelligant, ecclesiam multis sæculis errasse, donec Sampson extiterit, qui tanquam pueros elementa, sic principia nostræ religionis ecclesiam doceret? Iam enim de principiis & elementis religionis agimus.

Sampson plus ciuili consuetudini tribuit, quam ecclesiasticæ.

Cum uero consuetudini ciuili hic honor tribuatur, ut in quibus causis de scripti alicuius ui & significatione quæratur, in iis consuetudo sit optima interpres; ne hunc quidem honorem Sampson tribuit consuetudini populi Dei in ecclesia: cumq; illic quod in sola consuetudine positum est, uel cẽtum annorum spatio uim legis obtineat, hic ne mille quidem annos admittit; ac tot annorum uel sæculorum potius consuetudinem, tanquam si unius diei esset, tolli uult, & sibi plus q̃ uniuersæ ecclesiæ credi. Quæ ista tãdem est impietas Sampson? Sed hæc me tergiuersandi causa dices sæpius repetere, & tam multa de consuetudine ecclesiæ dicere, q; me rationes deficiant ex scripturis, quibus uel hanc ecclesiæ consuetudinem confirmare, uel quæ contra affers, infirmare ac diluere possim. Si hoc dicis, me non libenter tecum rationes hac de re cõferre, nihil sane erras. nihil enim magis inuito animo facio; & ob hanc solum causam, quod te indignissi-

mum

mum iudico, qui rationem audias, cum illud quod maiorem uim quam ulla ratio habere debet, idest ecclesiæ consuetudinem re- spuas: tuo autem modo satisfieri tibi hac de re uelis, & post mil- le annos ecclesiam tãquam in ius uoces, rationemq; reposcas tot annorum consuetudinis. Quod sane impietatem tantã declarat, ut propemodum peccasse mihi ipse uidear, qui hucusq; tecum ra tionibus certauerim; quem si statim sine responsione dimisissem, magis me arbitror uoluntati Christi satisfacturum fuisse, qui eiusmodi porcis margaritas obiici uetet. Sed ne scandalum of- ferremus infirmis, qui fortasse non alia de causa me tacuisse exi stimarent, quam q̃ tuæ rationes ita firmæ uisæ essent, ut iis de- sperassem responderi posse: & initio, ut tecum agendum putaré, adductus sum, & nunc ut reliqua adiungam, commoueor. Tan- tum igitur precatus a Christo, ut mihi de eo spiritu impertiat, quo authore hæc in ecclesia consuetudo inualuit, ut Petri succes- sor Christi ipsius personã representet, ad uerba euangelii, quę ec clesia huius consuetudinis confirmandæ causa solet adducere, exponenda accedam. ea uero apud Matth. cap. xvi. perscripta, sic se habent. quæ repetam aliquanto altius, quo apertiora omnia fi ant, ab ipsa scilicet interrogatione Christi ad discipulos, sic igi- tur interrogat. Quem dicũt homines esse filium hominis? illi au tem responderunt, alii Ioannem baptistam, Alii Eliam, alii Hie- remiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis IESVS uos autem quẽ me esse dicitis. Respondens Simon Petrus dixit. tu es Chri stus filius Dei uiui. Respondens autem IESVS, dixit illi. Bea- tus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi nõ pręualebunt aduersus eam, & dabo tibi claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cælis. Iam recitaui illa uerba, quæ Sampson dicit nihil eo pertinere, ut per hæc ostendatur ecclesiæ fundamenta iacta esse a Christo in Pe- trum. Reliquum est, ut ecclesiæ authoritatem sequentes, & eius contra Sampsonis impetus defensionem suscipientes, eam inter- pretationem afferamus, quam ipsa ecclesia primum ostendit. in qua non est Princeps, quod a me plus expectes, quam ut ecclesię sententiam eiusmodi uerbis interpreter, quibus ea clarior appa- rere possit. nihil enim nouum ipse afferam. absit hæc a me temeri tas ut hoc conari uelim. in hoc tãtum elaborabo, ut eandẽ quam

Consuetudo ecclesiæ maiorem vim habet quam vlla ratio.

Sãpsõn indignus est cui respondeatur.

Mat. vii.

ecclesia sequitur, horum uerborum sentẽtiam, uerbis paulo aper tioribus declarem. quod si assequar, non dubito, quin omnibus planum ac conspicuum futurum sit, impiam esse Sampsonis con tra sententiam ecclesiæ interpretationem eius loci, quem dicit ni hil ad rem facere, quæ tamen ipsa p sese sine aduersario, apud ho mines non ptinaces facile corrueret. Hic uero multa essent alti- us repetenda, si ad intimum sensum uerborum Christi in illa in- terrogatione & responsione Petri penetrare conaremur. omnia enim fere, quæ in mysterio generi humano ab initio mundi usq; ad illum diem, quo Christus hæc interrogauit, sunt dicta, in illa interrogatione & responsione latent. Sed nos ei potius breuita- ti, quæ cum perspicuitate conuenire possit, studentes, & altiora il la principia, nisi quatenus sponte se offerent, atq; opus erit, relin quentes, ipsis euangelii uerbis insistemus. Sic igitur nunc inter- rogat Christus discipulos suos. primum quidem de aliorum, de inde etiam de sua sententia. Occasio uero interrogationis prius est dicenda, quæ quidem ita se habet. Cum Christus natus e mu liere, exteriori corporis facie, nihil supra hominem ostenderet, qui se filium hominis, quemadmodum re uera erat, appellabat; si gna tamen & miracula, quæ supra hominis naturam essent, mul- ta ederet; dubitatio merito quædam in animis hominum existe- re potuit, quis nam is esset, cuius si opera spectarẽtur, iam longe supra hominem; sin persona & habitus exterior corporis, etiam infra hominem esse uideretur. sic enim illum Propheta appellat, nouissimum uirorum. Locum ergo quæstioni fecit hæc diuersi- tas operum & personæ, quæ non potuit non in animis hominum uarias gignere opiniones. cum autem duplex hominum genus sit, Vnum quod Christus appellat de mundo, cuius sæpe in scri- ptura mentio fit, ut in illo euangelistæ loco, Mundus eum nõ co gnouit, qua appellatione homines ii significãtur, qui rebus mun danis toti sunt deditι; alterum genus eorum, quos Deus ipse ele git ex mundo, quales Apostolos suos dicit esse, uos ex mundo non estis. & iterum in illa oratione ad patrem, non pro mũdo ro go, sed pro his quos tu mihi dedisti, selectos a mundo; qui sane ut pfessione, sic opinionibus quoq; sint diuersi necesse est: Vtri- usq; ergo generis quæ sit opinio sciscitatur, Ac primum quidem illorum qui ex mundo erant; quos meros homines appellat. sic enim dicit, quem dicũt homines esse filium hominis? ad discipu- los interrogationem conuertens. qui omnes una uoce ad hanc quæstionem responderunt; hoc enim facile erat scire, neque hic quisquam

Cur Christus discipulos roget, quẽ homines ipsum esse dicant.

Esa. liii. „

Duplex hominũ genus.

Io i. „ *Mundus, Homines.*

Io. xv. & xvii. „ „ „

„

quisquam expectabat, dum alter responderet. Dicit igitur Euangelista, Illi autem responderunt, alii Ioãnem baptistam, alii Eliam, alii Hieremiam, aut unum ex Prophetis. Hucusq; facilis responsio discipulis fuit, qui quotidie uoces populi de Christo loquentis exciperent; cuius etsi opera admirabatur, nihil tamen supra hominis naturam de eo suspicabatur, quem carne indutũ uideret: satisq; magnam de eo opinionem se habere putabat, si cũ magnis hominibus conferret, aut unum esse ex maximis Prophetis eum diceret. Ad hanc responsionẽ, neq; Christus ipse aliquid adiungit, nec ulterius de hominum opinione eos interrogat. Sed uos, inquit, quos ego scilicet e mundo elegi, quos ego interiores ac magis familiareis meorum operum spectatores feci, quem me esse dicitis? Respõdit Simon Petrus. cur hic reliqui tacuerunt? cur non omnes una uoce clamarunt, quemadmodum cũ de populi opinione erant interrogati. Tum enim dicit Euangelista. Illi autem responderunt. an ingrata fuisset responsio, si omnes una uoce clamassent, Tu es filius Dei? an non ita fuit faciendum, nisi altius mysterium lateret, ut hæc respõsio uni referuaretur? non ergo hic clamarunt. subticuerunt, ubi maxime fuisset loquendum. dicit enim Euangelista. Respondens autem Simon Petrus. & quid respondit hic unus, tacẽtibus reliquis? Tu es Christus filius Dei uiui. quid autẽ ad hoc Christus? Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Hic non iam amplius ad plureis sermonem dirigit; ad unum Petrum se conuertit, & cum nomine appellat, & beatum esse dicit. Sed quo nomine appellat? nempe Simonis Bariona. atqui hoc quidẽ nomen fragilitatis est. Quid enim Simon Bariona, nisi filius hominis fragilis? & hoc sane maxime conuenit, ut hoc nomine appelletur, quod nomen est miseriæ; ut ab ea post liberatus, & factus beatus, maius liberatoris beneficium agnoscat. Interrogauerat autem prius discipulos de hominum opinione, quorum sententiam illi edixerant. Nunc autẽ Simonem Bariona appellans, cum plane hominem ut cæteros esse dicit; ipsum quidem ex se se hominem & miserum: sed nunc beatum, quia cognoscat filium Dei. Hęc est enim uita æterna (dicit ipse apud alium Euangelistam) ut cognoscant te Deum, & quẽ misisti IESVM Christum. Sed quo pacto cognoscebat is qui Bariona erat, filium Dei? cur non is etiam Christo alicuius Prophetæ nomẽ, ut reliqui homines, dedit? Sic quidem proculdubio fecisset, sic eum Bariona nominasset, nisi hoc, quod dixit, de cælo

Cur unus Petrus respõderit, Tu es Christus filius Dei.

Simon Bariona nomen fragilitatis.

Simon Bariona, qua re beatus.

Io. xvii.

accepiſſet.nec enim opera ulla Chriſti,quãtumuis magna,altio-rem,q̃ Bariona,& q̃ hominis ſcientiam de eo qui carne indutus inter homines uerſaretur,largiri poterant,q̃ ut eũ ſummum aliquem uirum eſſe,uel Prophetam,uel aliquem omnino Deo charum,hominem tamen,oſtenderent.nunc autem cum hanc Bariona cognitionem e cælo hauſiſſet,cum non ex operibus,neque ex aliqua re,quæ ſenſibus ſubiecta eſſet,ſed penitus in animum infuſam hanc a Deo cognitionem accepiſſet, quid tum audiuit a Chriſto?Primum beatum illũ hac una cognitione Chriſtus pronunciauit,quam utiq; non caro & ſanguis,ſed pater cæleſtis illi reuelaſſet.Quid deinde?quid adiunxit Chriſtus poſtq̃ beatum eum appellauit?Et ego,inquit, dico tibi, quia tu es Petrus. ſed ubi nomen iam fragilitatis?ubi Simon Bariona?Nimirum mutatus eſt in Petrum.Quid autem ſibi uult hæc tam ſubita mutatio nominis?Qui modo Simõ Bariona & beatus appellatus eſt cur non illud idem nomen,quod tum habuit cum beatus dictus eſt,etiam nunc retinet?Hoc quidem primum uideri poteſt ea ratione factum eſſe,ut Petro oſtenderetur genus nouæ huius felicitatis,qua beatus pronunciatus ſit, tale non eſſe,quale primus eius parẽs habuiſſet.illa enim nequaquam ſtabilis eſſe poterat: ſed ut illi tributa,qui ex luto conſtitutus erat,tanquam aliquod luteum opus ſtatim dilabebatur. Hæc uero collata in eum qui de luto factus eſt petra, æternam durationem ſignificat, qualia ſunt,quæ uiuo ſaxo inædificantur. Deinde iam de ædificatione eſt dicturus,de eccleſia inquam,quã ædificare & fundare uult. Aedificio porro maxime conuenit,ut ſupra petrã conſtituatur. In hoc enim Chriſtus ipſe,Euangeliſta alio loco referente,ſtultos architectos appellat,qui ſuper harenam; bonos qui ſupra petram ædificant.Quia ergo de ædificatione eccleſiæ, tanquam architectus de ædificio eſt dicturus,quid magis conuenit quã mutare nomen Simonis in Petrum?quid magis oſtendit Chriſtum ſuper Simonem Bariona fundamentum eccleſiæ ſuæ iacere uoluiſſe,q̃ ꝙ de eccleſiæ ædificio ſub architecti perſona dicturus ſubito mutat nomen illius,quem beatum appellat,in Petrũ;& addit,ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam? Hac igit̃ ſimpliciſſima ratione,quo ab omnibus intelligãtur,illa Chriſti uerba enarrauimus.Qua in expoſitione nulla uis uerbis Euangelii adhibetur,nihil non mirifice conueniens adducitur. id quod omnibus liquido apparere poteſt. Sed nunc iterum eadem uerba Chriſti tractemus,quo firmiorem adhuc noſtram ſententiã reddamus:

Simon Bariona mutatur in Petrum.

Ædificium ſupra petram fundari debet.

Mat.vii.

damus: nec solum ueram & simplicem, sed omni ex parte contra
omnes, qui aduersari conentur, munitam. Accipiamus autem il-
la uerba, quę sunt Christi ad Petrum, quibus eum beatum dicit.
Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro & sanguis non reue-
lauit tibi, sed pater meus qui in cęlis est. Hic uero quid prius ad
considerandum se se offert, quam ꝙ ille qui natura est miser, na-
tura filius iræ (talis enim est Simō Bariona, & propterea miser,
ꝙ cognitionem amiserat creatoris sui) iam filii Dei iudicio bea-
tus pronunciatur? Sed quare beatus? quia cognitionem filii Dei
habuit, non a carne & sanguine acceptam, sed a patre cælesti in-
spiratam. Quid si autem a carne & sanguine hanc cognitionē ha-
buisset? an eo minus beatus esset? refert ne aliquid, unde quis
hanc cognitionem hauserit? an si in cognitione filii Dei sit con-
stituta felicitas, non quocunq; modo quis eam acceperit, beatus *Non statim beat... qui vtcunq; nouerit filium Dei.*
appellari potest? at hoc quidem dici non potest. Multi enim hāc
cognitionem habuerunt, IESVM in carne esse filium Dei, idq;
etiam confitebant; qui tamē non propterea beati appellati sunt.
hoc Nathanael, hoc cēturio dicebat, uere hic filius Dei erat. hoc *Mat. xxvii.*
etiam alii; sed non propterea beati. At hoc cur ita? quia hanc co-
gnitionem acceperāt a carne & sanguine; quæ cognitio minime
eius generis erat, ut ꝑpterea quis beatus dici posset. Hāc enim
cognitionem Nathanael acceperat, ut in euangelio narratur,
Quia dixi tibi, uidi te sub ficu, credis, maius his uidebis. centu- *Io. i.*
rio, propter signa illa quæ uiderat in passione. Quare non hi bea-
ti. ac ne Ioānes quidem ipse Baptista, cui uel Christi testimonio *Mat. xi.*
inter natos mulierum par nemo surrexit, qui Christum filiū Dei
esse nouerat, beatus appellatur, etsi a patre cælesti hanc cognitio-
nem habuerat. ita enim testatur Ioannes illum a quo missus es-
set, dicere, Super quem uideris spiritum descendentem & manen- *Io. i.*
tem super eū, hic est filius meus dilectus: id quod tum agnouit,
quando columbæ specie spiritum sanctum super Christum de-
scendentem uidit. Sed non propterea beatus; quia etiā ille, quasi
per carnem & sanguinem, per signū inquam exterius, hoc agno-
uit. Altiori ergo modo omnibus iis cognouit Petrus; & proinde *Mat. xi.*
altius elogium illi datur, quam illi etiam de quo dicit, inter na-
tos mulierum non surrexit maior. Quo igitur modo cognouit?
Eo plane, quo Deus hominis miseriæ misertus, cui uia ad beati- *quomodo Petrus cognouerit filiū Dei.*
tudinem erat clausa, quam prorsus ignorabat, promittit se eam
monstraturum, ut eum mitteret, qui uiā aperiret. Is uero modus
cognoscendi, non erat per hominem, qui caro & sanguis est; nec

per ſignum aliquod exterius:ſed plane talis, qualẽ deſcribit ſcriptura, non docebit quis, inquit, proximum ſuum, uir uirum, ſed omnes erunt docibiles Dei. Qui ſane modus cognoſcendi proprius erat noui teſtamenti, quod olim Deus ſe daturum promiſerat; proprius eorum qui ad Chriſti eccleſiam ſpectarent, qui populus Dei appellarentur, de quo Propheta in perſona Dei, Formaui mihi populum. Quare ſi ita nunc locum interpretarer: Ipſe formator, ipſe architectus, qui uenit ut fundaret hanc eccleſiam populi Dei, qui ſemper oculos ad patrem conuerſos habet, qui dicit ſe nihil facere poſſe niſi prius patrem operantem uiderit; is igitur in quo primum homine hanc cognitionem inuenit, quam eccleſiæ propriam futuram pater promiſerat, hunc primum fundamentum eccleſiæ fecit; dicerem ne aliquid alienum a ſenſu uerborum Chriſti? ipſa certe architecti uerba hoc idem declarant. Tanquam enim ſi expectaret, ut pater petram electam, quam in primo fundamento poneret, ſibi offerret, ſtatim ut animaduertit, Simonem filium Ionæ, cognitionem ſui a patre accepiſſe, pronũtiauit, Tu es Petrus, quem mihi pater cæleſtis qui tibi hoc reuelauit, obtulit; & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Verum antequam hoc dicat, ut beneficium patris magis innoteſceret, ut miſericordia patris fieret manifeſtior, dum in quã creaturam cæleſte hoc cognitionis beneficium eſſet collatum, exprimeretur; appellat eum, cui hoc reuelatum fuit, Simonem Ionæ filium, quod eſt nomen miſeriæ; quaſi ita diceret, Tu qui natura es filius mortis, filius gehennæ, totus tenebris circunfuſus; qui ex patre tuo Iona nihil hauſiſti præter peccatum, tenebras, & mortem, iam hac cognitiõe creatoris & liberatoris tui factus es beatus, liber a miſeria, liber a peccato & morte. Hæc enim ego præſtabo. ſuper te ædificabo eccleſiam meam, contra quam nec portæ inferi præualebunt. ut tota ſententia uerborum Chriſti hæc ſit, pater meus reuelauit tibi de me, & ego tibi de te ipſo reuelabo. Sed quid reuelauit tibi pater meus de me? quod ego, qui habitu inuentus ſum ut homo, qui ſerui formam gero, natura ſum filius Dei, ſum Chriſtus. Et ego hoc reuelo tibi de te, Tu qui natura es miſer, es ſeruus, es Ionæ filius, geres formam filii Dei. ſicut tu mihi dixiſti, Tu es Chriſtus filius Dei: ita ego tibi uiciſſim dico, tu es filius hominis, Tu es Petrus, & ſicut pater tibi reuelauit me eſſe Chriſtum, hoc eſt authorem, & architectum felicitatis humanæ, qui deſerta a ſæculo ædificarem, & ruinas Hieruſalem implerem; qui hominem fractum, & miſeria conquaſſatum

Eſa. liiii. — *Eſa. xliii.* — *Io. v.* — *Chriſtus ſuper illum fundauit eccleſiam in quo primum cognitionem eccleſiæ propriã inuenit.* — *Exponuntur illa uerba, Tu es Petrus, & ſuper hãc petrã, &c.* — *Philip. ii.* — *Eſa. xliiii. & lxi.*

tum

tum reficerem; ficut me hominem petram illam pretiosam electã posuit, super quam felicitas humana ædificata surgeret in cælũ; ita ego tibi reuelo, qui es natura miser, abs te incipiet hæc fabrica: Tu secundum me petra prima es, super quam ædificabo. & sicut ego firma petra sum toti generi tuo, sic tu post me eris etiam petra, contra quam nec portæ inferi præualebunt, nec ulla potestas uisibilis nec inuisibilis. Super te enim incipiam ædificare ecclesiam meam, quam in salutem humani generis extruo. Hactenus nihil est allatum, quod nõ ad unguem quadret uerbis Christi, & illi sententiæ, quam ecclesia per ea uerba significari ostendit: ut ipsa quæ hominibus constat iam ædificatis a Christo, primum hominem in hoc ordine agnoscat Petrum. id quod architectus, Deus & homo, illis uerbis innuebat, cum post reuelationẽ cælestem illi diceret, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meã. Sed quia fortasse hæc uerba de homine petra, & de ædificatione ecclesiæ super petram, quæ per translationem proferuntur, (nec enim proprie hominem dicimus petram, nec proprie ecclesiam super petram ædificari. hæc enim a rebus inanimatis, cuius modi sunt lapides, & lapidum cõstructio, transferuntur: de quibus proprie ædificare dicimus, de homine uero improprie) idcirco facile obscuritatem gignere possint, nisi clarius adhuc eorum sententia explicetur. Vt igitur nihil omittamus, quod ad apertam horum uerborum intelligentiam pertineat: primum ostẽdamus quid sit ædificare super hominem; uel potius quoniam duo his uerbis significantur, & hominem ædificatum esse in ecclesia, & ecclesiam fundatam super hominem, aperiamus primum quid sit ædificari hominẽ in ecclesia: quo ostenso, clarius certe elucebit alterum illud, quod dicimus, super hominem ędificari ecclesiam. Hoc enim posterius, necessario prius illud confirmat, nam super hominem ecclesia nõ posset fundari, nisi prius ipse homo esset ædificatus. hæc nunc si paulo inuoluti us dicuntur, quæ mox sequẽt oratio, explicatissima, ut spero, reddet. Nunc ergo primum de ædificatione hominis in ecclesia dicamus. Id quod Propheta ipse Hieremias nobis enucleabit, eo in loco, ubi de futura conuersione Iudæ & Hierusalem loquens, etiam de illorum ædificatione adiungit, quę eadem cum hac est, cuius nunc explicationem quærimus. Verba autem Hieremiæ, quæ ipse ex Dei persona ad tribus Israel & Iuda loquitur, hæc sunt. Ecce ego conuertam conuersionem Israel, & conuersionem Iuda: & ædificabo eos sicut a principio. En hic hominum ædifi-

Ecclesia super petrã ædificari dicitur metaphorice.

Homo, quomodo ædificetur in ecclesia.

Hiere. xxxiii.

catio. Ac statim declaratio subiungitur. Et emundabo (inquit) illos ab omni iniquitate sua, & propitius ero omnibus iniquitatibus illorum, in quibus dereliquerunt, & spreuerunt me: & erit mihi in nomen, & gaudium & exultationem cunctis gẽtibus terræ. Hæc Propheta. in quibus quidem paucis uerbis nihil prætermittit eorum, quæ de ædificatione hominis scire desideramus.

Homo per peccatum deiectus.

Nam cum homo initio quasi præclarum aliquod ædificium, & Dei futurum habitaculum, fuisset ab ipso opifice Deo de terra excitatus: peccatum illum rursus in terram deiecit, ædificium disturbauit, ut beluarum potius cubile, quam Dei domicilium esset. huius ergo hominis ædificatio hæc est, ut causa ruinæ, id est peccatum tollatur; quod quidem Deus illis uerbis promittit, cũ ædificationem pollicetur. Ac tum plane instauratum est ædificium, cum post deletum peccatum, nomen in eo Dei celebratur, cum totum est illius laudi dedicatũ. Verum si adhuc apertioribus uerbis hoc idem explicãdum est, dicimus hominem initio, ut inquit Ecclesiastes, factum esse rectum.

Eccle. vii. Deus hominem fecit rectum.

Rectum autem intelligimus, cum ad archetypum, ad cuius imaginem & similitudinem est effictus, se totum conuertit. se porro conuertebat, & rectus stabat, cum uoluntatem suam, ad Dei uoluntatem applicabat, quæ ipsum rectum sustinebat: a qua cum illum peccatum ad carnem suã auertit, tum uero cecidit, tum deiectus est; cuius nũc ædificatio est, ut rursus uoluntas eius ad Deum conuertat. Quare de ædificatione Propheta loquens, prius loquitur de conuersione.

Hiere. xxxiii.

conuertam, inquit, conuersionem Israel, & conuersionẽ Iuda; & ædificabo eos, sicut a principio: quasi sensus uerborũ illorum, & totius ædificationis hominis summa hæc sit, ut tollantur peccata, & uoluntas eius ad diuinam uoluntatem tota conuertatur. hæc demum uera est ædificatio hominis in ecclesia. neq; aliud intelligimus, cum dicimus hominem ædificari in ecclesia, nisi hominem post remissionem peccatorum, uoluntatem totam a se ipso ad Deum habere conuersam, ut laudem eius annũciet.

Ecclesiam ædificari quid sit.

Hoc est autem, quod dicimus ædificari ecclesiam: non ut unus tãtum homo intelligatur ædificatus, sicut initio in ædificatione hominis terrestris: sed ut plures, id enim significat ecclesia ædificata, congregationem multorum hominum iam ædificatorum. quod alius Propheta aliis uerbis, sed eandem sententiam habentibus, exprimit. Formabo, inquit, mihi populum qui laudẽ meam annunciet. quod perinde est, ac si diceret ędificabo mihi populum, ædificabo mihi ecclesiam. Populo enim ac multitudine ecclesia

constat,

constat, cuius cum stabilem firmitatẽ, atq; aptam partium inter se colligationem nunquam dissoluendam, uult scriptura exprimere, nominibus earum rerum, quæ inter se connexę maxime durant, hoĩes illos appellat. lapides enim eos uocat, nõ temere illos quidem proiectos, sed superædificatos; id quod cum firmitatẽ, tum etiam ordinem quendam significat; quæ duo nomine ædificii ex petris constituti satis intelliguntur. Hoc autẽ modo, quicunq; in ecclesia sunt, petræ dici possunt, & petræ quidem in ædificio positę. Sic enim Petrus ipse communiter alloquitur omnes qui sunt in ecclesia, uos estis lapides uiui superædificati. Ex quibus uerbis itelligere possumus, si uniuersis dici potest uos estis lapides, uos estis petræ (hic enim uocum tantum est differentia, non rerum) sic etiam singulis qui in ecclesia sunt fundati, posse dici, tu es lapis, tu es petra. Sed hic se eriget Sãpson, cum audierit me hoc dicere omnes christianos esse petras. hoc enim ipsum est, quod tam uehementer contendit, ut ex iis uerbis, Tu es Petrus, omnes doceat qui Christi nomen in ecclesia confiteãtur, esse petras; omnibus quicunq; fidem Christi profiteantur, dici posse, tu es Petrus. Quantum nunc sibi & causæ suæ confidere incipiet? At ego Sampson, si tibi in hoc uideor gratificari, quod dicam omnes christianos esse petras: etiam hoc amplius adiungã, quod tibi gratius fore existimo, ut scias me in reliquis, ubi a te dissentio, necessario & coactum dissentire, qui a nullo libẽter soleam dissidere: hoc igitur nunc adiungam de illis petris, quales dico omnes christianos esse, ut dicam uirtutẽ eas in se huiusmodi habere, ut ipsæ ædificatæ, possint aliarum ædificationi conferre, socias ac tanquam germanas petras, quæ in eodem sint ædificio constructæ, iuuare, & ad uitam æternam consequendam iuuare. Ita enim Paulus scribit, Aedificate alterutrum, ad omnes nullo discrimine uerba faciẽs. Quare hac ratione oẽs ab omnibus, singulos a singulis, qui uiuæ petrę sint, posse ædificari, posse etiã in fide confirmari. Sed hic nunc exultabit Sampson, & tanquam uictor pæana canet: me iam contemnet, qui uictus a ueritate ad suam sententiam delabar. Nam quid aliud se toto libro suo egisse, nisi ut quod alii proprium Petro esse dicunt, ut sit petra, id illi commune cum omnibus, qui in ecclesia sunt, faceret? Quod si hoc concedatur, omnes esse petras, & tales quidem, ut mutuo se se ædificare possint; quid præcipui relinqui Petro? iam cõtrouersiam esse sublatam, suã causam manere inuictam contendet. Sed audi Sampson, & cõtine te paulisper, si potes. si enim te ꝑpterea

quicunq; in ecclesia sunt, petræ dici possunt.

" i. Pet. ii.

Viuæ petræ in ecclesia ædificari a se mutuo possunt.

" i. Thess. v.

uícisse existímas, q hoc tibi concessi, omnes christianos esse pe-
tras, & tales ut sese mutuo possint ædificare; nec causam tuam tu
te nosti, nec quid tibi ipse concesserim, satis intelligis. Primum
enim non in eo uertitur quæstio, nec in eo est inter nos contro-
uersia, reliquis ne etiam christianis nomen petræ possit tribui. in
hoc enim nemo corũ, quos tibi aduersarios, quia ab ecclesia dis-
sentis, fecisti, tecum contendisset. Sed cũ hoc in confesso sit, com
mune omnibus christianis nomẽ esse petræ (omnes enim a Chri
sto facti sunt petræ) in hac tamen nominis communitate perma
gnum ego discrimen inesse aio, quod quidem ad dignitatis ac
præstantiæ gradum attinet: nec omnes parem nobilitatis locum
in hoc ædificio obtinere. Tu contra negas. hic cõstituta contro-
Petrus primæ petræ locum tenet. uersia est. hic causæ huius cardo uertitur, de pręstantia inquam,
ac de eo, an Petrus in hoc ædificio primæ petrę locum teneat, an
illa sit petra super quam Christus testabatur se uelle ædificium
» suum constituere, cum diceret, tu es Petrus, & super hãc petram
» ædificabo ecclesiam meam. Hoc tu igit̃ negas, nos cum ecclesia
asseueramus. Sed nunc probationes expectantur. Iterum enim
ad confligendum uocamur. De hac petra est nobis contentio,
quam tu e fundamẽto, quo loco eam Christus posuit, tollere con
tendis, quod ego a te fieri non patiar. eam ego petram fretus ec-
clesiæ copiis, contra te sic, ut spero, semper defendam, ut commo-
uere omnino, uel potius attingere non possis. ac statim quidem
ea afferam, quæ illam petram maxime eo in loco stabiliãt, si pri-
us hoc quod ualde ad rem pertinet, paulo solidius confirmaro,
Oẽs christiani sunt petræ, sed inter petras magnum est dignitatis discrimen. 1. Cor. xii. ut constet, cum omnes christiani sint petræ, esse tamen inter has
petras, quod ad dignitatem, & præstantiam attinet, differentiã,
id quod nullo negotio ex ipso Paulo possem ostendere, qui ex-
emplo membrorum corporis, aperte testatur, q̃ inter se nobilita-
te differant; licet enim omnia dicantur membra, aliud tamẽ alio
esse nobilius, ut oculum pede. Quæ uel sola authoritas facile to
tam controuersiam secundum me terminaret. Sed quoniam a
petrarum similitudine incepimus, ab ea non discedemus. Est ue-
ro locus apud Esaiam, qui totam hanc rem de ædificatione ho-
minum sub nomine lapidum, & de lapidum inter se differẽtia de
clarat, & concludit: quo loco Propheta in persona Dei loquens,
Esa. liiii. » de ecclesiæ ædificatione, sub nomine Hierusalem, hæc dicit. Ec-
» ce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sap-
» phiris, & ponam Iaspidẽ propugnacula tua, & portas tuas in la-
» pides sculptos, & omnes terminos tuos lapides desiderabiles.

Ex his

Ex his uerbis primum quis non statim intelligat non modo or- dinem inter hos lapides pulcherrimum, sed maximam inter lapi des differentiam: cum alios Sapphiros, alios Iaspides, quosdam in portis, alios in propugnaculis positurum se Deus promittat; omnes autem lapides desiderabiles? Ac ne nomen lapidum intel ligentiam audientium ad materialis alicuius fabricæ cogitatio nem abducat: qualis hæc fabrica futura sit, quales ii lapides, sta- tim adiungit & explicat, uniuersos, inquit, filios tuos doctos a „ domino, & multitudinem pacis filiis tuis: & in iustitia fundabe- „ ris. Nunc ergo cum ex his uerbis Propheta significet, se per lapi des intelligere, eos qui sint docti a domino; & in his tamé discri men notet non tantum suæ cuiusq; præstantiæ, sed loci etiam ac gradus, nonne merito primum locũ is teneat, qui primus doctus est a domino? Et cum ex euangelio Petrum fuisse constet, cui o- mnium primo pater reuelarit architecti præstantiam; an nõ me- rito præstantissimum illi locum ipse operis author dare debuit? an uero magis aperte dare potuit, quam cum illi post eam reue- lationem a Deo patre ipsi factam, dixit, Tu es Petrus; & super „ hanc petram ædificabo ecclesiam meam? Sed immoremur pau „ lisper in his Euangelii uerbis, Ego dico tibi, tu es Petrus, & su- „ per hanc petram ædificabo ecclesiam meam: contrahamusq; ma- „ gis totam cõflictationem, ut de hac una petra, super quam eccle- sia fundata sit, consideremus: reliquas omittamus, de quibus nũc nulla controuersia est. Hic tu igitur negas Petrum esse illam pe tram, sup quã fundauit Christus ecclesiã. Sed scin tu satis Sam pson, quid neges? scin quid sit ædificare ecclesiã super hãc petrã? an si te corã interrogarẽ, diceres? nũq̃ pfecto diceres, neq; enim nosti. Nam hoc liquido ostẽdis te nescire, cũ explicas, non quid certo credendũ sit, illis uerbis significari, sed quænã sit tuo iudi cio illa petra, super quam Christus dicit se ædificaturum. Quan quam tuum iudicium in hac re aliquod esse dici non potest, cum nullam firmam sententiam sequaris. modo enim dicis Christum esse illam petram, super quam ecclesia fundetur: modo confessio nem fidei, interdum ecclesiam. An tu, si certam sententiam habe- res de illa petra, exploratamq; intelligentiam eorum uerborum, quibus Christus dicit, super hanc petram se ædificaturum eccle- siam; si scires quid esset ædificare ecclesiam super petram, sic sen- tentia uacillares? nunc hęc tua uacillatio liquido ostendit te tan quam cæcum palpitare in tenebris, nihil habere explorati quod dicas. Quare hoc frustra de te nunc quærerem, quod tamen ne-

Petro omniũ primo pater reuelauit archi tecti præstantiam.

Sãpsoni ignorat quid sit ædificare ecclesiã super petram.

cessario explicandum est, quo apertius tota causa constituatur: ut uterq; nostrũ quid defendat, quid oppugnet, sciat. Hoc ergo ab aduersario tuo disces; quod explicatum, statim si uerum fateri uelis, agnosces. Nam de quocunq; intelligatur dici illam petram, hoc certe constat, per petram illam, super quam ædificetur ecclesia, petram significari, quæ onus ecclesiæ sustinere habeat, quæ in fundamento collocata esse debeat, quod uerba illa declarant, super hanc ædificabo. Quoniam uero hæc ædificatio nõ est materialis (nam nec ecclesia ædificiũ est materiale, nec quod sustinet hoc ædificium, potest id esse materiale fundamentum) cũ constet ecclesiam esse multitudinem hominum, de quibus nunc per translationem dicitur eos ædificari, & super hanc petrã ædificari; necesse est, ut per hãc petram intelligamus, talem petram, quę onus multorum hominum ferre possit. Hoc uero, quid aliud est, q̃ cura & sollicitudine, multitudinis id est ecclesię onus sustinere? quid aliud est, q̃ caput ecclesiæ esse? hæc enim necessario se consequuntur. sed & illud nõ minus necessario efficitur, nec confessionem fidei, nec ecclesiam ipsam in hac petra Christum intellexisse. Neq; enim loquendi usus patitur, ut confessioni fidei, ecclesiæ cura committi dicatur. nam quis tum esset illorum uerborum sensus? quam absurda, & a ratione aliena locutio? Sed nec ecclesia, siquis eam forte per petram significari putet, ipsa super se ædificari potest. id enim non dissimilem superiori absurditatem habet. Cum igitur duas interpretationes tuas prorsus esse exclusas constet, de quibus post tamen, si opus erit, fusius dicemus; restat ut si hæc petra, super quam ædificatur ecclesia, sit caput ecclesiæ, quod onus in se ecclesiæ suscipiat: ut aut Petrũ intelligamus, aut Christum. Sed hic arridebis, Christum enim intelligi uis. Nam quis negare possit, Christum esse caput ecclesiæ? Quod ad me attinet Sampson, nunquam equidem negabo: nec uero quisquam qui se Christi, & ecclesiæ membrum profiteatur, unquam negauerit. quin Christus sit caput, Christus sit fundamentum. Et tale quidem omnes, qui tanquam lapides uiui a Christo in ædificio ecclesiæ positi sunt, fundamentum esse fatebuntur, ut aliud poni posse negent. en quantum huic sententiæ tribuo. atq; hic multo magis arridebis, & tibi applaudes. sed cõtine te paulisper. Ego enim ipse, qui hoc de Christo capite sic tibi assentior, ut anathema illi dicerem, siquis cõtra sentiret: idem hoc in loco ubi Christus dicit, tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo ecclesiam meam: omni asseueratione contendo, ut maxime

Petra super quã ædificatur ecclesia est caput ecclesiæ.

quod petræ nomine nec confessio fidei, nec ecclesia intelligi possit.

quamuis Christus sit petra & fundamentum ecclesiæ, tamen nõ efficitur quin Petrus etiam sit petra, super quam ædificata est ecclesia.

xime semper intelligatur Christum esse petram & fundamētum ecclesiæ, tamen ad Petri etiam personam hæc uerba pertinere, ut ipse sit petra super quam ædificetur ecclesia. id quod non solum illa a Christo dicta, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, significant: sed multo etiam magis sequētia, ubi potestas promittitur, & firmitas stabilitasq; contra portarū inferi uim perseuerandi, manifestissime declarant, Simonem inquam Bariona per illam petrā significari. Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum: & quicquid solueris super terram, erit solutum & in cælis) & quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Quid enim opus erat tā magna Petro eo in loco promittere, nisi principem locum Petro tum daret, ut esset caput ecclesiæ? Poterat enim Petrus merito dicere idem quod Moyses, quem ducem populi Israel & caput Synagogæ Deus constituerat, Domine quid mihi onus totius populi iposuisti? quo pacto ego solus sustinere tantam multitudinem possum? sic enim Petrus, cum audisset se petram iam factū, cui ecclesiæ onus incumbere, & inniti deberet, dicere potuit. Domine quid me uis pondus tanti populi sustinere? cum præsertim lōge alia multitudo, quæ non unum populum complecteretur, sed nationes omneis, omnemq; Christi hæreditatem, de qua dicit, postula a me, & dabo tibi genteis hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: cum omnes inquam populi, omnes qui Christi possessio futuri essent, unius qui tum caput ecclesiæ constituebatur, custodiæ committerentur: quos & a Tyranni lōge Pharaone crudelioris imperio abducere, & per hosteis multo Amorrhæorum & Cananæorū Regibus potentiores conducere oporteret: quibus deniq; non tantum cum carne & sanguine, sed cum potestatibus spiritualibus in cælestibus, grauissimum ac perpetuum bellum impéderet. Non enim solum cum hostibus uisibilibus, cum potentia & sapiētia mundi; sed multo magis cū inuisibili & perpetuo hoste, qui uniuersum mundum in eos esset concitaturus; illi negotium futurum erat. Cum igitur Petrus intellexisset tantum sibi oneris imponi (intellexisset enim certe, si uel minimum ad cogitādum spatii habuisset) an potuisset se tenere, quin cum magno tremore diceret, Domine, quid me uis pōdus tanti populi sustinere? Sed Christus omnem hanc eius cogitationem præueniens, continuata oratione, cum dixisset, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam, statim nullo interposito tempore adiunxit. Et portæ inferi non præualebunt aduer-

Mat. xvi.

Num. xi.

De magnitudine muneris Petro commissi.

Psal. ii.

sus eam.quasi diceret,noli timere, cum dico super te ædificabo
ecclesiam meam,ne non possis tantum munus contra tot host eis
Psal.cvi. *Mat.xvi.*
sustinere.Ego enim portas æreas,& uectes ferreos confregi.Et
fortem uinculis ligaui,& uasa eius sustuli : potentiam omnium
tuorum hostium comminui,siue uisibilium siue inuisibilium.por
tæ inferi aduersum te non p̄ualebunt tu me modo sequere. Ego
tibi cælum aperui:& ut aliis aperias,potestatem dabo. cælorum
claues tibi dabo,ut inde perpetuo auxilium contra omne genus
hostium aduoces:cum cælo fœdus & amicitiam renouabo,pacē
» afferam,& talem quidem, ut quicquid solueris super terram, sit
» solutum & in cęlis;& quicquid ligaueris super terram sit ligatū
& in cælis.Quanta hic potestas data Petro intelligitur? Quàm
hoc in loco uerba aperta sunt,& personam Petri undiq; indican
tia,cum dicitur,tibi dabo claueis regni cælorū?plane ut si nihil
aliud afferretur,hæc tanta potestas ipsi tradita eo in loco,ubi di
citur,tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo ecclesiam me-
am,muneris magnitudinem illi commissam, cumq; caput eccle-
Potestas aliis Apostolis tradita dignitatem Petri nihil imminuit.
siæ factum esse clarissime ostenderet.Nec uero hanc Petri digni
tatem quicquam illud imminuit,quod Sampson affert;postea o-
mnibus Apostolis eandem datam esse potestatem remittendi &
soluēdi peccata;cum uerba ipsa ad Petrum, & ad illos declarēt,
ampliori ratione Petro traditam q̃ illis.Sed ut maxime hæc ea-
dem potestas illis etiam tradita esset,attamen non Petri dignita
Num.xi.
tem imminueret, non sane magis q̃ de Moysis dignitate a Deo
data detractum est,cum Deus de eodem spiritu quem illi dede-
rat,abstulit,ut septuaginta senioribus impertiret; qui cum ipso
populi onus sustentarent, ut inquit scriptura, ne Moyses solus
grauaretur.eodem igitur modo Christus aliis Apostolis & di-
scipulis eundem,quem Petro,spiritum dedit,eandem gratiam &
remittendi & soluendi peccata,ut cum Petro onus sustinerēt,ne
solus grauaretur.Sed isti qui audiunt eandem gratiam, quæ Pe
tro data fuerit,cæteris apostolis tribui,uidentur commoueri,nō
Num.xi.
aliter q̃ puer ille de quo in libro Numerorum his uerbis scriptū
» est. Cūq; ꝓpherarent in castris, cucurrit puer quidā & nūciauit
» Moysi:ad cuius uocē minister Moysis Iosue filius Nun, statim
» dixit ad Moysen.Domine mi Moyses,ꝓhibe illos.sed quid re-
» spondit Moyses ministro suo? Quid æmularis pro me? Quis tri
» buat,ut omnis populus prophetet, & det eis dominus spiritum
» suum?En quod Moyses optauit,quam non timuit ne de sua di-
gnitate quicquam imminueretur,siquam a Deo gratiam accepe

rat,

rat, ea cum pluribus cōmunicata esset? Quid si enim omnes prophetassent? an eo minus Moyses dux populi fuisset? & quis hoc, nisi puer, uereretur? Eodem modo de Petro, si omnes Apostoli, eandem, quam ille, gratiam habuerunt soluendi peccata; pueriliter argumentantur, qui ex eo concludunt, Petri authoritatem diminutam esse, ne principem in ecclesia locum obtineret. Sed de hoc suo loco post copiosius loquemur. Nunc uideamus, quo pacto Christum & Petrum item caput esse ecclesiæ statuentes, & utrunq; fundamentum esse ecclesiæ, cum eiusdē nec corporis capita, nec ædificii fundamenta duo diuersa esse possint, hæc uniri dicamus; quo pacto nostrā sentētiam ita explicemus, ut nihil in ea dissonum ac sibi repugnās appareat. Sed hoc quidem nō admodum difficile erit ostendere, si prius illam, quæ prima specie uidetur, huius sentētiæ absurditatem, in necessariam consequentiam conuerterimus: ut hoc modo dicamus. si Christus Deus idem & homo, sit caput, necessario cōsequi, ut uel Petrus uel aliquis alius de numero eorum, qui meri homines sunt, post Christum capitis locum teneat. Verum hanc consequentiam non probabit Sampson, quam ex absurda conclusione in absurdiorē ductam esse dicet: & contrariam conclusionem rectius posse inferri, si Christus sit caput ecclesiæ, nec Petrum nec quenquam omnino hominū caput esse. Sed hic aduerte quæso Sampson. si Christus caput est ecclesiæ: hoc ipsum, non ut Deus, sed ut homo accepit. Nam ut Deus, semper quidem erat caput. hunc autem ecclesiæ principatum, in tempore accepit. Si ergo qua homo, caput fuit ecclesiæ; iam dico, quicquid Christus ut homo accepit, ideo illum accepisse, ut in se prius sanctificaret, atq; ita sanctificatum hominibus postea traderet. dico Christum ut hominem, nihil accepisse, nisi ut idem ad homines transferret. Quòd si ut transferret, accepit; omnino etiam transtulit. necessario igitur aliquis accepit, qui fuit purus homo. Quod si ita est, iam nō arbitror Sampsonem tam fore Petro iniquum, ut aliquem illi præferendū putet, cui soli dixerit Christus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quid quæso hac ratione efficacius, quam Sampson ut quiddam dictu absurdum eludebat? Si Christus ut homo, est caput, idem munus habet etiam alius homo. Et si aliquis; nemo potior de quo id dicatur, q̄ Petrus. Verum quā recte hæc ratio sit conclusa, magis adhuc patebit, si Christum hominem, inter homines uersantem, capitisq; ecclesiæ munus exequentem nobis proponamus, ac paulum attēdamus, quid in tali

Christus qua homo, caput est ecclesiæ.

Si Christus ut homo caput est ecclesiæ, idem munus habet et alius homo.

hominum cõgregatione, cuiusmodi ecclesia est, spectari debeat. Quid autem prius occurrere potest, q̃ forma regendi? forma porro in hac congregatione præstãtissima est eadem quæ uniuersi, ut per unum regatur multitudo. neq; hoc solum, sed ut per unũ qui indidem sit: ut quia multitudo est hominum, caput etiam habeat tali corpori cõsentaneum, idest hominem. Id quod Christo in terris agente ita uidemus esse factum. Quid ergo? est ne existimandum, qui hominum causa uenit, qui hanc formam instituit, qui eandem quandiu in terris fuit, obseruauit; ut is corporis præsentia decedens e terris, illam soluerit? ut non amplius hominem hominibus præesse uoluerit? non amplius homines habere unum aliquem sui generis qui totius multitudinis caput esset? Num hoc quisquam de Christo posset existimare? qui (ut reliqua præteream signa & argumẽta dati Petro principatus), cum iamiam terras relicturus esset, tanta uerborũ expressione, ecclesiæ curam ac regimen illi commiserit, cum ei semel, iterum, ac ter" tium diceret, Pasce oues meas: Quo certe uerbo, quæcunq; ad caput, ad uicarium, ad successorem Christi pertinent, omnia comprehenduntur. Sed hæc post aliquanto accuratius tractabũtur: nunc ad institutum reuertamur, ut illud declaremus, si Christus sit fundamentum ecclesiæ, quo pacto etiam Petrus esse possit: si Christus petra sit, cui ecclesia ut fundamento innitatur; quo pacto Petrus talis petra dici queat. Atq; hoc quidem, uerba Christi in eo loco, ubi de bono ædificatore loquitur, facile possunt explicare, quibus ait bonum ædificatorem non super harenam, sed super petram ędificare. Quid autem hic per petram significetur, omnibus manifestum est. quis enim non intelligit, minime petram illam nunc dici, quæ ab ædificatore allata, futuro ædificio prima supponitur, sed potius solum ipsum, sine ullius opera per se solidum, & suapte natura idoneum ad quoduis superstructum ædificium sustinendum? cuius modi rupes sunt, ac montes multi, qui toti ex solido & natiuo saxo constant; super quos qui uelit ædificare, non est quod timeat, ne uel fluuii exundãtes, uel irruentes uenti ædificium deiiciant. Est enim domus fundata super petram. Hæc autẽ petra, ut iam uidemus, ipsa per se, sine manibus ædificatoris est posita. Alia uero petra est, quam ædificator operi pro fundamento supponit: quæ natiuo applicata saxo, sustinet illa quidem ædificii molem, & prima dici potest omniũ quæ insuper structæ sunt: sed nisi ipsa etiã a natiuo illo saxo sustentaretur, nullo tẽporis momento consisteret; ut merito uiuum illud

quo pacto Christus petra, & quomodo Petrus petra sit.

Mat. vii.

Christus natiua petra.

illud saxum ipsius fundaméti fundamétũ dici possit; petra uero illi ab ędificatore prima ĩposita, reliqui superstructi operis fundamétũ. Ac talis quidẽ petra fuit Petrus, quẽ Christus ut ædificator, in imo fundamento ædificii ecclesiæ posuit, quæ onus aliarum, quæ superædificandæ erant, sustineret: sed ita tamen, ut nec Petrus ipse, nec reliqui omnes in se ipsis consisterent, sed in altera illa petra, in monte illo magno, qui omnia sustinet. talis est ipse Christus: talem fore ipsum Prophetæ diuino spiritu pleni prædixerant anteq̃ Christus sese humanis operibus fundamentum submitteret: Sed omnium apertissime Daniel propheta, eo in loco ubi regis Babylonii somniũ explicat, qui statuam quandam per somnum uiderat, cuius caput ex auro optimo, pectus ac brachia ex argento, uenter & femora ex ære, ferreæ tibiæ, pedes partim ferrei partim ex opere fictili. Atq; hãc quidem sibi uisus erat uidere stantem, donec abscissus de monte sine manibus lapis eam percuteret, atq; ita comminueret, ut omnia quasi in puluerem redigerentur. lapis porro qui percuserat statuam, factus erat mons magnus, & uniuersam terram compleuerat. Cum igitur Rex ille, ea quæ iam cõmemoraui, per somnum uidisset, neq; tamen recordaretur: Daniel primum ita ei totius sui somnii seriem atque historiam pertexuit, ut is facile agnosceret: Deinde hanc ipsius interpretationem adiunxit, ut diceret, per illas quatuor statuæ partes ex auro, argento, ære, & ferro, quatuor regna ante Christi aduentum significari: per lapidẽ autem, qui ista percussisset, & comminuisset, regnum quod suscitaturus erat Deus, quod quidem staret in æternum. hoc inquit significatur per lapidem, qui abscissus est sine manibus, quod uerum est opus Dei. ” Atq; hic quidem lapis reliqua omnia regna cõsumet, ipsius ue- ” ro regnum in æternum manebit. ” En hic Daniel, sicut Regis somnium, ita nostram dubitationẽ de duabus petris, de duobus fundamentis explicauit. De petra iam diximus: de fundamento dicimus, Christum tale quiddam esse ecclesiæ, quale ædificiis materialibus aut rupes est, aut solum ipsum stabile ac firmum. Vt autem aliud fundamentum ædificio constituẽdo reperire nemo potest, præter terram aut rupem: sic in ecclesia, & omnino in uniuerso genere humano, nihil operis duraturi institui ac perfici potest, nisi id in Christo fundetur. Ipse est enim, qui factus est in mo item magnum qui repleuit uniuersam terram. Atque hoc est quod Paulus dicit, „ fundamentum aliud nemo potest ponere prę- „ ter id quod positum est, quod est Christus IESVS. Ille enim est

Petrus, petra est ab ædificatore prima; o sta in fundamento ecclesiæ.

Dan. ii.

quale fundamentum ecclesiæ sit Christus

i. Cor. iii.

illa petra, super quam bonus ædificator ædificat. Quapropter sæ pe hortatur Paulus, ut quæcunque facimus, in nomine Christi faciamus. Quæ enim in Christo fundamentum non habent, ea omnia arenæ inædificantur, stabilitatem habere non possunt, nec durationem ullam. Ac talem quidem petram uidemus non fuisse Petrū; sed illam solum, quæ omnium prima in ea petra, cui omnia inniti oportet, collocata est, Cum uero Christus promisit portas inferorum nihil uirium habituras aduersus ecclesiam, cuius ædificatio a Petro inciperet; id sane uirtute fundamenti eius dicebat, super quod tota fabrica constituenda erat, id est sua ipsius uirtute, qui factus est lapis abscissus de monte sine manibus, qui repleuit uniuersam terram; & qui non solum regna omnia mundi, sed ipsas quoque inferorum portas prorsus comminuit. Quare in persona sua iam omnia profert. Ego dico tibi, tu es Petrus, & quæ sequūtur. An non satis aperte hæc Prophetæ uerba nobis explicant de Christo, qualis petra futurus fuit? ex quo facile illud alterū, qualis petra fuerit Petrus, intelligi potest. Sed si adhuc a Propheta nobis exprimi desideramus, qualis petra fuerit Petrus; ne hoc quidem diutius requiremus. Nam Zacharias propheta optime hoc nobis explicabit, eo in loco ubi de lapide quodam loquitur Iesu sacerdoti magno dato, qualem nos Petrū a Deo patre Iesu sacerdoti magno in illa reuelatione datum esse dicimus. Sed audiamus ipsum Prophetam. Ille uero in persona Dei loquens ad Iesum ita dicit. Audi IESV sacerdos magne, tu & amici tui, qui uiri portendentes sunt. Hoc primum dicit. quid uero intelligat per amicos portendentes: ex Esaia, Paulo explicāte, intelligere possumus. Dicit enim Esaias. Ego & pueri mei quos mihi dedisti in portentum in Israel, quod Paulus intelligit de Apostolis. Sed audiamus Zachariam. postquā in genere de amicis, qui uiri portendētes sunt, est loquutus; tum adiungit. Ecce ego adducam seruum meum orientem; quia ecce lapis, quem dedi coram IESV, super lapidem unum oculi septem, & ecce ego cœlabo sculpturam eius, ait dominus exercituum, & auferā iniquitatem terræ illius in die una. hæc ille. Quid uero horum, quæ dicit de lapide dato IESV, non conuenit Petro? quem datum fuisse a Deo patre IESV magno sacerdoti reuelatio illa patris ostendit. per septem porro oculos, hebraica loquendi forma, per numerum certum incertum significante, abundantiam cognitionis, & uberiorē spiritus gratiā, propter quam tum beatus dicebatur, merito eum habuisse dicere possumus.

Col. iii.

qualis petra Petrus.

Dan. ii.

Zach. iii.

Amici, viri portendentes.

Esa. viii.

Hebr. ii.

Petrus lapis a Deo patre datus Iesu sacerdoti magno.

Et ego cœlabo sculpturam eius. Sed quid nūc, tanquam Phidias quidam, loquitur de suo opere? quid significet, sequētia uerba declarant, Auferam, inquit, iniquitatē terræ illius in die una. quid enim? an non tunc ablata est terræ iniquitas, cū promissum illud, & portæ inferi aduersum te non præualebunt, exolutū est? nam antea cum præualebant, obliterata erat sculptura, & tota sta tua in terram deciderat. quare nunc pollicetur iterum sculpturā renouaturum, & IESV sacerdoti magno daturū. Sed quid ego in Prophetarum testimoniis immoror? quid ex Prophetis, tanquam ex locis quibusdam abditis, ea quæro, quibus ostendam Simonem Bariona fuisse illam petrā datam IESV sacerdoti magno, super quam fundaret ecclesiam; cum apertissimos locos habeam, luce ipsa clariores, IESV inquam ipsius magni sacerdotis testimonia, & uerba, ex quibus cuiuis, qui IESV spiritū habeat, perspectissimū hoc esse possit? Sed quia aduersarius his locis quasi tenebras offundere conatur, ne ueritas in illis conspici queat: illius primum nobis discutiendæ sunt tenebræ. Tum autem ipsa per sese, ut spero, ueritas huius causæ omnibus elucescet. Id uero ita facillime fiet, si quæ paulo ante diximus de eo lapide, qui in fundamento ecclesiæ poni debet, ut illius onus sustineat, de homine dicta intelligamus. Et quia de uiuo lapide, hoc est de homine, loquimur, qui cura & sollicitudine sua ecclesiæ ædificium fulciat, ecclesiæ curam gerat: hoc ne aduersarius quidem negare posset, etiam si de Christo hunc locum exponere uellet, lapidem qui in fundamento ponatur, esse lapidem uiuum, qui onus ædificii sua prouidentia sustineat. Christus uero quū ecclesiam suam constitueret, quæ hoium multitudine constat, non prius de ædificatione eius loquutus est, quam de hoc ipso lapide, id est de homine, qui tanquam caput corporis esset, quod reliqua mēbra regeret, & omnibus prouideret: quasi plane intelligi uellet multitudinem nullam posse ullo modo cōsistere, nisi in uno aliquo firmaretur; maxime uero decere illam multitudinem quæ unitatis uinculo reliquas omneis superaret, qualis futura erat ecclesia, ad unius curam ac sollicitudinem reduci. De hoc uero Apostoli ipsi, cum plures essent, needum etiā spiritus Dei lumine illustrati, quasi natura illis indicāte, multitudinem, nisi ab uno regatur, diutius se tueri non posse; non semel præsente Christo contenderunt, quis ipsorū maximus foret, qui reliquis præesset. nisi enim unus aliquis præesset, etiam in naturæ lumine cernebant, multitudinem haud posse cōsistere. Quid ni autem uiderent, cum iam

Zach. iii.

Christus de uiuo lapide, hoc est de homine locutus est.

Apostoli non semel contenderunt de primatu.

Contentio initiũ dissoluendæ societatis.

tum præsente Christo contẽtio extitisset, quæ semper dissoluendæ cuiuslibet societatis principium esse cõsueuit: hanc uero contentionem de principatu, quę non sine ambitione quadam humana esse potuit, Christus sic repressit in illis, ut eam diceret maxime contrariam esse illi qui in ecclesia Dei præesse uellet, ubi humilitate, non ambitione, neq; contentione dignitas & primus locus obtineret. Qui ergo in ecclesia, inquit, uult esse maior, fiat sicut minor. Hanc uidelicet esse uiam ad regnum Dei, exemplo suo admonebat, qui cum omnium esset dominus, omneis humilitate superabat, omnibus ministrabat. Sic igitur Christum humanam Apostolorum contentionem, de dignitatis præstãtia repressisse in Euãgelio Matthæi, & item Marci legitur. Quibus in locis nihil sane dictum est a Christo, ex quo illi clare intelligerẽt, quem ex omnibus principem cæterorum faceret. Quid enim attinebat, præsente domino, de uicario cõstituere, præsertim apud eos, qui nondum scirent, essent ne a domino suo deserendi: nec enim de passione eius, ut Euangelii uerba ostẽdunt, tum cũ hæc contentio orta est, quicquam cognouerant. Sed cum tempus passionis instaret, per quam dominus ab illis auferendus erat, in illa ultima cœna, quam describit Lucas, apertius ostẽdit, quẽ suo loco relicturus esset. Sed ne tunc quidem tam aperte, q̃ apud Ioannem. cuius rei causa esse potest, quia ipse ad illos post mortẽ reuersurus erat, quod maxime opportunum tempus uoluntati suæ declarandæ fore cognoscebat. Sed tandem cum eos corporali sua præsentia esset omnino relicturus, cum in cælum post paulo ascensurus terris relictis, quo ante finem mundi nũquam erat cum corpore reuersurus: eo igitur tempore nomine pastoris declarauit, quem uellet ecclesiæ suæ rectorẽ præficere: quod quidem eius quasi testamentum uidebatur, cum ipse sibi legatum ac uicarium in terris constitueret, qui populi sui curam haberet, id quod Ioannis ultimo legitur. Sed redeamus paululum ad Lucã, & Christi uerba ad Apostolos in ultima illa cœna: ubi Lucas refert eandem contẽtionem ortam esse inter apostolos, quam alio etiam tempore prius extitisse alii Euangelistæ testantur, & eodem modo a Christo repressam, ut ambitionem damnaret, & eos humilitatis suo exemplo admoneret. Tandem uero hoc adiungit, omneis illos magnos futuros; neq; causam esse cur de honore apud homines laborarent; maiorem honorem illis paratum esse, idq; in regno Dei, ubi sessuri essent iudices iudicantes duodecim tribus Israel. Sed nunc, inquit, maior, ac multo opportunior

Luc. xxii.

Mat. xviii. Mar. ix.

Christus quomodo & quando constituerit vicarium.

Cap. xxii.

contentio

contentio instat, contra illum hostem, qui in uestram perniciem dies & noctes excubat, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, qui primo uestro parenti, in quo quidem omnes mortui estis, mortem intulit. Sathanas enim, ait, expetiuit ut cribraret uos, sicut triticum. hæc Christus. Sed ad quos dirigit sermonem, cum dicit Sathanas expetiuit ut cribraret uos? num ad omnes? minime. ad quem ergo? ad Simonem, ad illum ipsum quē petram firmam se facturum promiserat, contra quam portæ inferi non præualerent. Illi nunc dicit, inferorum principem expetisse, ut eius firmitatem tentaret: expetisse ut quod sibi antea licuisset in primum hominem, qui perfectus in natura creatus erat, ut artibus suis eum aggrederetur, & saluti eius insidiaretur, idem nunc liceret in hanc nouam creaturam, quæ ab eodem creatore supra naturam esset facta: ut eius etiam saluti insidias compararet. Hæc enim sunt Euangelistæ uerba. nam postquam ea retulit quæ ad omnes apostolos dixerat Christus, & uos sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel: Tum subdit, & ait dominus Simoni. Simon, ecce expetiuit Sathanas, ut cribraret uos, sicut triticum. At hic cum de omnibus loquatur, expetiuit enim, ait, ut cribraret uos, ad unum tamen Simonem conuertit sermonem: quod uel maximum argumentum esse potest, caput eum omnium esse. nisi enim hoc significare uellet, cur de futuris omnium tentationibus loquens ad unum tantum sermonem dirigeret? quod pinde est, ac si diceret. Simon, cuius congregationis te principem & caput constitui, hanc Sathanas ut cribrare sibi liceret, expetiuit. Quorsum enim attineret, cum ad omnes prius loqueretur, & de tentationibus quæ communes omnium futuræ erāt, sermo haberetur, orationem ab omnibus ad unum conuertere, nisi aliquid præcipui in uno illo notari uellet? Quale autem id esset uerba sequentia declarant. sequitur enim, Ego autem rogaui, ut non deficiat fides tua. En remedium contra omnes tentationes, quæ futuræ erant omnium cōmunes, oratio inquam Christi pro fide unius, pro fide capitis. Sed adhuc etiam totam rem manifestam faciunt, quæ mox sequuntur uerba Christi ad unum Petrum. Tu uero, inquit, conuersus confirma fratres tuos. Quid apertius hic dici potest, cum cura & cōfirmatio fidei fratrum Petri, qui erant apostoli, committatur soli Petro? ego rogaui, inquit, ut non deficiat fides tua, tu uero conuersus confirma fratres tuos. hęc apud Lucam satis quidem aperte, Christi uoluntatem de futuro suo uicario ostendētia. At adhuc

Christus de omnibus loquens ad unum Petrum cōuertit sermonem, tanquam ad caput congregationis.

Christus orat pro fide Petri

apertius apud Ioannem, ubi quædam post Christi resurrectionē acta commemorant. Tum uero exigere tempus uidebat, ut suā Christus uoluntatem clarissime explicaret, cum post paulo apostolos relicturus ita esset, ut non amplius corporali eius præsentia fruerentur. Ea igitur cum dicta sunt, quę diligenter animaduersa totam hanc, de qua tam diu disputamus, controuersiā funditus tollent. Sed quia plura eadem serie orationis de Petro referuntur, ex quibus quædam tanquam signa futuræ dignitatis fuere; incipiam a signis, quorum unum uel maximum paulo superius habetur. id uero est, quod Maria Magdalena Angelis iubētibus, primum Petro nunciauit, Christum e monumento sublatum, sed haud recte hoc refero. non enim dicit Euāgelista ad Simonem Petrum Mariam cucurrisse, ut nūciaret, Sed Maria, inquit, cucurrit; & uenit ad Simonem Petrum, & ad illum discipulum quem diligebat IESVS, & dicit illis. Recte quidem. sic enim se habent uerba. De utroq; refertur: quemadmodum etiam in multis aliis, quæ de Petro memorantur in Actis apostolorū, significatur quasi ubiq; Ioannem adfuisse. quo argumento Sampson utitur ad eleuādam Petri authoritatem, quasi non solus Petrus, sed cum Ioanne consociatus miracula ediderit: cum id uel maxime significet, cuius personam Petrus sustineret, a quo dilectus ille IESV discipulus, eo qui diligebat sublato, nō fere discederet, sed eius lateri, ut quondam domini solebat, perpetuo adhæreret, eo ipso declarans personam domini in Petrum fuisse translatam. sed hoc post melius uidebimus; nunc quod cœperamus agere de signis futuræ potestatis Petri, quæ uigesimo Cap. Ioannes exponit, persequamur. Sic autem inquit. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus; & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, & uenit prior ad monumētum. & cum se inclinasset, uidit posita linteamina, non tamen introiuit. Sed quare non introiuit? noluitne? noluisse certe illud argumento est, quod postquam Petrus ingressus est, statim etiam ipse introiit. Si igitur nihil erat, quod ad Petrum præcipue pertinere duceret, cur non qui prior accurrerat, statim ut uenit, introiuit? cōmodius profecto introisset in monumētum solus. sed cursum repressit, se sustinuit, quid aliud significans, quam expectari oportere eum, qui Christi locum obtineret? De illo enim ita refertur, uenit autem Simon Petrus, & introiuit in monumentum. sequiturq;, tunc ergo introiuit & ille discipulus qui uenerat primus ad monumentum. quasi

Signa quædam dignitatis Petro conferendæ memorantur.

Io. xx.

Ioannes cur semper adhæserit Petro post mortem domini.

Io. xx.

Ioannes cur non sit ingressus in monumētum ante Petrum.

significare uellet, ingredi primum in monumentum Christi mortui, pertinere ad eum, cui Christus ipse locum suum esset relicturus. Sed hæc argumēta apud Sampsonem nihil concludūt. Scio equidem, at apud christianum certe, qui non speciosis & ad persuadendum comparatis humanæ sapiētiæ uerbis duceretur, concluderent; utpote quæ, adiuncta præsertim ecclesiæ authoritate, omni scientia quæ per demonstrationem haberi possit, certiora sint. Sed oblitus pene fueram, quo cum mihi res esset. Quare nō immorabor amplius in cæteris signis futuræ dignitatis Petri, quæ ibidem Euangelista enarrat: cuiusmodi est, quod Petrus simulac uidit dominum in litore nō expectauit, ut nauigio, quemadmodum cæteri, ad eū ueniret; sed statim sese in mare demisit, In quo personā Christi maxime expressit, ambulans super aquā, cum cæteri nauigio ueherentur. Itemq; illud, quod cum tantum pisciū cepissent, indicato a domino loco, in quem rhete iacerēt, ut præ multitudine trahere non possent: de Petro tamen solo eodem in loco dicitur, Ascēdit Simon Petrus, & traxit rhete in terram, plenum quinquaginta tribus piscibus, quæ omnia in mysterio dicuntur. Multa porro alia in euangeliis sparguntur, quasi signa certissima Christi uolūtatis: sed ea nunc omitto ꝓpter Sampsonē, qui nec ecclesię, nec Christo ipsi credit, nisi quod fieri uolunt, uerbis perspicuis proponant. Non est seruus factus ad nutum domini; audire se dissimulat, cū dominus subobscure loquitur. At hic quidem mos Sampson, seruorum Christi non est, qui omnes tanquam oues ex sola uoce pastoris, uoluntatem agnoscunt: quin ex nutu & signis plerunq; eādem intelligunt. quorū ex numero si tu esses, non certe recusares hanc formam ratiocinandi, in iis quæ ad Dei uoluntatem significandam pertinent. Paulus in re maxima, cum uellet ostendere iure diuino prædicatoribus uerbi mercedē deberi, hac sola ratione est usus, sumpta ex ueteri testamento, non obturabis os boui trituranti: num de bobus (inquiens) cura est Deo? hic Sampson statim, si illi cum Paulo contentio fuisset, tanquam dialecticus acutus, consequentiam negasset, & aliam protinus eius loci expositionē attulisset. Hoc nunc dico Sampson, quia uideo in multo apertiori argumēto diuinæ uoluntatis ex scripturis, ubi uix sophista locum cauillandi inueniret, te ut mox ostendam, peruersa tua interpretatione uim omnem argumenti eludere conari. non igitur ex signis cum tali seruo de domini uoluntate est agēdum. rationes, & eas explicatas, atq; in formā syllogismi inclusas, exigit. Quare au-

Vnus Petrus uenit ad dominum super aquam

Vnus Petrus trahit rhetem terram.

Boni serui est ex quibuscunq; signis agnoscere domini sui uoluntatem.

i.Cor.ix.

ſculta Sampſon;morem tibi geram,claram̄ uocem domini ipſius
de ſua uoluntate afferam:modo ne obliuiſcaris quid in hac quæ
ſtione nobis propoſitum ſit:cuius te iterum admonere non erit
alienū.Quærimus illam petram quæ a Chriſto poſita eſt in fun
damento eccleſiæ,petram inquam uiuā,quæ onus ſuſtineret alia
rum omnium quæ ſuperextruerentur. Illam enim,unam tantum
eſſe,uerba Chriſti oſtendunt,ſuper hanc petram ædificabo eccle
ſiam.Quærimus quæ nam ſit illa una petra;& an per illam intel-
ligatur Petrus, cui commiſſa cura ſit totius Chriſti eccleſiæ.
Hoc nunc apertis & claris uerbis propono. Quid ſi igitur nunc

Petrus poſt Chriſtum,paſtor chriſtiani gregis conſtitutus eſt.

non minus claris perſpicuiſq; uerbis oſtendo,Petrum poſt Chri
ſtum conſtitutum eſſe paſtorem gregis chriſtiani?an non illum
ipſum eſſe petram,ſuper quam Chriſtus promiſit ſe ædificaturū
eccleſiam,conſtabit?conſtabit plane.Sed an ulla poſſunt apertio
ra clarioraq; afferri,quam quæ Chriſtus apud Ioannem præſen-
tibus aliis diſcipulis ad Petrum unum dixit? cum enim Petrum
nomine appellaſſet,& ab eo quaſi fidei pignus amorē exegiſſet:

Io.xxi.

„ atq; ita interrogaſſet,Simon Ioannis.Diligis me plus his? cum
„ Petrus reſpōdiſſet,Domine tu ſcis quia amo te;tum accepta hac
amoris confeſſione,quaſi pignore,ab eo,cui tuto omnia commit
„ tere poſſet,ſtatim adiungit,Paſce agnos meos. An non hæc ſunt
„ Chriſti uerba?ſi nōdum exaudis Sampſon,iterum repetit.Si me
„ diligis,paſce agnos meos.ſi ne nūc quidem agnoſcis Chriſti de
ſuo uicario uocem,en iam tertium,eadem illa confeſſione, quaſi
quodam pignore,exacta,idem illi committit,& iam non dicit pa
„ ſce agnos meos,ſed paſce oues meas.ſi audis & agnoſcis, an hic
ulla præterea uerborum expoſitione eſt opus?ſi exigis,quam po

Chryſoſtomus.

tius afferre debeo:quam Chryſoſtomi doctiſſimi ac ſanctiſſimi

Paſce oues meas.

uiri interpretationem?qui illa uerba exponens dicit paſce oues
meas,id eſt loco meo præpoſitus eſto fratrum tuorū. Sed uerba
ipſa nonne per ſe ipſa clara ſunt?ſi oueis Chriſti paſcere a Chri
ſto ſummo paſtore Petrus iubetur,nonne oues Chriſti curæ Pe-
tri committuntur?ſi omnes quicunq; in eccleſia ſunt,oues Chri-
ſti ſunt;cum oues Chriſti ſine ulla exceptione,Petro committan
tur tanquam paſtori,nonne tota eccleſia illius curæ & guberna-
tioni,ſine ulla exceptione attribuitur?nōne is iam paſtor totius
eccleſiæ declaratur?Quid ad hæc Sampſon? Quo acumine inge
nii hæc tam aperta Chriſti de ſuo uicario uerba eludes?non deſi
nis tu quidem conari;ſed qualis ſit conatus tuus, poſtea uideri-
mus.nūc autem,etſi,quod modo dixi, omnis iam ſublata contro

uerſia

uersa est, attamē iterum in mediū adducamus Ioānis illū locū, ut nihil prorsus scrupuli aut difficultatis, si fieri possit, in uerbis Christi Sampsoni relinquatur. nam quin hæc ipsa, quæ adhuc dixi, reliquis, qui hæc audiunt, christianis abunde satisfaciant, non dubito. Sed ut quam minimam calumniādi materiam Sampsoni relinquamus, reuertamur ad uerba euangelii. Ascendit Simon Petrus, & traxit rhete in terram plenum magnis piscibus. Sed quo pacto Petrus solus hoc fecit? paulo ante de eodem rheti dictum est, discipulos omnes qui simul erant in naui, non ualuisse extrahere pre multitudine piscium: & iam Petrus in terram, quo etiam difficilius trahitur, solus pertraxit, cū rhete esset ita plenum, ut omnes mirarentur non esse disruptum. An hoc illud rhete, illa sagena est, cui simile est regnum cælorum, similis ecclesia, in quam omne genus piscium congregatur? quæ a pluribus non potest trahi? ita enim discinderet unitas rhetis & ecclesiæ. Opus est ut ad unum perducatur, cuius personam tunc gerebat Petrus, qui solus in terram, quod alii omnes etsi una connitentes non ualuerunt, pertraxit. Sed hic Sampson dicet me allegorias consectari, nouos sensus quærere, a litera discedere. Quid faciam Sampson, cum litera me eo ducat? cum uerba scripturę sint eiusmodi, ut præter literam quæ quasi corpus orationis uidetur, alium etiam interiorem sensum tanquam spiritum includant: si corpus literæ, me ad spiritum uocat, si concordiam maximam uideo inter utrunque sensum, qui præstantior est, eum ut relinquam postulas? Ego certe (ac me ut libet reprehende) cum illa uerba lego, quæ Christum in terra constitisse referunt, in ipso littore maris, ubi discipuli eius piscabantur; eos autem antequam eius uocem audiuissent, nihil capere potuisse, quanuis tota nocte laborassent: at tandem admonitos a Christo, quam in partem iacere deberent, tantum numerum cepisse, ut eorum uiribus trahi in terram non posset, & tamē ab uno, qui primus omnium ad Christum in littore consistentem peruenerat, pertractum esse: hæc inquam in litera cum lego, non tunc solum magnum a Christo editum miraculum intelligo, sed idem etiam nunc fieri iudico. Hoc enim mihi statum totius ecclesiæ, & qui nunc est, & qui semper fuit postquam Christus a nobis in cælum ascendit, representat: Apostoli namque piscatores hominum, in hoc mundo tanquam in mari, monstrante Christo, maximā multitudinem congregarūt, qui certe omnes frustra tanquam in nocte laborassent, nisi Christus illis lumine suo præluxisset. Iam uero quos comprehende-

„ Io.xxi.

„ Rhete quod a multis trahi non potuit, ab vno Petro trahitur.

Mat.xiii.

Litera, corpus scripturæ.
Interior sensus spiritus est.

Allegoria super captura piscium & rhetis tractione.

Mat.xiii.

rant, monstrante Christo, iis ad terram trahẽdis, id est tutum in locum recipiendis, multitudinem inutilem fuisse uideo: opus fuisse aliquo uno, qui crescẽte predæ multitudine, totam ecclesiam tanquam unam sagenam, plenam magnis piscibus ad Christum pertraheret. qui sane in litera fuit Petrus. idem autẽ in ecclesia Petrus est, & deinceps ut quisq; Petro successit. Hanc certe imaginem non possum non animo concipere, cum illa lego. Cum uero iam ad prandium illud uenio, quo me ipsa Euãgelii series ducit: statim enim a piscatione ad prandium uocat illos IESVS, uenite, inquit, prandete; ubi animaduerto neminem omnium manum ad cibum admouere, etsi labores manuum suarũ appositos ante oculos haberent, sed expectare dum ab uno sibi ministret: Et uenit IESVS, & accepit panem, & dedit illis: & similiter piscem, & illis dedit. omnia enim ab uno illo pastore acceperunt; deinde a prandio, ut idem ordo perpetuo seruatus intelligatur, cum uideo unum separatum esse a reliquis, hoc enim indicant illa uerba, Simon diligis me plus his. cur plus his, nisi aliquid amplius ab eo exigeret, quam a reliquis? quid autem exigit, nisi illud quod ipse fecerat, quandiu corpore pręsens fuerat, ut fratres pasceret? hoc enim præcipue ab eo exigit cum tanta uerborũ emphasi, ut in hoc uno gregis sui, pro quo mortuus est, salutem ponere uideatur, si ab uno pascatur; cum igit' hæc illic geri uideo, & nunc ad præsentem ecclesiæ statũ cogitationem refero, in quo unum, qui summum locum teneat, qui omniũ curam habeat, qui pastor omnium sit, Episcopum Romanum successorem Petri animaduerto; quo modo dubitare possum, hoc institutum a summi pastoris uoluntate deriuatum esse, qui cum corpore præsens esset, hoc munus Petro dederit, ut suas partes sustineret? In qua re si adhuc dubitatio aliqua subesset, quid magis eam tolleret, q̃ sequentia adhuc Christi uerba ad Petrum: quibus, ut omnibus manifestum faceret se illum sibi successorem constituisse, etiam in mortis genere eũ sibi successurũ testatus est. Quod illa uerba significant. cum esses iunior cingebas te &c. Deinde concludit, sequere me. plane ut omnium uerborum illorum sit sensus: Ego quandiu hic corpore præsens uobiscum fui, uos qui oues meæ estis, uerbo & doctrina paui. Nũc autem abeo, ut alium mittam paracletum, qui omnia quæ me docente degustastis, plenius uobis suppeditet, & qui uos cõfirmet. Oues porro meas tibi Petre relinquo: tu eas pascendo, ac pro eis moriendo, me sequere, ut omnibus probes te uere successorem meum esse. Hanc sentẽtiam

Cur maior amor a Petro quam ab aliis exigatur.

Petrus etiam in mortis genere Christo successit.

Io.xxi.

Christi

Chr isti fuisse, quid magis, si adhuc quærimus, confirmet, quam interrogatio Petri de illo dilecto discipulo? Cũ enim Christus a Petro pro amore quem erga se haberet, postulauisset, ut suarũ ouium curam susciperet, & eas pasceret: mirum Petro uideri potuit, cum dilectum illum discipulum sequentem uideret, cur non illi potius diceret, sequere me, & pasce oueis meas. Quare conuersus Petrus, inquit Euangelista, uidit illum discipulum, quem „ diligebat IESVS, sequentem, qui & recubuit in cœna super pe„ ctus eius: & dixit, Domine, quis est qui tradet te? hũc ergo cum „ uidisset Petrus, dixit IESV. Domine hic autem, quid? hic domi „ ne, qui nomine dilecti discipuli appellatur; hic, cui secreta tua o- *Domine hic autem quid?* mniũ primo reuelare soles, cui moriens matrem tuam commẽdasti: hic igitur quid? Dicit ei IESVS, si eũ uolo manere dum ue„ niam, quid ad te? Tu me sequere. Prius Christus eũ ab omnibus „ separauit; nunc autem, quo magis officium & dignitas eluceret, *Tu me sequere.* etiam a dilecto discipulo. Si eũ uolo manere donec ueniã, quid ad te? tu me sequere; quasi diceret, noli amplius quęrere de aliis; „ in domo patris mei multæ mansiones sunt, in ecclesia mea multę „ *Io. xiiii.* sunt functiones, diuersa munera: non deerunt aliis sua munera. Quod ad hunc pertinet, de quo nunc quęris: si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? tu munere tibi cõmisso, ut oues meas pascas, fungere: In eo esto attẽtus; mihi alii curæ erunt. si illi ma- *Christus Ioanni matrem, Petro sponsam suam commisit.* trem meam moriens commisi; at tibi nunc sponsam meam commisi, ecclesiæ meæ curam cõmisi, Tu me sequere. Ego illa prima petra sum, ego ille lapis abscissus de terra uiuentium, ille lapis exectus de monte sine manibus, qui replet orbem terrarum. Iam nullum aliud fundamentum potest poni, præter me; ego omnia alia fundamẽta sustuli. Mihi tradita est omnis potestas in cælo „ *Mat. xxviii.* & in terra. Me nunc pater ædificatorem constituit humani gene„ ris; quod cum sese nouum adhuc Dei opus e manibus architecti subtraxisset, in terram delapsum, in duas est partes dissectũ. has ego partes iterum coniũgo, & ex opere fragili duraturum; ex luto, uiuam petram facio. Et quid nunc aliud uolo, nisi ædificare, nisi lapides uiuos in fundamento ponere: atq; a te primum incipere, cui me ædificatorem pater primũ reuelauit? Tu eris in fundamento huius ædificii, tu reliquos omnes tui generis, qui multi subsequuturi sunt, sustinebis, Pro tua stabilitate, pro tua fide oraui. Tu confirmatus, confirma cęteros, cum te ego tui generis primum, mihi proximum in hoc ędificio constituerim, Tu me sequere. Sicut mihi pręcipua cura fuit uestri, qui sum Deus & ho-

mo:sic tibi generis tui prima cura esto,cui quidem diuinam po-testatem impertiar. Sicut pater mihi mandauit,qui sum Deus & homo,ut omnium curam gererem,omnes ædificarem,omnes pa-scerem,omnes deniq; quasi oues dispersas congregarem: sic ego iam terras relinquens,& ad patrem rediens,eandem formam sta tuo,unum hominem deligo,qui diuinam potestatem habens me as partes sustineat. Tu is es,cui pater primum meam dignitatē reuelauit;at ego tibi tuam reuelo. Tu eris petra illa,super quam ædificare incipiam. Tu me sequere;alii deinceps te sequent. Spi ritu quidem nunquam a uobis discedam usq; ad consummatio-nem sæculi,corpore certe pręsens non ero:cæterum nullo tempo re deerunt,qui personam meam sustineant; quibus eādem quam tibi,diuinam potestatem dabo. Tu incipe,tu me sequere,te alii postea subsequentur. Amen dico tibi,nō deficiet generatio hęc, donec omnia fiant. Quid hic Sampson?an eum qui mille & quin gentis annis perpetua serie in Petri locum successerint,numera-re possimus,id quod de nulla ecclesia,nisi Romana,cui Petri suc cessores præfuerunt,ostendi potest;quod certe fieri non potuis-set,nisi uerbo Christi Roma toties ab hæreticis oppugnata,to-ties a barbaris gentibus infestata,niteretur:hanc nunc successio nem,quam Christus ita ad summam uerbi sui potentiam decla-randam conseruauit;hanc inquam Sāpson tu nullam esse dices? an ita fidis malitiæ tuæ,ut speres posse te hanc penitus abolere, ut ne reliquiæ quidem appareant:& ad eam solitudinem redige re,ut homines existiment eam nunquam fuisse? In eo tu quidem omnes tuos conatus experiris,ut probes ne Petrum quidem suc cessorem Christi fuisse,ad quem tam aperta uerba Christi sunt, Sequere me,pasce oues meas: Sed frustra Sampson niteris. Etsi enim hæc quæ modo attuli scripturæ uerba nuda ponerem,neq; ea authoritate aliarum scripturarum,sicut iam feci,communire: satis causę officioq; meo fecissem. Nam quid obsecro dicere pos ses,ut ego aliud nihil q̄ tres tantum illos locos afferrem? Primū apud Matthæum, Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:cuius quidem sententiam pluribus uerbis expo sui:quæ certe alia esse non potest,nisi ut per petram,super quam ædificatur ecclesia,intelligatur unus,qui multitudinis,id est ec-clesiæ confirmandæ & augendę in fide Christi (quid enim aliud intelligi per ædificationem ecclesiæ potest?) curā gerat,& onus sustineat. Quod si talem petram Petrum apostolum fuisse nega-res:an non reliquæ duæ authoritates cōtra te aperte Christi sen

tentiam

Luc.xxi.

In Romana ecclesia numeratur perpetua Pontificum series annis plusquā mille & quingentis.

Tribus locis ex scripturarum pro Petri dignitate allatis, Sāpson nihil respondere potest.

Ædificatio ecclesiæ.

teneiam de Petro confirmarent? in quarum priore, quæ eſt apud Lucam, dicitur, ego pro te Simon oraui ne deficiat fides tua, tu uero conuerſus confirma fratres tuos. Quid tãdem eſt quod clarius interpretari uerba illa Matthæi poſſit, quam hæc Lucę, quę pleniſſime teſtãtur Petrũ fuiſſe petram, ſuper quam reliqui confirmarentur? Nunc uero his adiunge etiam illa quæ Ioannis ultimo poſt reſurrectionem tanto pondere uerborum uni Petro dicta ſunt, Paſce oues meas. nonne hoc iam teſtamentum Chriſti uidetur? Si illud teſtamentum Chriſti fuit, cum moriens in cruce diſcipulo dilecto matrem ſuam commẽdauit, ad quam poſtea corporaliter rediit; nonne hoc multo magis teſtamentum Chriſti eſt, cum ipſe non amplius ante mundi finem in corpore ad ſuos rediturus, eccleſiam pro qua mortuus erat, Petro commendauit? At quanta ſollicitudine hoc fecit? nempe quãta ſolent ii, qui teſtamenta condunt, & ultima illa uerba apud amicos proferũt, ſi me amas, hoc cura; ſic Chriſtus ſi me, inquit, Petre amas, Paſce agnos meos, ſi me amas Petre, paſce agnos meos: ac ne forte Petrus putaret minorum tantummodo curam ſibi eſſe commiſſam, maiorum non eſſe, quanquam illud ſatis tum expreſſerat, cum diceret confirma fratres tuos; tamen quia hæc quaſi teſtamẽti uerba erant, adhuc, idq; iam tertium, per amorem obteſtatus, Paſce, inquit, oues meas: etiam fratrũ curam tibi committo; in ſumma paſce omnes, qui ſunt oues meæ. En Chriſti teſtamentum Sampſon, en omneis ſuas opes, quas ĩ hoc ſæculo reliquit, quę in hoc ſæculo conſiſtebant, Petri curæ ac fidei tradit. En Dei filiis, Petrum unum, neq; alium præterea tutorem relictum. Quid in hoc teſtamento tam claris & apertis uerbis ſcripto calũniari ſtudes? Quid faceres in amici hominis aut patris tui teſtamento, ſi Dei teſtamẽtnm peruertere & uiolare audes, præſertim mille & quingentorum annorum perpetua obſeruatione confirmatum? Poſt tot enim ſæcula oues Chriſti, Petri & eius ſucceſſorum cuſtodię commiſſas, iam a ſucceſſore Petri abigere ſtudes. Sed quo ſcelerate abigis? cuius nunc cuſtodiæ committis? Regis ne? ita quidem, nõ ſacerdotis, neq; epiſcopi, ſed Regis. Quid hoc eſt aliud, quam Cacum agere? de quo memoriæ proditum eſt, cum Hercules dormiret, aliquot illum de ipſius armento boues, auerſis ueſtigiis, ut inquirentem fallerent, in ſpeluncam ſuam traxiſſe. Eodem modo oues tu Chriſti, de eccleſia, quaſi de paſcuis abactas retro plane agis, cum ad Regum ſpelũcam agis. Hoc enim poſt eccleſiam conſtitutam, nunquam cuiquam in mentem uenit, ut

Lucæ.xxii.

Teſtamẽtũ Chriſt

Agni.
Oues.

Sampſon violat teſtamentum Chriſti.

Sampſon agit Cacũ, dum Chriſti oues a Pontifice ad Regem abigit.

Regis custodię oues Christi commissas putaret. Nam quid hoc aliud est, nisi animam corporis custodiæ tradere? Quis unquam oues Christi apud Regem quæreret? Si Hierosolymitano, aut Antiocheno, aut Cõstãtinopolitano episcopo, sacerdoti deniq; alicui eas tradidisses, etsi contra Christi summi pastoris uoluntatem fecisses, tamen aliquam ueri speciem ac similitudinem, hęc tua impietas habuisset, quia sacerdoti. Nunc de quo nulla suspicio esse potest, Christum ita uoluisse, ei Christi oues committis, id est Regi; tanquam uersutus latro, qui ibi prædam abscondit, ubi putet neminem ausurũ quærere aut repetere. Sed est qui quęrat & repetat: Tu putas Pontificem Romanum dormire, & propterea tibi impune prædari licere, ut Cacus Hercule dormiente fecit. At Sampson, Dominus ouium non dormit; sed uidet te, & e cælo uidet. Nam nõ nos solum, qui superstites sumus, uoce nostra tanquam balatu significamus pastori, quo abacti a uobis simus: sed multo magis quam nos, sanguis eorum, quos recusanteis uocem mercennarii audire, interfecistis, assidue ad Christũ de terra clamat, quos nemo dicere potest non ex præcipuis Christi ouibus fuisse. O scelus nefariũ, & quale adhuc post Christi pastoris nomen auditum, nullum in Christũ ipsum, & ecclesiam, admissum legimus Et nos cum huius tanti sceleris atq; impietatis authoribus, uerbis mitioribus, tanquã si adhuc ex nostro grege essent, contendimus? quasi uero in eos qui ex armẽto, aut grege alieno prædas abigant, leges seu crissimas habeamus, in eos aũt qui gregem Christi totũ abigere ac diripere conent̃, & qui iam præcipuas ex eodẽ grege oues trucidarint, nulla lex, nullæ pœnę sint cõstitutę. Sed atrocitas scilicet ac magnitudo sceleris facit, ut nemo usitatas, aut a legibus pręscriptas pœnas a uobis expetat; Inusitatam aliquã a Deo uindictam, qualis in Dathã & Abyrõ extitit, quorum seditiosa facta imitamini, omnes in uos expectant: in quos si terra dehisceret, nemo plane christianus nõ iustissimam Dei uindictam comprobaret. Sed si Deus, ut diuitias misericordiæ suæ in uasa iræ ostendat, tarditatemq; uindictæ in uestram impiam pertinaciam grauitate compẽset: uos adhuc in uita manere patitur: imitemur nos etiã Dei lenitatem; & uerbis solis, aduersus gladium & uerba, contendamus. Audiamus igitur nunc Sampsonem, qui se negat furem gregis Christi raptorem ue esse (non enim a iusto possessore, sed ab iniusto abducere) sed iure agere, sed ratione agere, non ui cõtendere, nisi forte in eos qui rationem audire nolint, contendit. Audiamus ergo animal

Sanguis ouiũ Christi in Anglia interfectarum ad pastorem suum clamat.

Deus tarditatem vindictæ grauitate compensat.

animal rationale, qui in oĩbus rationis nomẽ iactat, qm̃ christia ni iam pridẽ amisit. Quid ergo affers cõtra eos locos, quos mo do ex euãgeliis adduximus? quo ratio tua ducit? nõ audis Pe tro Christi oues fuisse cõmissas? non audis Petro, illud munus datũ, ut ipse fratrũ curam gereret, cũ illius fides, orõne Christi confirmata esset, ut ipse alios confirmaret? Tu, inquit Christus, conuersus confirma fratres tuos. Audio, inquit, Sampson, hęc o mnia; sed hæc non magis ad Petri munus pertinent, q̃ ad cuius uis christiani hominis officium. Cur ita Sampson? quam tãdem nobis rationem affers? quia, inquit, hoc ad omnes, & ad singulos quosq; fideles in Petri persona loquebatur Christus. Est enim officium uniuscuiusq; christiani uiri, fratrẽ sollicite docere, con solari, corripere. Hæc Sampsonis ratio, cuius summa est, quia quod omnium & singulorum est, committitur Petro in illis uer bis Christi, & tu conuersus cõfirma fratres tuos, ideo nulla præ cipua est authoritas Petri supra cæteros. Quia sub persona Pe tri omnes christianos Christus alloquitur, eius igitur persona nihil habet præcipui, ideo Petro in iis uerbis nulla præter reli quos authoritas, nulla potestas datur. Placet ne tibi hic ratioci nandi modus? Sed non posse nõ placere, tua uerba etiam iterum repetita ostendunt. Sic enim concludis locum illum adhuc pla nius. Quod ergo Christus ad Petrũ ait, Et tu conuersus confir ma fratres tuos: non sentit de futura potestate, sed quod modo cum conuersus fuerit, & fidem receperit, studeat alios in eadem fide confirmare, id quod nullius christiani uiri nõ est officium, ut supra dixi. hæc tu. quia ergo singulorum officium illi cõmit titur, quia quod est cõmune omnibus, illi committitur, ideo nul la ex his uerbis præcipua authoritas elicitur. Nunc si hæc ratio ab animali rationali proposita est, respõdeat mihi idem animal. Fingamus Christum Regem aliquem constituere. Sed nolo te cum fictionibus agere, ne ullam calumniãdi materiam tibi relin quam. sumam argumentum a solenni illa cerimonia, quam in o mnibus regnis seruari uidemus. Cum Reges instituuntur, non ne iis proponitur formula quædam regendi, in quam etiam ipsi iurent? hoc quidem negari non potest. Qualis uero hæc formu la est? ut iustitiã ex legibus administrent, & alia huiusmodi mul ta. Sed nos omnia comprehendi intelligamus hac iustitiæ ex le gibus administratione. Regi nostro nonne hæc ipsa formula tũ præscripta est, cum primum regni gubernacula suscepit? Maxi me. Et quo tempore hanc iustitiæ administrandæ potestatem ex

Sampson animal rationale.

Sampson inepte colli git nullam præcipuã authoritatẽ Petro da tam esse, ex eo quia quod eit singulorum officium, illi commit titur.

Sãpsonis verba.

formula accepit ab iis, qui id ius patriæ nostræ more atque instituto habet, ex eo tempore Rex esse cœpit? sic est. At contra nunc Sampson argumentatur. Administrare, inquit, iustitiam, non Regis solum, sed & iudicis est. quot quot enim iudices in regno sunt, hoc illis commissum est, ut ius suum cuique tribuant. Ergo Rex ex eo munere sibi commisso, non est Rex. Hæc enim est argumentatio, qua ipse contra Petri authoritatem in pastoris officio utitur. Hanc doctrinam, inquit, Christus omnibus dedit in persona Petri, maxime uerbi prędicatoribus. ergo hoc non facit Petrum supremum pastorem. Quam totidem uerbis ad regium munus transferre licet. Cum Regi cōmittitur administratio iustitiæ ex legibus, dico id quod tu negare certe non potes, eandē hanc doctrinam dari omnibus qui sunt in regno, præcipue autē iudicibus. Rex igitur nullam habet precipuam authoritatem in iustitiæ administratione supra iudices. Est ne hæc argumētatio tua? sane eodem hic modo, quo illic ubi tu uteris, ualere debet. Sed uis ne ut Regi indicē, q̄ belle ipsius causam agas; cui ut tribuas alienam iniustam, & plane huiusmodi quam tu præstare nunquam possis authoritatem, suam legitimam, & ipsi ab omnibus concessam eripias? Sed audi aliam conclusionem, quam ego ex ipsis tuis uerbis, quæ contra Petri authoritatem profers, inferam, primo ad confirmationem Petri authoritatis deinde etiam Regis: cuius equidem de authoritate nihil diminuam, cum Petro conseruabo suam.

Inepta Sampsonis argumentatio.

Sampson dum alienā iniustam potestatem Regi tribuit, suam illi legitimā adimit.

Nunc igitur recognosce uerba tua. Tu dicis, & hoc sæpe refers; in persona omnium hoc cōmitti Petro, ut fratres confirmet: in persona ecclesiæ dici Petro, ut oues Christi pascat. ergo iam concludam ego, non Sampson, Petrus est pastor omniū, habet authoritatem supra omnes. Hoc tu uidelicet non feres. Sed idem audi ad regiam potestatem translatum. Regi in persona omnium qui sunt in regno, cōmittitur administratio iustitiæ. quod illi præcipitur, omnibus præcipitur, ut unusquisque proximo suo ex legibus iustitiam ministret. Ergo suprema omnium est authoritas Regis. Quid enim quæris Sampson, cum quæris officium Regis? aliquod ne seiunctum ab omnibus munus, & quod nemini præterea conueniat? si ita iudicas, ualde iudicio falleris. Si ita quæres, nunquam quod inuestigas, reperies. Videris pueros imitari, qui Regem solum agnoscunt ex diuerso ab aliis cultus genere, ex corona, aut aliquo alio insigni externo, quod in cæteris non animaduertāt. sic tu cum officium Regis quæris, aliquid separatum quæris, quod non sit reliquis

Probat Petri authoritatem ex eo, quod Sampson ad eandem impugnandam assumpsit.

Regium munus non est separatum quoddam, sed potius commune omnibus.

etiam

etiam commune. Verum hoc pacto nunquam inuenies. Sed sequere consilium meum. quære potius quid sit cõmune omnibus. & continuo quodnam sit regis munus, apparebit. Quod si nõ potes Regem nisi ex signis exterioribus, nisi ex corona agnoscere; existima saltem illum circulum aureum omnium e populo munera & officia complecti; quod quenque priuatim facere oporteat, id omne unius curæ committi: Hoc in Rege esse, quod sit in omnibus. Si aliquid separatum quæres (iam tertium te admoneo) ad officium Regis perspiciendum nunquam certe peruenies. Sed quid tu Sampson ita Theologiæ es deditus, ut propriæ tuæ professionis, iuris inquã ciuilis, cuius facultatis insignibus iam pridem te iactas, oblitus uidearet uis doctior esse in aliena, qui tuã ignores? Leges ciuiles nonne hoc te docent de Imperatore, cum maiestas populi ad unũ delata fuerit; quicquid erat in singulis muneris & officii, hoc unum iam complecti; qui cum reddat singulis quod populi totius & singulorum hominum erat, tum iustus imperator sit? Eodem modo nunc de Petro, cum Christus hoc commisit illi quod fuit omnium, & singulorum, ut confirmaret alios in fide, nonne ex tuis uerbis illi supra reliquos omnes authoritas tribuitur? Si enim singulorum pastorum officia in illo uno munere, quod Petro datum est, significatur; nonne omniũ pastorum pastorem facis? Atque hic tardus homo Sampson, Augustini authoritatem adducit, tanquam secum facientem; qui in illo Ioannis loco ubi Christus dicit, Petre pasce oues meas, dicit Petrum personam ecclesiæ gessisse: tanquam si de Imperatore dici non posset, populi personam eum gerere, in quem maiestas populi esset translata, aut quasi Rex in regno non omnium personam gereret. Quo quid absurdius cogitari potest? Quando enim magis cognoscitur Rex, q̃ tum, cum aliquid dicit in persona regni? Quod autem regnũ Regi, hoc ecclesia pastori. In quo ergo pastore ecclesiæ persona representatur, quid aliud intelligere possumus, q̃ eum esse pastorem omniũ? hic uero miser, tantum abest cum Augustini authoritatem adducat, ut intelligat eam maxime contra suam opinionem facere, & magnum aduersarium causæ suæ Augustinum nominare, ut etiam lectorem sui libri ad Augustini uerba reiiciat, & iubeat legere illic, quæ pro sua sententia faciant; quæ tamẽ, ut siquid aliud, hanc eius sententiam funditus euertunt. Ea porro Augustini uerba citat, quæ is scribit exponendo illud Christi ad Petrum, pasce oues meas. Libenter ergo tibi obsequor Sampson, quoties me ad Augustinum

Sampson ita nuper Theologiæ deditus est, ut propriæ professionis hoc est iuris ciuilis oblitus esse videatur.

qui ecclesiæ personã gerat, eum omnium pastorem esse.

Augustinus, quem Sampson citat, maxime aduersatur Sampsoni.

reiicis, quem scio acertimum aduersariũ tuæ causæ esse. Sed uolo, cum uerba in medium attulerimus, ut ipse Augustinus, non tu, illa uerba interpretetur. Quid ergo ait Augustinus? Tu quidem ipse recitas, quod ad ipsum Petrum proprie pertinet, inquit
» Augustinus. Vnus homo erat, gratia unus christianus, abũdan
» tiore gratia unus, idemq; primus Apostolorũ. Sunt ne hæc uerba Augustini? Sunt certe, satis bona fide a te citata. At uide quęso, quanam te meam sententiam magis confirmare posses. quid ego aliud de Petro dico, quã illud idem, quod ipse Augustinus iis uerbis diserte dicit? An non ipse a principio huius disputationis testatus sum, Petrũ, si ipsum tantum spectares, esse unum hominem, & eum miserum ac fragilem, ex eorumq; numero, de qui.
Iob.iiii. » bus Iob dicat, qui habitant domos luteas, qui habitant terrenũ fundamentum: eundem uero, gratia factum esse ex luto petram solidam & uiuam, non amplius super terrenum fundamẽtum habitantem, sed in fundamento, quod abscisum est de terra uiuentium, quod commune dico illi cum omnibus christianis. Abundantiore uero gratia, ut nunc dicit Augustinus, unus idemq; primus Apostolorũ. An non hæc mea sententia est? sed iam, inquis, per hoc quod dicit, unus idemq; primus, non intelligit Augustinus, ut sit primus potestate, sed ut ordine. Hoc quidẽ Sampson dicit, non Augustinus. Verum an hæc sit Augustini mens, nõ a te, sed ab ipso Augustino uolo discere. Ille uero nũquam hoc dicet, primum quia falsum est, Petrũ ordine uocationis inter Apostolos principem fuisse; quando ante eum frater ipsius Andreas fuit uocatus, qui Simonem etiam ad Christũ adduxit, quem statim ut uidit Christus, dixit illi, tu uocaberis Cephas, id est petra, cum interea fratri qui illum adduxerat, nihil præter cæteros præcipui tribueret. Sed utrum Augustinus hoc quod ais dicere uoluerit, an potius Petrũ existimauerit potestate summa supra reliquos Apostolos a Christo donatum, quis melius, quam Augustinus ipse nobis indicabit? Ac mihi quidem, & omnibus qui non calumniari, sed bona fide cognoscere Augustini sententiam cupiunt, satis id expressum est illis uerbis, quę modo ipse ex Augustini libro recitasti. Sed si plauius adhuc idem exigitur, afferam uerba ipsius Christi, ad quæ Augustini interpretationem adiungam ita claram, ut etiam si Momum in omnibus agere stu tueris, nulla tibi hic occasio reliquatur. Est autẽ locus is, unde Christi uerba excipiuntur Matth. xvii. in quo Euangelista describit uenisse ad Petrum qui didrachma tributi nomine exigebant

Petrus ab Augustino uocatur primus Apostolorum. Quod Petrus nõ fuerit primus Apostolorum ordine uocationis.

Io.i. »

Momus.

bant, petiissetq; ab eo, num ipsius magister Christus censum sol-
ueret. de quo ante, q̃ Petrus interrogaret, Christus occupauit, &
illum rogauit, solerent ne filii regum tributũ pendere? Sed hæc
nunc omitto, uenio ad factum Christi, qui tandem dicit; ne hos Mat.xvii.
scandalizemus, uade ad mare, ubi staterem in ore piscis inueni- „
es, hũc da pro te & me. Hæc sunt Christi uerba. quibus ego nũc „
non meam, sed Augustini interpretationem adhibebo, qui in li-
bro quæstionum noui & ueteris testamẽti. Quæ est. LXXV. ita
scribit. didrachmum capitum solutio est. Sed fortasse tu hoc nõ Didrachmum.
intelligis, & dubitare potes cur didrachmũ dicat Augustinus,
cum Christus de statere mentionem faciat. Quare ne te hoc mo
retur, res ita se habet. stater erat duplex didrachmũ. A Christo Stater, duplex didrachmum.
uero pro se & sua familia didrachmum tantum exigebatur, non
stater. Didrachmum enim erat capitũ solutio. Tantum enim Iu-
dæi tributi nomine Romanis pendebant, in singula familiarum
capita singula didrachma. Christus uero duo didrachma soluit,
cum staterem numerauit, unam pro se, alterã pro Petro: ut signi-
ficaret in sua familia duplex esse caput, quorũ alterum esset De
us & homo, alterũ purus homo, id est Petrus. Sed nolo meæ in-
terpretationi fidem habeas, Audi Augustinum, quem quasi fau-
torem tuæ sententiæ adducis. Sequitur enim in Augustino post
illa uerba, didrachmum est capitũ solutio. Saluator quando pro „
se & Petro exolui iubet, pro omnibus exoluisse uidetur. Quia si „
cut in saluatore erant omnes causæ magisterii, ita post Saluato- „
rem in Petro omnes continentur. ipsum enim cõstituit caput o- „
mnium. Ecce in Petro post Christum omnes causas magisterii „
inesse dicit Augustinus, ecce caput omnium Petrũ dicit Augu- Augustinus affirmat Petrum esse omniũ caput.
stinus, is quem Sampson pro se ad contrariam sententiam euer-
tendam adducit. Quid hic Dauidem quærimus, qui huic Goliad
caput præcidat, cum suo ipsius gladio se ipse confodiat? Ita non
solum ratio quam affers, sed authoritas quã adducis, pro me fa-
ciunt; tuamq; sententiam sic condẽnant, ut certe nihil magis hoc
efficere possit. Post has uero tã ualidas rationes, quæ magis pro
aduersario q̃ pro ipsius sententia faciunt, quid iã agit Sampson?
fingit uidelicet ipse sibi se sine aduersario uicisse; ac tandem eo
deuenit, ut cum negare non possit multis sæculis hanc Ro. Pont.
successoris Petri potestatem durasse, iam quasi ociosus philoso-
phus & grauis huius rei causam rimet, unde nam id est, quo ex
principio defluxerit hæc tanta Romani Pontificis potestas, ut
apud omnes pro uicario Christi, & pro summo pastore omniũ,

cui totius ecclesiæ cura commissa sit, habeatur. Atq; hic non diu
Impia Sápsonis sententia super origine potestatis Ro. Pont. suspendit auditores, ut expectet, quid ipse tanta in causa respon
deat. Sed ut quæsiuit unde Romanus episcopus arrogauerit sibi
tantam authoritatem, subiicit continuo, a principũ scilicet & po
» pulorum nimia tollerantia, & illius loci episcoporum fœda am
» bitione, & superbia. Sed quo pacto Sãpson hoc ꝓbas? hoc enim
» statim tibi respondeo, neutram causam ueram esse; maxime uero
impium esse, a tali initio talem authoritatẽ ductam dicere. Sed
Sampsonis verba. nolo adhuc tibi molestus esse, dum id doceo: Perge tu potius, &
» dic cur ita existimes. Quia primum, inquit, certius nihil est sub
» cælo, q̃ quod episcopo Romano primatus aut authoritatis plus
» non tribuatur iure diuino, quam cuiuis alii episcopo siue in An
» glia, siue in Gallia: cum ne diuus quidem Petrus habuerit. Sed
si hoc ego negauero Sampson, quo pacto ꝓbabis? An putas tan
tam tuam authoritatem apud omneis esse, ut tibi dicenti solum,
cõtra ecclesiæ cõsensum credatur, cui ne iurato quidem quisquã
nunc credit, idq; merito, cum contra iusiurandum ecclesiæ datũ,
quo tempore ipsius unitatem confitebaris, eam nunc discindere
Sampson nõ probat, sed tãtum asseuerat. pares? Verum ille nullam aliam probationem affert, & tanquam
omnia ipsi concedi debeant ob id solum, quod tam confidenter
» asseueret, superest, inquit, ut iure humano. Ac sic relicto illo mẽ-
bro diuisionis quod fuit probandum, pergit ad alterum. Sed ta-
men quasdam etiam probationes adiungit ex inscriptionibus li
terarum D. Cypriani, & aliorum, in quibus dicit nihil amplius
tribui Romano Pontifici, quam ut uel episcopus Romanus, uel
Sampson ex literarũ inscriptionibus argumẽta petit cõtra Roma. Pont. authoritatem. frater appelletur. Has uero nescio quorũ adducas, utrum ut pro
bes authoritatem Pontificis non esse de iure diuino, an potius
tanquam id sit manifestum, ut doceas ex his literarũ inscriptio-
nibus ne de iure quidem humano esse. Vtcunq; sit, iam quidem
quasi spiritum tibi deficere uideo, iam plane omnia argumenta
tua una cum uiribus & ingenio esse exhausta ostendis, cum nul-
lum aliud argumentũ tibi relinqui declares, nisi quod ex inscri-
Prouerbium. ptionibus literarum colligis. Nunquam ne prouerbium audiui-
sti, quo uulgo fertur, cum alicuius rei, quæ pro uera narretur, fi-
dem eleuare uolunt, tam esse ueram, q̃ ea quæ in literarum inscri
ptionibus scribi solent? An tu hoc nunquam in iis literis quę ad
te scribuntur, expertus es, qđ ego sæpissime experior in iis quas
ad me boni etiam uiri scribunt? Ea enim in literarum inscriptio-
nibus mihi tribuunt, quæ nullo sane modo, nisi impudentissimus
sim, possim agnoscere. An tu agnoscis Sampson, cũ aliqui ad te
scribunt,

ſcribunt,doctiſſimo uiro,omni genere uirtutū ornatiſſimo,grauiſſimo,& multa alia?quæ ut maxime tu agnoſceres,quam minimum tamen ualerent apud aduerſariū ea negantem,etiam ſi optimi uiri ad te ſcriberent. Nihil enim certe proficeres, ſi eo argumento contra eū utereris,ut diceres optimos uiros qui ad te ſcriberent,hos honorum titulos in literarū inſcriptionibus tibi tribuere. Quod ſi in animo tibi erat contra Pontificem ea afferre, quæ in literis ſcribuntur,ut authoritati eius derogares, cur non potius ſuas ipſi literas,in quibus cæteri Principes maxime ſolēt ueros ſuos titulos uſurpare,contra eius authoritatē oppoſuiſti? Ibi inuenires,non paſtorem paſtorum,ſed ſeruum ſeruorū Dei. Hæc argumenta magis pro te facerent. Sed plane oſtendis,te in hac cauſa defatigatū eſſe pugnando,uires tuas omneis conſumptas eſſe,cum literarū inſcriptiones profers;deniq; tibi nihil reſtare,niſi ut animam exhales. Dic quæſo ingenue Sampſon, noli diſſimulare. Si Cypriani teſtimonium contra Pontificis Romani authoritatem adducere cōſtitueras,cur non potius aliquid ex epiſtola,quam ex inſcriptione epiſtolę attuliſti? Inſcriptio ut uides,parum habet momenti;quę uero in ipſa epiſtola ſcribuntur, ea plurimum ualere ſolent. An non audebas alienas literas introſpicere? eſt ne hæc modeſtia tua? an cum inſpexiſti,nihil inueniſti,quod pro tua ſentētia faceret? At ego tibi dico,ſi inſpexiſſes, profecto ea quæ apertiſſime ſententiam tuam condemnarent,inueniſſes,& quæ etiam ad propoſitam abs te quæſtionem de authoritate Pontificis,unde nam ea emanarit, aptiſſime reſponderent,ac tuam ſententiam impietatis maxime arguerent. Primum enim quaſi quodam obeliſco,totum librum tuum una illa epiſtola ad Cornelium Epiſcopum Romanum a Cypriano ſcripta confodit. Quid enim aliud toto illo tuo libro agis, niſi ut oſtendas neminem unum in eccleſia præeſſe? Epiſcopo Romano, ſacerdoti Dei non eſſe obediendum? ſuper Petrum non fuiſſe fundatam eccleſiam? Romanam eccleſiam nullam authoritatem ſupra alias habere? Hæc enim ſunt capita tui illius pręclari libri. Ad hęc autem quid dicit Cyprianus? dicit huiuſmodi opiniones ſchiſmatum & hæreſium ſemina eſſe. Sed afferamus ipſa eius ex intima epiſtola uerba,inſcriptiones relinquamus. In hoc quidē erimus Sampſone audaciores. Verba igitur hęc ſunt. Nec enim,inquit, aliunde hæreſes obortæ ſunt,aut nata ſunt ſchiſmata, quā inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur. Tu clamas Sampſon,Regi obedite,& abducis ab obedientia ſacerdotis. ille natas inde

Vna Cypriani epiſtola totum Sampſonis librum, quaſi obeliſco confodit.

Cypriani verba.

Fons hæreſeon & ſchiſmatum.

hæreses, q̄ sacerdoti non obediatur, in quo includitur obedien-
" tia, quæ debetur Regi. Sed audi reliqua. Nec unus, inquit, in ec-
" clesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex uice Christi cogi
tatur. Audis ne Sampson fontem hæreseon, quod non unus in ec
clesia sacerdos, & unus iudex uice Christi cogitatur? quàm hæc
cum tua sententia conueniunt, qui nihil toto libro agis, nisi ut il
" lam unitatē tollas? Sed pergamus. audi reliqua. Cui si secundū
" magisteria diuina obtemperaret fraternitas uniuersa, nemo ad-
" uersus sacerdotum collegium quicq̄ moueret; nemo post diuinū
" iudicium, post populi suffragiū, post coepiscoporū consensum,
" iudicem se non episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio unitatis,
" Christi ecclesiam scinderet, nemo sibi placēs, ac tumens seorsum
" foris nouam hæresim conderet; nisi aliquis ita est sacrileg̨ teme
" ritatis ac perditæ mentis, ut putet sine Dei iudicio fieri sacerdo-
tem. Audis ne Sampson hæc ultima uerba? Qui quæris de uno
episcopo Romano, quem negare uice Christi iudicem esse, prin-
cipium esse omnium hæresium paulo ante dixit Cyprianus: qui
igitur de illo quæris, unde eius authoritas emanarit; & adiūgis,
ex principum & populorum tolerantia, & illius loci episcoporū
fœda ambitione: an non audis Cypriannm respondentē, hoc cre
dere esse sacrilegæ temeritatis, & perditæ mentis? sed ausculta
" quæ deinceps sequunt̄. Nonne duo passeres asse ueneunt, & neu
" ter eorum cadit in terram sine uoluntate patris? cum ille nec mi-
" nora fieri sine Dei uoluntate dicat, existimat aliquis summa &
" magna, aut non sciente, aut non permittente Deo in ecclesia Dei
" fieri, & sacerdotes, id est dispensatores eius, non de eius sentētia
" ordinari? At tu dicis a regum & populorum tolerantia, & fœda
ambitione illius loci episcoporum. Verum audi etiam quæ mox
subiungit. Hoc est, inquit, fidem nō habere qua uiuimus, hoc est
" Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi omnia & gu
" bernari scimus, & credimus. Vides ne nunc quàm pro te Cypria
nus faciat? Atq; hæc quidem cōtinuata uerborum serie, ut apud
Cyprianum sunt, ita recitaui. Sequūtur autem paulo post de Pe
tro, super quem tu negas ecclesiam esse fundatam. Sed si quæ tu-
am sententiam condemnant in illa epistola, afferre uellem; totam
profecto epistolam huic meo libro intexerē. Nihil enim unquā
legi quod manifestius omnes uestros conatus patefaceret, ac re
dargueret. Tanquam enim si iam tum uideret ecclesiæ præposi-
tum, id est Pontificem Romanum a Rege infestari, ita loquitur;
exponens etiā causam infestationis. ob hoc, inquit, ecclesiæ præ
positum

Vnus in ecclesia sacerdos, vnus iudex vice Christi.

positum sua infestatione persequit, ut gubernatore sublato, atrocius atque uiolentius circa ecclesię naufragia grassetur. Quid amplius dicere potuisset, si Regem post excussam eam, quæ uicario Christi Præposito ecclesię debetur obedientiam, reliquos qui ecclesiæ unitatem tuerentur, uexantem, & in omnium bona inuadẽtem, ac in corpora immanissime sæuientem uidisset? Sequitur de te & reliquis sacerdotibus schismaticis, qui ecclesiæ Prępositum deseruistis. Nec Præpositum, inquit, seruum deseri a quibusdam miretur, quando ipsum dominum magnalia & mirabilia summa facientem, discipuli sui reliquerunt. Et post pauca. Petrus uero supra quem ædificata ab eodẽ domino fuerat ecclesia, pro omnibus loquens, & ecclesiæ uoce respondens, ait, Domine ad quem ibimus? Dicit ne aperte nunc Cyprianus super Petrum ædificari ecclesiam? Tandem uero in eadem epistola de Romana ecclesia ita scribit. Post ista adhuc insuper pseudepiscopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ecclesiam principalẽ, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & prophanis literas ferre. Quid planius aut magnificẽtius dici posset pro dignitate Ecclesiæ Romanæ? quam cathedrã Petri appellat, a qua unitatem sacerdotalem exortam esse dicit, cuius denique dignitatem ita ueneratur, ut indignetur fuisse aliquos tam audaces, qui literas a schismaticis eo ferrent. qui tamẽ schismatici reuerentiæ causa id fecerãt, ut uerba, quæ in eo loco sequuntur, plane ostendunt. Eo enim miserant literas, quæ accusationem episcopi sui, falsaque in illum crimina continebant. Sed hanc audaciam indigne fert Cyprianus, non ueritos esse maiestatem Romanæ ecclesiæ, quominus falsas eo querelas deferrẽt. Atqui si stomachabatur in hos schismaticos sanctus ille uir, qui licet inique in suum episcopum egissent, erga Romanum certe agere honorificentius non potuerant, cũ ex Africa Romam usque misissent qui de suo episcopo conquererentur, Romanique Episcopi fidem & auxilium implorarent. id quod sane summam eorum obseruantiam erga Romanam sedem indicabat. & tamen quod falsa detulissent, & in eo non ueriti essent maiestatẽ ecclesiæ Romanæ, indignatur Cyprianus. Tantam enim & tam augustam illius ecclesiæ authoritatem esse censet, ut nefas esse uelit, si quis apud eam accusationes, nisi certas & ueras, proponat. Si igitur is nunc reuiuisceret, & audiret te Sampson, non tantũ falsas querelas in nostrates episcopos, sed falsissimas aduersus ipsum Romanum episcopum deferentem; neque uero in unum modo, sed in

Cypriani verba notant Regis Henrici facta.

Cyprianus affirmat supra Petrum ædificatam esse a domino ecclesiam.

Cyprianus Rom ecclesiam vocat Petri cathedram & ecclesiam principalem.

omnes semel quicunq; unquam ut successores Petri sese in prin- cipes uniuersæ ecclesiæ cathedra sedere professi sunt, sacrilego ore debacchantem, defensionemq; tuæ impietatis ex suę cuiusdã epistolæ inscriptione ducentem, quantopere zelus domus Dei & Romanæ ecclesiæ studium ac ueneratio illum cõtra te incitaret, ut omnium uerborum facibus te mendacii ac falsi coargueret? Atq; huiusmodi est illa epistola, cuius inscriptionem ad dignita tem ecclesiæ Romanæ authore Cypriano uiolandam adduxisti, ut eam uidearis tu quidem produxisse potius ut mihi in memo- riam redigeres, quæ Cyprianus contra uestram sententiam scri- beret, quam ut illius authoritate cõtra nos utereris. Certe nisi tu me de illa epistola monuisses, ego nunquam eius mentionem fe- cissem; qua quidem nihil afferri potest, quod apertius cõtra uos faciat. Atq; hic est Sampson ille Cyprianus, quẽ dicis annis cir- citer ducẽtis & quinquaginta post apostolos uixisse. Valde mi- hi placet, quod tu tempora tam diligẽter adnotasti. Quod tamẽ si ita facere perges, equidem uereor ne me Rex suspicetur præua ricatorem mihi apposuisse qui simulans se Regis causam agere, suggerat aduersariis quæ maxime ab illis contra ipsum faciant. Quid enim magis confirmet dignitatem ecclesiæ Romanę quid causam nostram aduersus calumnias uestras defendat, q̃ antiqui tas sanctissimi huius uiri qui cum tam propinquus Apostolorũ temporibus fuerit, & ea dicat quæ nos dicimus, unitatem eccle- siæ initium ab ecclesia Romana habuisse, Romanã ecclesiam ca- thedram Petri esse, in Petro fuisse fundatam ecclesiam; qui pos- sumus aliter existimare, q̃ semper fuisse hanc sententiam ecclesię iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, cum ille pene æqua lis eorum temporum idem dicat? quæ sententia cum ab hinc an- nis mille & ducẽtis ad nos peruenerit, quid est quod dubitemus affirmare hanc semper catholicæ ecclesiæ sententiã fuisse; & qui ab hac dissentiant, schismaticos omnes & hæreticos esse? si nihil aliud plane afferrem, q̃ quod tu nunc mihi suppeditas, omniũ sa- ne sententiis, qui æqui esse iudices uellent causam obtinerẽ. Sed quando tu tua sponte fecisti, ut hoc loco Diui Cypriani mentio nem faceres, tam antiqui & sancti scriptoris qui maxime tuam sententiã, pro qua confirmanda ipsum appellabas, funditus euer tit: etsi ego nihil minus cogitabam, quam ut eius uiri authorita- te contra te uterer, tamen quia abs te adductus est, non prius eũ dimittam, quam ex ipso audieris explicatum non ita multis uer- bis nostri temporis statum, quo potestas sæcularis ecclesiasticã

Antiquitas diui Cy- priani maxime de- fendit causam eccle- siæ contra Sampso- nem.

persequitur;

persequitur; quidq; is tota hac de re statuat: ut nisi plane stipes sis, clarissime cognoscas, quantum tuæ causæ aduersarium, dum fautorem ac patronū quæris, tibi aduocaueris. Hæc igitur sunt uerba Cypriani in epistola ad Lucium Pontificem Romanum, post mortem Cornelii, ad quem scripta erat superior illa epistola, unde quę paulo ante retulimus excepta sunt. Inde, inquit, contra ecclesiam Christi & episcopum Cornelium beatum martyrē nosq; omnes, potestas sæcularis subito prorupit, ut ad confundēdos hæreticos, & retundendos ostenderet dominus, quæ esset ecclesia; quis episcopus eius unus diuina ordinatiōe delectus: qui cum episcopo presbyteri sacerdotali honore coniūcti; quis adunatus, & uerus Christi populus diuina gregis charitate connexus; qui essent quos inimicus lacesseret, qui contra quibus diabolus parceret ut suis. neq; enim persequitur & oppugnat Christi aduersarius, nisi castra & milites Christi; hæreticos prostratos semel & suos factos, contemnit & præterit: eos quærit deiicere, quos uidet stare. &c. En quam aperte his perpaucis uerbis ante oculos ponit omnes uestros nefarios conatus, qui nixi potestate sæculari episcopum Romanum, quem ille unum episcopum appellat, & illi coniunctos insectamini: adiuncta etiam causa, cur Deus talem insectationem toleret ac permittat. Hæc tibi si placent, multos iam licet eiusmodi causæ tuæ fautores adducas, ipsum etiam Hieronymū licet adducas. Atq; ita sane facit. nam eadem plane impudētia, qua paulo ante Augustinum & Cyprianum suæ sententię defensores ac suffragatores laudauit, qui maximi essent aduersarii: etiam Hieronymum nominat, cumq; dicit nullam prorsus supra reliquos episcopos authoritatem Romani Pontificis agnouisse. Ac uix hoc ita dixit, cum illi uerba Hieronymi occurrerunt, ea, quæ facere non potuit quin recitaret, ut statim mendacii argueretur. ea enim sunt, quæ uel apertissime declarent Hieronymum nullo modo cum eo sentire, sed pene plus etiam, q̄ reliqui omnes faciant, Ro. Pont. authoritati tribuere. Nam ita ait Hieronymus, loquens de ecclesia Romana. Qui extra hāc domum agnum comederit, profanus est, quasi diceret, qui dissentit ab ecclesia Romana, profanus est. Atque hæc sunt uerba quæ sola Sampson recitat ex Hieronymo, ut illū probet nihil præcipue Rom. Pontifici, nec ecclesiæ Romanæ tribuere. Et non contētus nuda Hieronymi uerba adduxisse, a quibus euidentissime mendacii argueretur; ne forte aliquid aliud intelligeremus, per hoc quod Hieronymus dicit illam domum, & non

Verba Cypriani ex epist. ad Lucii. Pō. Roma.

Hieronymus quē pro se Sampson citat, maxime aduersatur Sāpsonis causæ.

Hieronymi sententia de ecclesia Rom.

ecclesiam Romanam: etiam nos admonet Erasmum Roterodamum sic illum locum interpretari, ut per illam domum intelligatur ecclesia Romana, & per illa uerba ex Hieronymi sententia declarari Ro. ecclesiæ primatum. Sed scilicet non ita iniquus in se ipsum est Sampson, ut tam aperte suam ipsius sententiam, etiam aliorum authoritate oppugnet. Dicit quidem Erasmum ita interpretari: sed addit non tam sincere loqui illum eo in loco, & nimis negligenter sic interpretari. Quid ita Sampson? quia tecum non sentit, dicis eum haud sincere loqui? an satis est te contra uirum in literis exercitatissimum, quo nemo nostro sæculo plus in literis, nec maiori ingenio & industria laborauit, qui plura opera cōscripsit, q̄ te putem unquā legisse; doctiora quidē & minus certe uulgaria edidit, q̄ quæ a te potuerint intelligi: qui denique cum nullus fere scriptor sit ex antiquis, cuius sanctitas & doctrina ab ecclesia probetur, in quo non extet monumentum aliquod ipsius industriæ, in Hieronymo ita apparet, ut illū constet neminem antiquorū maiori industria legisse, neminem magis q̄ Hieronymum familiarē habuisse: contra hunc ergo talem uirum satis esse tibi uidetur, cum eius sententiam reiicis, dicere non sincere eū interpretari, & inaduertenter scribere? Profer tu aliquid saltem, quo appareat te sincere eum & attente reprehendere. Sed nihil prorsus affert. cum enim illū satis hoc modo quasi pro potestate reprehendit, ad alia argumenta transit. Sic autem concludit illum locum. Quātumuis, inquit, in illo potissimū loco Erasmus non tam sincere loqui uidetur, q̄ in aliis plerisque locis, qui domum illam nimis inaduertenter Ro. ecclesiæ primatum interpretatur. An non hæc conclusio tua est Sampson? Est plane. deinde ad alia orationem conuertis, satis habens, Erasmum oscitātiæ reprehensum, & in munere interpretandi quasi minus sincerum, accusatum, sic contumeliose dimittere. Sed si nullam tāti uiri rationem habebas, quo pacto eum dimitteres, saltem Anglorum tuorum ad quos scribebas, aliquam habuisses: iis saltem rationem reprehēsionis tuæ aliquam reddidisses, apud quos scires Erasmi nomen satis esse celebre, & acceptum, cum tuum doctrinæ quidem causa, si cum Erasmi conferatur, sit obscurissimū: iis aliqua ratiuncula satisfecisses, cur tibi potius q̄ Erasmo credere & assentiri deberent. Sed quid si Erasmum defendit ipse Hieronymus? An non tota hæc contumelia in te ipsum recidit? At qui nisi plane epistolam illam suam esse neget Hieronymus, non potest non Erasmum defendere, qui nihil aliud tota illa epistola

Sampson inique reprehendit Erasmum.

Erasmus Rot. laudatur.

Erasmi nomen apud Anglos celebre.

propositum

propositum habere uideat, nisi primatum Romanæ ecclesiæ confiteri: cuius dignitatem sic uerbis effert, ut qui ab ea dissentiat, non solum profanum appellet, sed etiam ut unum ex iis qui diluuii tempore extra arcam reperti sint, sine dubio periturum affirmet. Argumentum porro totius epistolæ quid aliud ostendit, q̃ Hieronymum, cum in Syria agens ecclesias illic inter se dissentientes & in uarias sectas, hæreticorum fraude ac malitia distractas offendisset; nec sibi tãtum tribueret, ut suo arbitratu statuere posset, cui potissimum ecclesiæ adhæreret; de hac re ad Damasum Pontificem Romanum referre, cuius ecclesiam Petri cathedram uocat: atq; ita referre, ut illum per omnia sacra obtestetur, sibi ut authoritate sua præscribat, quid ipse in tanta opinionum uarietate ac pugna fugere aut sequi, tacere aut dicere debeat. se enim nullam ecclesiam agnoscere, preter Romanam, cuius authoritatem sequi oporteat: cum qua qui recuset communicare, salutem consequi nullo modo possit. Sed age, ipsa illius uerba ponamus, quæ ita sunt clara in hanc sententiam, ut nulla prorsus interpretatione egeant. Ego nullũ; inquit Hieronymus, primum nisi Christũ sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram ædificatam ecclesiã scio. quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quid his clarius dici potest? atq; hæc dicit, cum multa ante premisisset honorifica de dignitate ecclesiæ Romanę, cum magna orientalium ecclesiarum ignominia; in quibus dicit indiscissam domini tunicam, & desuper textã, minutatim per frusta discerpi. id quod dicebat propter uarietatem in illis sectarum, & dissensionem ab ecclesia Romana, quam appellat Petri cathedram, in qua incorrupta seruaretur Patrum hæreditas: multa autem maxime honorifica commemorat ex scripturis figurate de ecclesia Romana dicta, quæ si uellem omnia referre, tota hic epistola intexẽda mihi esset: quæ, ut dixi, in hoc tota uersatur, ut quãtum Hieronymus ipse tribuat Romanæ ecclesiæ authoritati, apertissime declaret. Quãta uero in ueneratione ipsum Damasum Pont. Ro. haberet, cui Sampson dicit nullum honoris nomen illum tribuisse, præter fratris appellationem; etsi id ad rem parum faciat, tamen ut eius mendacii impudentia magis extet, uerba ipsa, quæ id testantur, ponam. Cum igitur multa prius dixisset de iis qui ecclesiæ Romanę preessent, in quibus illa etiam cõmemorauit, Vos estis lux mũdi, sal terræ, & multa alia honoris nomina; tum ad ipsum

Hieronymi verba.

Petri cathedra, Ro. ecclesia.

quanta in veneratione Hieronymus Damasum Rom. Pontificem habuerit.

Damasum tunc Pontificem hæc subiūxit. Quāquam me, inquit,
» terreat tua magnitudo, inuitat tamē humanitas. Si nullam ei au
thoritatem tribueret Sampson, ampliorē q̄ fratri, an unquam ita
scriberet, se eius magnitudine terreri? quæ uero sequūtur, omnia
summam eius authoritatem ob id tātum, quod Pontifex Roma-
» nus esset, maxime declarāt. Facessat, inquit, inuidia Romani cul
» minis, recedat ambitio; cū successore piscatoris, & discipulo cru
» cis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitu
ni tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Et quæ se-
quuntur. Sed maxime quantum illi tribuat, conclusio epistolæ
declarat, in qua hæc uerba habentur. Quamobrem obtestor bea
titudinem tuam, per crucifixum pro mūdi salute, ut mihi episto-
lis tuis siue dicendarum, siue tacendarum hypostaseon, detur au
thoritas. Quid aliud ad Christum ipsum, si corporali præsentia
in terris esset, in tāta ecclesiarum discordia scribere posset? Atq;
hæc est illa epistola, in qua citanda ita diligēs Sampson fuit, ad
Pontificis Ro. authoritatem oppugnandam, ut nō solum episto
læ initium in libro suo notet; sed etiam quoto tomo, & quota pa
gina in libris Hieronymi habeatur, diligenter lectorem admo-
neat. Quod quo consilio feceris, ne cogitatione quidem assequi
possum: Si enim locum aliquem quæsisses in Hieronymo ad con
firmandam Romanæ eccesiæ authoritatem, ut omnes eius libros
euoluisses, haud scio an aptiorem ullum reperisses. Dicerem idē
tibi accidisse, quod Balaam prophetæ, qui cum conductus esset
ad maledicendum populo Israel, omnia tamē quæ proferebat ad
eorum benedictionem pertinebant. sic enim tu facis. quæcūq; ha
ctenus ad oppugnādam Pontificis, & Ro. ecclesiæ authoritatem
mercede conductus attulisti, ea maxime sane confirmāt. Testes
quos contra adducis, omnes contra te pro ecclesia Romana testi
monium dicunt. Hac quidem in parte, omnia tibi cum falso illo
Propheta conueniunt. Sed hoc inter uos interest, quod ille etsi
contra suam uoluntatem, pro maledictione benedictionis uerba
proferebat, intelligebat tamen se ita facere. Tu cum benedictio-
nis uerba affers, cū aduersarii causam maxime adiuuas, tum pu-
tas te eam oppugnare, tum existimas te uerbis eam confutare,
quam & argumentis & testibus maxime confirmas. Quem enim
tu maiorem causæ tuæ aduersarium uno Hieronymo nominare
potuisses? cuius primum sunt illa uerba contra tuum fundamen
tum, qui negas super Petrum ædificatā ecclesiam, in epistola ad
» Marcellum aduersus Montanum apertissima. Hic enim Petrus
apostolus

Hieronymus Damasum alloquens dicit, beatitudo tua.

Nu xxii. Sampsoni idem quod Balaamo accidit.

Testes quos Sāpson adducit, testimonium contra ipsum dicunt.

apostolus super quem dominus fundauit ecclesiam,& propheti- am,& promissionem domini illo tempore impleta dicit,& quę se quuntur. Quid hic quęso es dicturus? Equidem ut te statim con fessione tua uictum dimittã, nihil aliud optauerim, nisi aures te habere, quibus sane uideris caruisse, cum illa tam clara & tam aperta Hieronymi ad Damasum uerba non exaudires. Neque enim si exaudisses, commisisses unquã ut nos de ea epistola tam accurate commonefaceres. Verum age, qui negas Pontifici Ro. successori Petri, ullum honorem ab Hieronymo maiorem tribu tum, quam fratri: si summam eius in illam sedem reuerentiam nõ satis ostendunt uerba ea, quæ tu pro confirmanda tua opinione adducis; legatur altera illa epistola, quę proxime hanc sequitur, in eo Tomo, quem tu ita diligẽter notas. Nam cum ad priorem epistolam responsum non tulisset: alteram scribit, in qua sane ui- dere licet, quantum Ro. Pontifici tribueret. cum enim tanta de re responsionem, quã tam enixe, tam supplicibus uerbis ante po- stulasset, non impetrauisset; si parem se aut æqualẽ existimabat, causam habebat iustam expostulandi. & expostulat ille quidẽ: sed quo id modo? Ita plane, ut si cum Christo ipso eadem in cau sa ageret. Sed cætera omitto, ne totam epistolam inserã, quæ uer bis maxime supplicibus desiderium potius responsionis, q̃ ullam expostulationis speciem ostẽdunt. sic autem, cum aduersariorũ, qui ab ecclesia Romana dissidebant, sententias significasset, con clusit epistolã. Ego inquit, interim clamito. siquis cathedræ Pe- tri iungitur, meus est. Miletus, Vitalis, atq; Velinus, tibi hęrere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret. nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. idcirco obtestor beatitudinem tuam, per crucem domini, per necessarium fidei nostræ decus. per passionẽ Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito. Ita enim solus cum duodecim iudicaturus sedeas, ut te alius se- nem cum Petro cingat: ita municipatum cæli cum Paulo conse- quaris, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam commu nicare, significes. Noli despicere animam meã, pro qua Christus est mortuus. Hæc extrema epistolæ sunt uerba. ex quibus iam opinor, uides, si modo is es, qui uidere possis, quãtum pro te Hie ronymus faciat. Quem post hos testem adduces? quid post hæc es dicturus? uel quid potius anteq̃ huc deuenires, dixisti? ea pla- ne, quæ non solum te tibi repugnantem, sed communi omniũ sen sui aduersantem faciunt. Insani enim hominis, non cum ratione disputantis uerba uidẽtur, quæ iam in medium afferam: quæ pe-

Hieronymus in epi- sto. ad Marcellum, ec clesiam dicit a domi- no esse super Petrum fundatam.

Hieronymus in epi- stola ad Damasum.

ne quidem prætericram. Sed prætereunda certe non sunt. Vole-
bas igitur ostendere, in illis uerbis Christi, super hanc petram
Sāpsonis verba. » ædificabo ecclesiam per petram non intelligi Petrū. Absit enim,
» inquis, ut super fragilem hominem. sed super confessionem fidei
» remoto homine Petro. Ne autē in eo statim ab omnibus explo-
» dereris, si sine authore sententiam proferres, Liranum authorem
» adducis. Sed recognosce paululū tua uerba. Non enim (inquis)
» ædificauit Christus ecclesiam super Simonem Petrum, super ho
» minem. hoc esset plane super harenam ędificare. Sed super illam
» fidem, quam cōfessus est Petrus, quod Christus esset filius Dei.
» hinc, ait, in Simonis Petri persona omnibus Apostolis, Simō, ec-
» ce Sathanas expetiuit uos &c. Hæc ubi tam absurda dixisti, ne
» uidereris sine authore loqui. At inquis, ne ui deatur somnium es-
» se meum, omitto omnes ueteres interpretes & Græcos & Lati-
» nos, & solum mihi Liranum familiarem omnibus Ro. Pont. adu
» latoribus interpretem accipio. Sapienter tu quidem nunc tandē
Delirat Sāpson qui dicit ecclesiam super fidem solam Petri, semoto homine fundatā esse.
Sampson, quod eos omittis, qui nihil pro te faciunt, uel maxime
potius aduersantur. Verum hoc quod dicis super fidē solam Pe
tri, semoto homine, fundari ecclesiam; atq; id loqueris ac scribis,
quod nemo unquam sanus diceret: si mihi non permittis ut so-
mnium appellem; equidem quo nomine uerius significem, nō ha
beo: nisi forte delirationem uocari mauis. Et certe ita est. hoc
enim uigilans loqueris, quod non modo Liranus non diceret,
quem te hic authorem habere putas: sed nec quisquam omnino,
qui mentis ac rationis compos esset. Veritus es pauloante dice-
re Christum super hominem ædificare, propter hominis lubricā,
& non satis stabilem naturam; qui tamen ad aliquod tempus sta
re potest, quemadmodum etiam id quod super harenam ædifica
tur. Nunc autem ædificium constituis super id, quod nullo tem-
poris momento consistere possit, separatum ab homine; super id
inquam, quod si fundamentum aliquod habeat, in homine habe-
re necesse sit. Quo enim pacto fides ipsa per se consistere potest,
semota ab homine? an hoc tu a dialectica didicisti: cui Morus
& Roffensis tam parum in literis sapiunt, qui paulo ante doctos
omnes prouocabas, ut ponas accidētia sine subiecto, & super ea
Sampson ponit accidentia sine subiecto.
ædificia semper duratura colloces? Quid est enim fides ipsa per
sese, nisi qualitas quædam, nisi accidens in mente hominis quod-
dam? ecquis unquam fidē putauit per se subsistere, sicut tu Chri-
stum facis non modo a subiecto suo, id est ab homine, fidem ab-
strahentem, sed illam etiam ecclesiæ, id est credentium multitu-
dini,

dini,pro fundamento subiicietem? Quæ monstra sunt hæc Sampson? neq; enim pateris somnia appellari. Quod si nihil aliud diceres,nisi te authorem huius tuæ sententię probatum aliquē scriptorem habere,plane insanires. Nunc cum profers scriptorem, quem tibi etiam minime probari significas, quem ais omnibus Pontificis Ro.adulatoribus esse familiarem.quem ego quidem non reiicio:Sed cum a pricipio huius disputationis nullius scriptoris authoritatem,qui minor esset Apostolo, aut Euāgelista, attulerim,scripturis semper tecum pugnauerim,quod tu tuiq; similes nullius hominis authoritatem, cuius nomen in scripturis non extet,admitratis,omnes reiiciatis,non possum uehementer mirari te nunc ad Liranum,hominem nec tuo ipsius iudicio probatum confugere. Sed hūc ego,ut dixi,minime reiicio, quem & uirum bonum & probatum scriptorem fuisse iudico:eoq; magis nunc probo,quod tibi homini improbo,uideo nō probari:cuius nomen non alio elogio ornas,quam interpretis omnibus Pontificis Romani adulatoribus familiaris. Tibi quidem,non adulatori Pontificis,sed calumniatori & maledico,familiarem non esse uideo,qui ex eo hoc cites,quod nusquā apud eum reperitur. Nusquam enim inuenies apud Liranum super cōfessionem fidei abiunctam ab homine Christum ædificasse ecclesiam. sed si dicit super confessionem,dicit super Petrum confitētem Christum. & ita eum sentire uerba ipsius eo in loco,quem tu citas,ostendunt, qui Petrum appellat (ut eius uerba ponam) capitaneum apostolorum. Recte ergo Liranus dicit super fidelem Petrum ædificatam ecclesiam:& tu,qui super fidem semoto homine,dicis, plane deliras,neq; ullum unquam scriptorem inuenies,qui in hoc tecū sentiat. En princeps qualem patronum causæ tuæ delegisti, qui non modo pugnantia dicit,& ea affert ad confirmādum causam tuā,quæ illam funditus euertūt; sed ea etiā loquitur,quæ nemo sanus,uel sensu cōmuni prædītus diceret. Et hic scilicet est, qui tantum rationi suæ fidit,ut quæ quasi dictāte spiritu diuino excepta sunt,qualia sunt omnia scripturis sacris prodita, ad rationem suam exigere uelit:ut nisi eum illa,tāquam cum norma quadam conueniant,etiam interpretationem ecclesiæ,quæ magistrū semper spiritum Dei habet,aspernetur ac reiiciat, suam uero interpretationem,quasi tenebras rationis suę,in tam claram lucem inferat;deniq; suam unius sententiam contra communem ecclesiæ consensum defendat. Meritas ergo pœnas Sampson nunc luis,qui ea loqueris ac scribis,quæ sano nemini,si eandem quā tu,

Liranus citat a Sāpsone.

Liranus Petrum appellat capitaneū apostolorum.

M

cauſam ageret, in mentem uenirent. Sed quid nūc ago? cum ego talem te norim, cum certiſſimis argumentis probatum exploratumq; habeam, te talem eſſe, qui non modo partes tuas ipſe tueri non poſſis, ſed ea pro te adducas, quæ maxime contra tuam ſententiam faciant, ea deniq; dicas, quæ ab omni ſenſu abhorreant, quæ delirantis potius q̄ ſani hominis uerba uideantur: pergo ne tecum reliqua conferre, & ad cætera tua argumenta, quæ eiuſdē ſunt generis, reſpondere? At hoc quid eſſet aliud, q̄ tuam inſaniam imitari? cum præſertim ne tua quidem cauſa hæc a me diſputatio inſtituta ſit, quem ſane uix lecta inſcriptione libri, quæ pauciſſimis uerbis multa abſurda, & ſibi minime cohærentia continet, ſciebam qualē in reliquo opere habituri eſſemus, quemq; indignum ſemper iudicaui quocum ſerio contenderem. Sed quando principi, ut uideo, tuus liber gratus eſt; poſteaq̄ tuorum argumentorum debilitatem primum, deinde inconſtātiam, poſtremo repugnantiam inter ſe, ſatis, ut confido, oſtendi: nunc ad te Princeps orationem conuerto. Quidnam igitur exiſtimare debeo? An tibi Roffenſis & Mori literas iccirco diſplicuiſſe, quod Sampſonis & eius ſimilium doctrinam magis probares? uiſa ne eſt tibi tam probabilis horum oratio, tam ſolidis argumentorū quaſi fundamentis ſubnixa, ut iam non dico Roffenſis, & Mori ſententiam, quibus tamen doctiores noſtra Inſula multis ſæculis nullos tulit, ſed eccleſiæ uniuerſæ ſententiam, tot ſæculis, tanto doctorum hominum conſenſu probatam, reiiceres, atq; aſpernareris, & omnibus modis euertere ſtuderes? At certe horum libri nihil tale habent, qui quidem nec eruditionem nec eloquentiā præ ſe ferunt ullam, ſed ſummam potius infantiam, & incredibilem ignorationem non liberalium modo artium, ſed ſacrarum etiam literarū, quibus tamen ſe ſolis niti gloriantur. Quales uero ſint, hic unus libellus tui iſtius patroni tanto ex numero delecti, eorum qui cauſæ tuæ fauere uidebātur, ſatis oſtendit. Quid igitur putem? num rationes tam futiles, in tanta cauſa, contra eccleſiæ totius conſenſum tantum apud te ualuiſſe, ut iis perſuaſus te ab eccleſia ſeparares? At hoc qui poſſum exiſtimare? Non hę igitur quæ ab iſtis ſcribuntur, ſed nec ullæ aliæ huius generis rationes te perſuaſerunt: ſed cum iam ante alia ex cauſa, quam palam fateri non auderes, perſuaſus eſſes; hæ tibi poſtea oblatæ, quas tuæ iſti ſententiæ, uel cupiditati potius, quaſi fucum oblineres, ualde placuerūt. ita, qui tibi eas ſuppeditabāt, grati in primis; qui aduerſabantur, inuiſiſſimi merito erant. Sed quid ſibi hoc uult? cur illa

Hæc diſputatio non eſt inſtituta, Sampſonis cauſa.

Cur Rex Sāpſonis, & aliorum eius farinæ hominum ſententiæ magis quam totius eccleſiæ conſenſui faueat.

illa cauſa, quæ te induxit, ut horum uocibus & ſcriptis delectareris, nõ auſa eſt nuda prodire in publicum: timuit ſcilicet initio tanq̃ meretrix paulo uerecũdior, quæ nondũ eo proceſſiſſet impudentiæ, ut ſe populo nudam oſtendere auderet. poſt autem, horum ſcriptis quaſi amictu, non tantum uelata, ſed etiam multo facta ornatior, etiam in matronarum cætum uenire auſa eſt. Nimirum ita eſt. cum illa prodire cunctaretur, ii ultro ad ipſam acceſſerunt, operas ei ſuas obtulerunt, ſeſe facturos polliciti, non modo ut non turpis in conſpectum hominum, ſed ut uiſenda etiã & ſpectabilis ueniret, tanquam Regis filia, ut dicit Dauid de eccleſia, in ueſtitu deaurato circundata uarietate; ueſte inquam ſponſæ Chriſti ſe illam exornaturos promiſerunt. Quod cum ipſi ualde placuiſſet; tum ad ſcripturas ſacras, tanquam ad ueſtiarium Dei diripiendum concurſus ab illis eſt factus. quas ſcripturas ipſe Dei ſpiritus nobis reliquit, unde ſemper quæ ad ornatum eccleſiæ ſpectarent, depromi poſſent: illi autem ut inde ſubtraherent, quibus meretriculam, nudam prodire in publicum uerẽtem operirent, eo concurrerunt. Quorum certe conatus tibi non potuit non eſſe gratiſſimus, cum illam, quæ te iam amore ſui deuinctum & obligatum haberet, producere aliqua honeſta ſpecie cuperes. qui uero magis honorifice prodire poterat, q̃ ſcripturarũ ſpoliis tanquam propriis ueſtibus ornata: quibus ita nunc ſuperbit, ut nõ modo nullius iam conſpectum uereatur, ſed ultro etiã omnes ad ſe ſpectandam prouocet: omnibus ſe pudicam ac probam perſuaderi poſſe ſperet. Atq; ita Princeps horum hominum libri, qui tibi mercenariam operam in iſta tua cauſa probanda, tanquam in domeſtica meretrice cultu matronali exornanda nauant, non illi quidem te perſuadent (neq; enim tam futiles rationes quenquam perſuadere poſſent, qui modo alteram audire partem ſuſtineret, ut tu ſæpe audiuiſti) ſed tamen ita placent, ut nullius præterea hominis ratio & oratio quicquam apud te ualeat. Quin illud etiam de me ipſo dicam, qui nunc hoc ago, ut contra illorum ſentẽtiam, meam, quæ eadem eccleſiæ eſt, tibi probem ac perſuadeam; tantũ abeſſe ut ſperem te ullis meis uerbis ad meas partes traduci poſſe, ut cõtra potius exiſtimem, ſi cui Deus Pauli ſpiritum, & Ciceronis eloquẽtiam dediſſet, atq; is hanc ipſam cauſam apud te ageret, nihil eum ꝓfecturum eſſe; atq; eo etiam minus, q̃ cæteros, aſſecuturum, quo magis ad ueritatẽ cauſæ explicandam ualeret; quã quidẽ nec aures iam tuę exaudire, nec animus cõtraria opinione uel libidine potius occupatus, capere po-

Cauſa Regis comparatur meretrici, quæ non audeat nuda prodire in publicum.

Pſal. xliiii.

Sripturæ, veſtiariũ Dei.

Rex veritatem audire non poteſt.

Cur scribat ad Regem, apud quem se nihil putet profecturũ.

test. Quid ergo causæ est, cur cum putem me nihil posse proficere, ad te nunc scribam? Primum quidem, quia abs te sententiam rogatus in causa Christi tacere non debui. Deinde hoc saltem assequor contra eorum libros scribens, qui tuæ causæ turpitudinẽ scripturarum spoliis tegere se posse profitentur, ut omnibus planum faciam, non plus illorũ libris dedecus causæ tuæ uelari posse, quam Adam potuerit foliis fici, cum post peccatum nuditatẽ suam Deo abscondere conaretur. sed contra potius ipsos tuam simul ac suam turpitudinem maxime ostendere cum singulari stultitia coniũctam, eoq; certe magis quo ipsi plures libros scribũt.

Gen. iii.

Patroni causæ regiæ imitantur Moriones, qui nudum corpus rheti circundato satis tegi putant.

Sic enim illi agunt ut Moriones, qui cum se propriis uestibus exuerint, & nudum corpus statuerint, rhete sibi circumponunt, quo tecti se putant a nemine uideri posse. Ita est ꝑfecto, suis ipsi libris hoc demum assequuntur, ut attentius homines uestram & insaniam & turpitudinem obseruent, quam si nullum omnino ei uelamen quæreretis. Nemo enim eorum libros legit, qui nõ continuo stultitiam uideat, turpitudinem uero ita auersetur, ut abominandam ducat: qui non indignetur, non exclamet, nõ uos confestim ab ecclesia Dei exturbandos iudicet. Sed omittamus, ut dixi, illos. Tecum autem Princeps quid facere debeo? An illorũ argumenta dissoluendo, qui tuam peruersissimam sententiã confirmant, ueritatem causæ tibi clarius coner ostendere? Hoc fortasse tu a me expectabis: Sampson uero scio requiret, cuius os nunq̃ ita potest obstrui, ut non ad reliqua sua argumenta respondere uelit, illudq; præcipue, quo maxime, ut ipse putat, eleuãs Petri authoritatem, cum Paulo eam confert. ac sic tandem quærit.

Sampsoni quamuis victo & humi prostrato, os obturari non potest.

Sãpsonis verba.

" Quod si absolutam illam, quam solam iactat, Petrus haberet po-
" testatem, quid de Paulo dicemus, qui eo incõsulto Corinthios,
" Galatas, Romanos ipsos, sua doctrina solidauit, qui Petrum
" ipsum in faciem reprehẽderit, de quo tãdem sic concludit. Quod
" si D. Petro, primatum potestatis asserere uoluerimus, ultra Iudę-
" os non protenditur, Pauli testimonio, qui se positum ait prædica-
" torem gẽtium, & doctorem, & non minus creditum illi Euange-
" lium præputii, q̃ Petro circũcisionis.

Ad hoc ergo Sãpson, quod illi scilicet firmissimum argumentum uidetur, non potest non ut statim respondeam flagitare. Quod utiq; non omitterem, ut tibi saltem Princeps debilitatem horum etiam argumentorum ostenderem, si sperarem persuaderi tibi posse, ut animũ fortem & perturbationibus uacuum ad recipiendam ueritatem præparares. Nam ne hic quidem mihi deesse facultas posset, quod Sampson

minime suspicatur, ut sicut in aliis eius argumétis feci, cum quæ ipsi uidebātur maxime Petri authoritatem oppugnare, ea ostendi maxime illam constituere: item in his ipsis quæ nūc iacta, fa cerem: præsertim in eo quod ait Paulum dixisse Petro commissum fuisse Euangelium circuncisionis. Quid enim magis declarare posset magistri eum personam gerere, qui de se ipso dixit, non sum missus nisi ad oues quæ perierūt, domus Israel? Qui ergo Petri authoritati detrahit, & limites eius ditionis intra Iudæam terminat, quia Paulus dixit Petro commissum Euangelium circūcisionis: quo modo non is eadem ratione Christi etiam ditionis terminos intra eandem Iudæam coercet, quia de se ipso Christus dixit, se non missum nisi ad oues quæ perierant, domus Israel? Sed si hæc ratio impie de Christo ita concludit, cui scriptura testetur gentes a Deo datas esse hæreditatem, & possessionem terminos terræ: sic falsissime ac plane impie de Petro concluderet, cui Christus e terris decedens, oueis suas pascendas commisit, si oues tātummodo ex domo Israel illi commissas diceret: cum Christi oues non tam per Iudæam, q̄ per uniuersum orbem pasci, nemo nisi impius, negare possit. Sed quid, inquit Sāpson, Paulo faciemus, si Petrus habet summā authoritatem, qui eo inconsulto ecclesias cōstituebat, & iis præficiebat episcopos? Nempe idē, si tibi adhuc respondere oportet, quod Thomæ, quod Andreæ, quod reliquis Apostolis. cur enim non eodem modo quæris de illis, qui omnes a Christo, non a Petro acceperant authoritatem euangelizandi? An nescis, Paulum per reuelationē, a Christo ipso accepisse authoritatem prædicandi Euangelium, nō minorem reliquis apostolis, qui Christi dum in terris ageret, discipuli fuere? Sin hoc tu nosti, cur potius de Paulo, q̄ de reliquis quæris, si quæ Christus in propria persona gessit, ad uicarii potentiam diminuēdam ualere posse putas? Quid ergo Sāpsoni faciemus, ego potius quærerem, qui dum unius apostoli authoritatem effert, maximi apostolorum dignitatem labefactare & deiicere conatur? aut quid de me fiet, qui a tam inepto aduersario, ut nihil de impietate dicam, me non ualeo extricare? At enim alterum illud argumētum minime est ineptum, sed maxime ualidū, contra Petri authoritatem, quod in conspectu ecclesiæ a Paulo reprehensus est. hoc quidem proculdubio ualidum esset argumētum, siquis eo magnitudinem Petri authoritatis uellet confirmare: ad tollendam uero authoritatem Petri, omnium est debilissimum, id quod statim perspiciet, siquis qua de re tum est Petrus

quod Petro commissum est euangelium circuncisionis, id maxime declarat magistri eum personā gerere.

Mat.xv.

Psal.ii.

quod Paulus Petrū reprehendit, id non diminuit authoritatem Petri.

reprehensus, eam rem penitus animo comprehēderit, & totius il lius reprehensionis modum & rationem attenderit. Causam autem reprehēsionis hanc constat fuisse, quod is legalia iuberet obseruari. Quid ergo? an Petrum dicere possumus nesciuisse legalia per legem Christi cessasse, qui primus omnium, Christi magistri sententiam, q̄ Ioppe ex reuelatione didicerat, ecclesiæ patefecit, aliquot ante annis (ut per scripturas constat) q̄ eum Paulus de facie nosset? Sciebat igitur Petrus, neq; ob ignorationē Christi uoluntatis, reprehensus est: sed q, cum illā sciret, se tamen scire dissimulabat. hæc inquam illius dissimulatio tum est a Paulo reprehensa. Sed quid Paulus ipse? nonne is etiam aliquando scire se dissimulauit? cum Timotheum circuncideret, ipse autem capite raso subinde ad templum ascenderet; an non & ipse tum dissimulabat? Et maxime quidem. si ergo hæc ita sunt, quam æquitatem habere potuit Pauli reprehensio, in eo, in quo siquid culpæ inerat, eadem ipse tenebatur? Nempe eam, quæ utriusq; dissimulationem iustam fecerat. dissimulatio enim cognitionis, magnam in utroq; æquitatem habuit: at professio aperta etiam maiorem. Nam temporis habita ab utroq; ratio testimonium utriq; æquitatis dedit. dissimulabat enim eo tempore uterq;, quo oues illorum ita infirmæ erant, ut ipsi potius uereri deberent, ne si alteri tantum dicerent adhærendum esse, Christum potius desererent propter legalium obseruationem, quam propter Christum legalia. Tales enim tum erāt Iudæi, quales etiam nunc, si spectare uelimus, experiri licet; qui omnem salutis suæ spem in legis obseruatione, & in externis atque adumbratis cerimoniis positam haberent. Cum ergo Apostolis hic scopus esset, ut eos Christo lucrifacerent, quos legis cerimoniis affixos uidebant; initio non ualde cum illis de abrogandis legis cerimoniis contēderunt, sed tanquam prudentes dispensatores uerbi, satis tum habebant, si quoquo modo Christi nomen in illorum animos insinuare possent. Ac tantisper quidem dum hoc moliebantur; & illis ut cerimoniis uterentur, concedebāt, & ipsi etiam una cum iis obseruabant, dissimulātes interea apud eos, quibus aperta ueritatis professio nihil prodesse, sed multum potius obesse posset, eam quam uere habebant, de cerimoniis sententiam: nullam tamē unquam pretermittentes occasionem, siquando discipulos ad ueritatē percipiendam aptos uiderent, ueram de lege ac cerimoniis sententiam illis explicādi. Qua in re cum Paulus iam temporis progressu, ita Christi gratia eos qui fidem receperant iuuante, maxime profecisset,

Causa reprehēsionis.

Act. x.

De dissimulatiōe qua Petrus & Paulus pro tempore vtebantur.

Iudæi crassi crassis cerimoniis dediti.

profeciſſet,& iam aliquot prouincias,in quibus multos Iudæos ad ſinceram in Chriſtum fidem,& ſpem,abiecta omni fiducia legis,& cerimoniarum,perduxiſſet:tandem uero Antiochiam ueniſſet,ubi Petrus adhuc ob craſſiores Iudæos, quid uere de cerimoniis ſtatuendum eſſet,occultum habebat;a ſpiritu ſancto edoctus tempus ueniſſe liberius iam aperiendi ueritatem,in qua tot prouinciarum animi eſſent roborati,ne qua diſſimilitudo in eius doctrina uideretur, qui Apoſtolus fuerat electus, & cui fuerat euãgelium circuncifionis cõmiſſum:facere non dubitauit,quin aperte Petrum in eccleſia reprehenderet,quod in diſſimulatione perſiſteret. Id quod profecto ſine ſumma Dei prouidentia fieri non potuit,cum in eo & gentium, & Iudæorum ſaluti maxime conſuleretur.hoc enim in primis eorũ animos ædificabat, quod & Paulus libere,ut de ueritate certus,Petrum reprehendebat,& Petrus ſine ulla facti ſui excuſatione, ſe reprehendi patiebat in eo,ubi culpa uacabat,qui omnia propter gregis ſalutẽ faceret. At enim reprehenſio illa multum de Petri dignitate detrahebat, ut quæ illum ſignificaret Paulo inferiorẽ eſſe. Nec enim fere ſolent maiores a minoribus reprehendi;ſed contra potius,ſemper minores a maioribus corripiuntur. Hanc quidem conſuetudinẽ in ueteri domo eſſe fateor,ea de qua dicitur,Reges gentium dominantur eorum. Illic ſane hic mos obſeruatur, ut ab inferioribus ſuperiores reprehendi non ſoleat.Sed in eccleſia,in qua qui præſunt,non tanquã dominantes (ut inquit ſcriptura) præſunt, ſed tanquam omnium ſerui,habentes ante oculos,Domini omnium exemplum,qui etiã ſeruis miniſtrabat;hic uero mos ille non item ualet.Charitas enim per quam hæc domus Dei regitur, eũ morem perpetuo retineri non patitur:ſed ubicunq; eccleſiæ utilitas poſcere uidetur,nequaquam dubitat inferior,ſuperiorem reprehendere. Quemadmodum Paulus eo tempore fecit, cum Petrum ſe ſuperiorem reprehẽdit.Charitas enim ſpiritu Dei incenſa,minime paſſa eſt,ut ſe a reprehendendo contineret,tali præſertim in cauſa,qua nulla maior in eccleſia exiſtere poterat. Nã de eccleſiæ libertate tum agebatur;utrum in ſeruitutem legis iterũ abducendi eſſent,qui Chriſti ſanguine in libertatem ac gloriam filiorum Dei aſſerti erant:an prorſus ſic ab omnibus legis oneribus liberi eſſe deberent,ut in illos nullum ius neq; ad imperandum,neq; ad cogendum lex haberet. Atq; hanc quidem libertatem cum uterq; apoſtolus exploratum haberet unicuiq; datam eſſe,qui per Chriſti ſanguinem redemptus eſſet;tamen ut modo

In eccleſia Dei charitas facit,vt minor reprehendat maiorẽ.

Luc.xxii.

i.Pet.v.
ii.Cor.i.

dixi,cum legis serui imbecillioribus oculis tantum lumen ferre non possent,eorum causa ad aliquod tempus uterq; suam sententiam texit:donec tandem multorũ iam animis per Apostoli gentium prædicationẽ,fidei lumine illustratis, neq;dum tamẽ apud tenebricosos Iudæorum animos tanta luce exorta, apud quos etiam tum ipsorum Apostolus,quo illos in fide Christi retineret,dissimulare cogebatur:hæc commodissima ratio cęcitati illorum atq; ignorantiæ medendi spiritui sancto uisa est, ut in conspectu omnium Apostolus ipse se pateretur de dissimulatione reprehendi. Quę sane reprehensio,tanquã ex silice excussus ignis, non potuit in illis Iudæorum tenebris non maxima cum ueritatis luce emicare;& multo magis proficere ad eorum animos illustrandos,quam ulla potuisset recta ac simplex ueritatis prædicatio. Hac enim se parum profecisse,iam ante expertus fuerat Petrus. In illa autem reprehensione,quam ipse æquo animo pati uisus esset,adeo euidẽter non ullus quidem Petri error,sed eorum potius culpa,quorum causa coactus erat dissimulare,& maxima Petri in illos charitas,certumq; iam ueritatis lumẽ apparuit, ut finem dies ille quæstioni de legalibus obseruãdis attulerit. Iam uero Paulum,nõ quasi inferiorem, aut sibi etiam parem Petrum reprehendisse,si nihil aliud,certe illud liquido declararet, quod ad Galatas scribens testatur se plus Petro in honore, quam reliquis Apostolis semper tribuisse. Quo in loco etiã scribit se post treis annos quam Christi iussu prædicare Euãgelium cœpisset, Hierosolymam uenisse,uti Petrum uideret. Sed quid hic Paule dices?libet enim de te sciscitari tuæ istius peregrinationis causam. Tantum ne tibi otii a tam laborioso promulgandi Euangelii munere fuit,cũ tibi tot in prouincia tua quasi præfecturæ superessent,quas obire deberes : ut unius hominis uidendi causa Hierosolymam iter auerteres,quæ ciuitas neq; erat prouinciæ tuæ,nec uero te opus habebat prædicatore,cum non solum Episcopum suum,sed & Petrum haberet,ut tu te ipse eodem loco fateris?quid hoc sibi uult?tantum ne apud te studium cognoscendi unius hominis,ualebat,qui scribas te postea q̃ Christo nomẽ dederas,neminem præterea secundum carnem nosse? An tu aliquid in Petro plus q̃ in reliquis hominibus,q̃ etiã in aliis Apostolis authoritatis ac dignitatis agnoscebas,ut ad illum corã uidendum necessario te officio trahi putares? Ita quidem de tuo facto suspicari licet,nec sane aliud existimare possumus. Verbũ uero illud,quo uidendi desiderium exprimis,ut sanctissimi quidam

Summa Dei prouidẽtia factum est, vt Petrus se in conspectu omnium pateretur de dissimulatione reprehendi.

Quòd Paulus Petrũ reprehenderit nõ quasi inferiorem, aut sibi etiam parem.

Gal. i.
Paulus Hierosolymam venit vt videret Petrum, non Iacobum, non aliorũ apostolorum quenquam.

dam uiri ante me adnotarunt, declarat non uulgari hominum deſiderio ut faciem cognoſceres, commotum eo ueniſſe. Sed cum ſcribis Hieroſolymam uſq; te profectum ut illum uideres; tali uerbo uteris, quod apud Græcos, quorum lingua hæc ſcribens utebaris, tuũ cum admiratione quadam ſtudium exprimit eius uidendi, qui ſua quadam auguſta homines maieſtate ad ſe ſpectandum euocaret. Sed quid magis (ſi quę feciſti ſpiritus ſancti monitu, a quo tua omnia ſumma ſapientia regebantur, exiſtimare atq; expendere uolumus) quantum tu Petro deferres ac tribueres, nobis declaret, q̃ ipſum tuum factum; cum in tam laborioſo, & tam difficili munere, a quo nullum unquam tempus uacuum negotiis habebas, diuertere Hieroſolymam uolueris uidendi cauſa, non Iacobi, quanquam ipſe tum epiſcopus Hieroſolymæ eſſet; cuius obiter tantum mentionem facis, ſignificans uiſum eſſe abs te; nec aliorum item Apoſtolorum cuiuſquã, quos te ſcribis nõ uidiſſe: Sed Petri unius, apud quem dies etiã quindecim manſeris? quid eſt quæſo, quod nobis certius teſtari poſſit, quantum ſupra reliquos omnes Petri perſonæ deferres? plane ut intelligamus, cum tu poſtea illum in conſpectu eccleſiæ reprehendiſti; id propterea feciſſe, quod perſonæ quæ reprehenderet, amplitudo ac dignitas maiorem rei de qua agebatur, authoritatem uideretur allatura. ita enim a ſpiritu Dei, qué ad omnia magiſtrum habebas, edoctus eras. Nam certe (ut Paulum omittamus, & ad te Princeps orationem cõuertamus) poterat Paulus, ſi uellet inferiorem increpare, diſcipulos Iacobi reprehendere. & quidem etiam iuſtius; quippe qui in cauſa fuiſſent, ut Petrus diſſimulandi conſilium caperet. Poterat ſi parem uellet; alio tempore Iacobum ipſum reprehendere; atq; id opportuniſſime, ſeſe defendens & conſilii ſui rationem reddens, tum cum Iacobus Hieroſolymæ illum de eo admonuit, quod nimium libere cerimonias legis reiiceret. Hic uero non modo nõ reſtitit Iacobo, aut aliquid, quo ſe tueretur, attulit: ſed ultro etiam illius admonitioni ceſſit; ac cerimoniis una cum reliquis Iudæis, operam dedit, ut etiam raſus ad templum ueniret. Et tamen qui ita tum feciſſet, Petrum poſtea eadem de re arguit. Quid ita? nempe quod ſpiritus ſancti œconomia ac diſpenſatio quædam hanc Pauli reprehenſionem cum commodiori tempori, tum eius etiam perſonæ reſeruauit, qui quaſi uiuus lapis fundamento eccleſiæ ſuppoſitus, cum a Paulo altero de eadem fabrica lapide percuſſus eſſet, ſcintillas & lumen ueritatis in uniuerſam eccleſiam multo clarius cę

ἱστορῆσαι Chryſoſt.

Oportet aliquid fuiſſe in Petro q̃ Paulum pertraxerit Hieroſolymam eius uniꝰ uidendi gratia.

Reſolutio, cur Paulus Petrum reprehẽderit.

Act. xxi.

teris emitteret. Non ergo obſcurat Petri authoritatem Pauli re prehenſio; ſed multo magis eam illuſtrat, & claram omnibus red dit. ſic autem multa alia facta Pauli Petri dignitatis diminutæ ſpeciem habent, quæ tamen re uera maxime illam confirmant. quemadmodum quidem illud ipſum prædicandi munus Paulo delatum eſſe non a Petro, ſed a Chriſto, detrahere quiddam de Petri authoritate Sampſoni uidetur, cum nihil magis Petrũ in ipſius Chriſti loco collocare ac ſtatuere uideatur. Ante enim q̃ Paulus ad Apoſtolatum uocaretur, non tam Chriſti locum Pe trus tenere uidebatur, quam ſuum, hoc eſt eundem illum quem Chriſto in terris uerſante tenebat; ut unus modo eſſet ex duode cim. Sed Paulo ad illũ numerum per Chriſtum allecto, cũ Apo ſtolorum numerus duodecim nõ excederet, utpote qui tribuum Iſrael numero reſponderet: quid de hoc Chriſti facto exiſtima re poſſumus, niſi eum uoluiſſe unum e duodecim ſibi ſuccedere, eiusq; loco, ut numerus ille Apoſtolorum integer ac plenus ma neret, Paulum allegiſſe? Quod ſi unum aliquem Chriſto ſucceſ ſiſſe putandum eſt, ne aduerſarii quidem Petri authoritatis tam erunt impudentes, ut quenquam potius, q̃ Petrum dicant. Quod ergo Paulus non a Petro, ſed a Chriſto ad Apoſtoli munus aſci tus eſt; id eiuſmodi nõ eſt, ut cuiquam ſignificare poſſit Petrum Chriſto nõ ſucceſſiſſe: ſed potius, ſiqua antea dubitatio in re mi nime omnium dubia exiſtere poterat, omnem nunc præcidit. Ex his igitur omnes arbitror clariſſime cernere poſſe, q̃ debilia cau ſæ ſuæ firmamenta Sampſon, immo uero q̃ inter ſe pugnantia, & ad euertendum potius quod ſtatuere nititur, q̃ ad id quod oppu gnat, ulla ex parte labefactandũ idonea attulerit. Cum quo quo niam pedem ulterius conferre piget, diſputationis cum illo inſti tutæ & libri una finem faciam. Deinceps autem non luctabor cũ aduerſario ſic inepto; ſed cum Rege potius agam; cuius quidem ſaluti ut conſulerem, hanc etiam rationum cum Sampſone pu gnam, & concertationem ſuſcepi.

Pauli uocatio Petrũ in Chriſti loco collocatum oſtendit.

Liber

LIBER TERTIVS.



ACTENVS in eo operam laboremq; nostrum posuimus Princeps, ut palam facere mus, Regem nullo pacto supremum ecclesiæ caput esse posse, sed munus illud ad Petri successores, Romanos Pontifices pertinere. Id quod sacræ scripturę authoritate, sanctorum patrū testimoniis, more ac consuetudine maiorum, consensu totius ecclesiæ tot iam sęculis inueterato, exemplis, rationibus deniq; uariis confirmauimus: quæ autem huic sententiæ aduersari uidebanť, ea omnia argumentis, ni fallor, efficacissimis refellimus. Quæ si tu Princeps æquo ac neutram in partem propenso animo legere potueris; ueritatem huius causæ, quam agendam tuæ salutis causa suscepimus, uel recepimus potius a te nobis delatā, facile perspicies. Sed quid nunc ago? Quis unquam uinum preciosum in uas quod diutius eo liquore uacauerit, infundere parat, qui non ante de uase purgando cogitarit? huiusmodi nunc uas cum ad ueritatem recipiendam animus tuus sit, a quo iam pridem ueræ opiniones effluxerint, & in quem omnis falsarum persuasionum colluuies quasi in sentinam quandam undique confluxerit: equidem grauiter a me peccatum esse uideo, quod cū multa adhuc dixerim, quibus causæ huius ueritatem tibi liquido ostenderem, nihil ante de animo tuo purgando cogitarim; sed tanquā si non pestiferis opinionibus imbutus atque adeo refertus esset, multa quæ maxime & uera & salutaria sunt, in illum infuderim, uel effuderim potius, quæ iam occupatus recipere non potuerit. Qua in re cum magnam ueritati iniuriam feci, qui quo minime decebat eam abiecerim; Tum omnem certe operam perdidi, cum tibi cui maxime hoc meo labore consultum uolebam, nihil profuerim. Nunc ergo errorem meum agnoscens, & eundem corrigere cupiens, quid agere debeo? Quid aliud, q̄ ut te statim exhorter ad purgandum animum, ut te ipse dignum uas recipiendæ ueritati præbeas? Nisi enim hoc præstiteris, nunquam profecto nec quæ adhuc ueritatis ostendendę causa dicta sunt, nec quę postea dicentur, percipere poteris. De quo ut te admoneam, multo magis ad officium meum pertinet, quam ut contra Sampsonē disputem. Nam nisi hoc prius persuadeo, frustra tibi ueritatem suadere coner. Sed quo pacto id assequar, cū te animum purga-

Prius erat purgādus Regi animus quam infundēda illi ueritas.

Rex sibi persuadet se animum habere purgatissimum.

tissimum habere, & intus ueritatem ipsam continere putes, ita illam quidem copiose infusam, ut in alios etiam deriuare possis? qui conuenit ut tu ab aliis discas, quod possis omnes docere? Ita enim audio, quicunque de ecclesiæ dogmatibus controuersias habeant, ad te referre, tuam exquirere sententiam, & eam quasi ab Apostolo prolatã amplecti: merito illi quidem, si ut tute tibi arrogas, ecclesiæ caput es. Sed quid ego dico me audire ueritatis cognitionem in ecclesiæ dogmatibus, te tibi uendicare, cum senteuria abs te in Roffensem, in Morum, & in alios optimos ac sanctissimos homines lata, nimis iam omnibus declaret, quantũ tibi ipse sumas in scientia ueritatis, qui horum quos dixi, sententiam sic falsam esse censueris, ut ipsos quia illam deserere recusarent, capitali supplicio affeceris? o tenebras, ut nihil hic odiosius exclamem, sed Aegyptiis ipsis quæ palpabiles erant, densiores. hic ego non dicam, nec te, nec quenquam tuorum, uel ingenio, uel doctrina, uel prudentia denique & usu rerum esse ulla ex parte cum talibus uiris comparandum; quæ tamen necessaria sunt, ei qui de talium uirorum sententia cuiusmodi ea sit, recte censere uelit: sed contra potius, uos omnibus his rebus ita inferioreis illis esse, ut siquis conferre cogitaret, iniuriam ipsis indignissimã faceret. Illud dicam, si maxime hæc omnia, quæ enumeraui, superiora haberetis: si plus temporis, plus industriæ in cognoscendis scripturis posuissetis; si plura ac maiora cæterarũ artium instrumenta, si ingenia præstantiora haberetis: tamen quia unũ uobis deesse certo sciam, quod illis adfuerit, quod quidem tale est, ut sine eo nullum ueritatis lumen in rebus ad fidem pertinentibus animo apparere possit; merito uos maximis in tenebris uersari. ut iure optimo Princeps, qui tanta caligine circũfusus meã sententiam, quæ sane cum ueritate, & cum illorum quos dixi uirorum sententia consentit, exquiris: hortari te debeam, ut prius q̃ ulterius pergam de ueritate sententiæ meæ, quæ eadem ecclesiæ sententia est, dicere, ex tetro isto gurgustio, quo nũquam ueritatis radius penetrauerit, emergas aliquãdo ad hunc apertum aerem, ubi lucem ipsam cernere possis, id est ad ecclesiam Dei, a qua cum es egressus, in istud te infidelitatis barathrum penitus demersisti. Sed quale tandem illud unum est, quod uobis quidẽ deesse, illis autem adfuisse dico, sine quo nihil in scripturis, nihil in ulla ueritate, cuius manifestatio ex scripturis petenda sit, sciri queat? spiritus Christi Princeps, spiritus Christi, a quo sunt illæ profectæ, sine quo si legantur, nec ipsæ, nec quicquam omnino

quod

Rex sibi vendicat cognitionem veritatis.

Exo. x.

Rex & regii consiliores quanto sint inferiores Moro & Roffensi in cognitione veritatis.

Spiritus Dei deest Regi & consiliariis ipsius.

quod ad ipsarum explicationem pertineat, satis percipi potest. Quam autem multa & quanta sunt in hoc ipso de quo nunc agimus argumento, quod quidem huiusmodi est, ut ex scripturis totum explicandum sit, quæ si te ecclesiæ subiiceres, in qua spiritus Dei regnat, & extra quam lumen suum nemini impertit, primo aspectu, & quemadmodum scriptura inquit, In auditu auris statim cognosceres esse uerissima, quorum nũc ueritas, quia spiritu Dei cares, nullo nec uerborũ, nec argumẽtorũ ambitu tibi osten di possit: atq; illud i primis, qđ nos de ecclesiæ unitate diximus. Quid enim existimas? An tu si illud de Iudæorum tẽplo tibi narrare inciperem, fuisse unum tantummodo tam numeroso populo, quo necesse haberent, qui sacrificare uellent, uenire, quocunq; ii locorum ac regionum interuallo disiuncti essent, nec enim aliter gratum eorum sacrificium Deo esse potuisse: & de ipsius ædificatione adiungerem, non id per Regem bellatorem, etsi is Deo acceptus esset, sed per Regem pacificũ exædificari licuisse: tum autem de illa fabrica hoc dicerem, quod scriptura dicit, Domus autem cum ædificaretur, ex lapidibus dolatis atq; perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramẽtum non sunt audita in domo cum ædificaret: si hæc igitur dicerem, atq; illa iam quæ Christus Rex pacificus de suæ ecclesiæ opificio dixit, de suis lapidibus, de quibus dolandis toties per Prophetas est loquutus, commemorarem, quo in opere nec malleus, nec securis, nec ullum omnino ferramentum auditum est, nullum deniq; humanum instrumẽtum uersatum: quippe cum omnes a Deo politi & quadrati, Dei uirtute, sine ulla humana ope in ecclesiæ ædificio positi fuerint, extra quam non liceat sacrificare: an tu cũ hæc dicerem, siquis radius diuini luminis in te superesset, nõ ipse quid necessario ex his efficeretur, prius quam id uerbis exprimerem, animo & intelligẽtia præciperes, nempe hoc ipsum in uero Dei templo, id est in ecclesia esse debere, quod in illo adumbrato ac materiali significatum sit? etsi Iudæi illud oculis uidebant, nõ te spiritus lumen ita illustraret, ut certius mẽtis acie hæc omnia de ecclesia Christi, quæ ex uiuis & manu Dei lapidibus ædificata est, expressa cerneres, quam illi corporis oculis conspicere adumbrata poterant? præsertim cum te Dei spiritus doceret omnia illis in figura contigisse, nobis uero ueritatem rerum, quarum illi simulachra tantum uidebant, esse ostẽsam? cerneres tu profecto, & multo quidem uerius ac certius spiritu, q̃ illi sensu. immo uero planissime intelligeres non tam illis, q̃ nobis scripta esse ea,

Sine spiritu Dei sacra scriptura intelligi non potest.

Vnum templũ erat in quo Iudæis liceret sacrificare.

Templum Hierosolymitanum non a Dauide bellatore, sed a Salomone pacifico ædificatum.

" *iii. Reg. vi.*
"
"

Lapides politi & quadrati.

i. Cor. x.

quæ de templo & eius exædificatione, ac de sacrificio quod solũ in templo fieri fas esset, sacris sunt libris prodita. Hoc enim ab illis tot sacrificiis astrictis, cum multi magno regionũm & locorum interuallo ab Hierosolyma, ubi templum erat, disiuncti essent, uix obseruari potuit, quod a nobis, qui in spiritu & ueritate adoramus, & sacrificamus, proindeq; non unius loci terminis circunscriptum templum nostrum, id est ecclesiam, habemus, quę totum orbem complectitur, facillime fieri potest. Hæc ergo de templo, & ecclesia, te continuo Dei spiritus doceret. Quod si, ut de unico templo fecissem, de ministris etiam templi, deq; summo illo sacerdote apud Iudæos loquerer, & ostenderem primũ quantæ seditiones hac de re extitissent, ne penes unum aliquem summa potestas esset: deinde quam grauiter a Deo animaduersum esset in seditionis authores, qui summo sacerdoti restitissent: ac quanto tandem miraculo, collatis in tabernaculum omnium tribuum uirgis, una tantum Aaronis effloruisset, reliquis sicut erant, aridis manentibus; tum autem de ecclesia adiũgerem, post grauissimas seditiones, quibus ecclesia cõflictata esset, cum non defuissent, qui hanc unitatem diuidere conarentur, & summam unius potestatem in ecclesia oppugnare auderẽt, multas ecclesias, quę a Romana secessissent, ut Dathan, & Abyron a terra, sic illas a diabolo absorptas esse: unam deniq; ostenderem Petri ecclesiam, tanquam uirgam Aaronis effloruisse; quæ utcunq; arida foris uideretur, intus tamen doctrinæ christianæ incorruptã sinceramq; ueritatem quasi uitæ principium retineret, ac semper retinuisset; cum interea cæterorũ Apostolorum uirgæ aridæ manerent, quod nulla eorum ecclesia ostendi posset, in qua non aut prorsus deleta, aut certe mirum in modum corrupta illorũ dogmata essent: ne eo quidem usq; progredi me sineres, quin statim exclamares, si spiritus lumen in te ullum esset, uerissima esse quę de uno pastore dicerentur; teq; non minor certe admiratio caperet, accidisse ita, ut cum Romanæ ecclesiæ præfecti nihilominus corrupti, quam aliorum Apostolorum successores fuissent, non minus horum arida natura tanquam uirga, q̃ illorum fuisset, nulla tamẽ unquam hæresis illam ecclesiam occupauisset, sed huius doctrina semper uera, & cum Christi magistri præceptis consentiens fuisset: cum in reliquis ecclesiis secus euenisse constaret: non minor inquam te admiratio caperet huius uirgæ sic perpetuo efflorescentis, quam tum Iudęos cepit uirgam Aaronis semel effloruisse cernentes. Hanc tu nũquam postea oppugnares;

Io. iiii.

Multæ seditiones cõtra summum sacerdotem excitatæ.

Vna Aaronis virga floruit.

Ex Apostolorum ecclesiis una Petri ecclesia floret.

In Romana ecclesia semper fuit vera doctrina.

Sed

Sed ut Iudæi uiso Dei miraculo in uirga Aaronis, seditione desstiterunt; sic tu maiore Dei miraculo in uirga Petri animaduerso, seditiosam istam con tentionem in admirationem Dei clementiæ, & in ecclesiam suam amoris, conuerteres. Quod si pergerem porro, ut magis claram hanc unitatem pastoris redderem, ac tibi in memoriam redigerem, quomodo etsi undecim Apostoli etiã ipsi prædicatores ad gentes dimissi essent, & per orbem terrarũ dispersi, tamen hoc munus ad unum hominem Christo authore reuocatum esset, cum Paulus scribat se gentium apostolũ, ut Petrum circũcisionis, a Christo esse factum, ut eius muneris quod omnibus commissum esset, iam unus nomen obtineret, quasi intelligi oporteret genus omne humanum, quod in Iudæos & gentes a scriptura diuidi solet, his duobus commissum esse: & ita recessum esse a multitudine præfectorũ ostenderem ex Christi uoluntate, qui humani generis curam ad duos tanquam legatos reuocasset: Deinde idem de Pauli apostolatu pronunciarem, quod ipse de gentium populis, quorum erat Apostolus, testatur, id est ut quemadmodũ ille dixit Gentes stirpi Abraham tãquam oleastrum oleæ insitas manere in una radice, sic ego Pauli apostolatum quasi surculum in Petri apostolatum tanquam in arborem insitum atque ex duobus effectum unum esse dicerem; quamnon obscure idem ille spiritus, hæc ut uideres faceret, si tantum cogitationis oculos ad ecclesiam Romanam conuerteres, in qua amborum Apostolatus in unum coaluisse, quod in nulla alia ecclesia de duobus Apostolis accidisse uidemus, nõ pauci aliquot anni, sed multa iam sæcula testantur? Quid multis opus? omnia ad Petri apostolatum tanquam ad unam arborem esse undique conducta, & in illam insita, quę arbor ex Christo ut ex felici solo, in quo est plantata, salubrem humorem & uiuificum trahat, quem omnibus deinceps ramis dispertiat. hanc deniq; esse Christi uoluntatem, quo magis unitas corporis ecclesiæ conseruetur, ut singulæ ecclesiæ ad unam, quæ tanquam mater sit & radix reliquarum, a qua illæ sinceram in concordia & pace doctrinam haurire possint: spiritus is, de quo iam dudum loquor, ut clarissime uideres, faceret: eamque Romanam esse ecclesiam, omni dubitatione sublata, apertissime ostenderet. Quæ omnia nunc, quia spiritus Dei te dereliquit, nec ipse uidere, nec aliis qui cernant, ac tibi affirment, credere potes. Sed quo nam, inquis, modo te scio a spiritu Dei derelictum? Quia non in commotione, Princeps, est dominus: non in spiritu grandi subuertente montes, & conuertente

Gal.ii.

Apostolatus Pauli in Petri apostolatũ coaluit in Romana ecclesia.

Immanitas regis declarat illũ a Dei spiritu esse derelictum.

iii.Reg.xix.

petras est dominus. Sic enim inquit Elias Propheta. Sed ut meis, nō Prophetæ uerbis aperte dicam, quia non in ista immanitate, qua occidēdis sanctissimis uiris usus es, nō in ista depredatione ac direptione b onorū ecclesiæ potest esse spiritus Dei; sed in sibilo auræ lenis, ut inquit Elias, est dominus. Cum uero te longissime ab omni lenitate & clementia abfuisse acta tua declarēt, qui possum non omni asseueratione te a spiritu Dei derelictum pronuntiare? At enim hoc argumentum satis graue apud te non est, ut te hinc credas spiritu Dei carere: sed tam acerbæ scilicet sententiæ certiorem adhuc probationem requiris. Ego uero & alia præterea habeo certissima Dei iræ signa imminentis iam ad uindictam, immo uero etiam præsentis. Id quod non sine maximo animi dolore referre possum. Sed quæ nam illa inquis? si tale quidem signū ego ostenderem, quale de Herode narratur, quem igne penitus uiscera exedente periisse cōstat; aut quale Oziæ accidit, cuius in fronte, cum dei sacerdotibus obsisteret, repente elephantiasis apparuit; statim credo agnosceres iram Dei, sicut Ozias fecit, de quo scriptura, Agnouit, inquit, Ozias manum Dei. Sed adhuc certiora his signa habeo manus domini in te, quæ cū ego sine summo meo dolore commemorare non possim, si tibi quoq; illa audienti ac mecum recognoscenti molesta accident, feras tu Princeps oportet hanc omnem orationis acerbitatem. Hæc enim si recte eam perceperis, tibi omnium malorum remedium esse possit; & nisi perceperis, nihil unquam de tua est salute sperandum. Quo fit, ut ea & mihi, si officio constare uelim, necessario exponenda; & tibi, si tuam salutem charam habes, omnino auscultanda sint. Existimato igitur tātisper dum illa audies, me tibi grauiter & periculose laboranti medicum aduenisse: qui (Deum testor) non alio in te tuamq; salutem animo sum, quam quo esset erga patris sui salutem medicus. Quare si tibi inclemētius agere, si secare interdum animum tuum, si deniq; urere uidebor; putato me idcirco ita facere, quod aliam tibi salutis obtinēdæ rationem nullā uideo. Leuiora enim remedia uis morbi iam diu exclusit, ut hæc etiam quæ extrema tibi uidentur, aliorū omnium iudicio leuissima sint, qui se meam stultitiam mirari dicunt, q. in tam desperato morbo medicinæ faciendæ locum esse arbitrer. Sed charitas, stultitiæ infamiam non timet: quam diu spirat ægrotus, adduci nō potest, ut desperet. Et ego sane, quod ad me pertinet, non desinam omnia tētare. Sed quam uellem me iam hoc officio perfunctum, ut oratione mea, quasi ferro, in intima tua

Euseb. lib. i. ecclesiasticæ historiæ.

ii. Para. xxvi.

Author cum Rege tanquam medicus cū homine grauissime laborante agit.

ma tua uulnera penetrassem, saniem abstersissem, uitiosas partes
resecuissem, ut & tu cuius nunc de salute agitur; & ego etiã ipse,
qui non sine quodam animi horrore tãtam fœditatem aspicere,
& attrectare possum, molestia omni liberi essemus? At aliquãdo
tamen audendũ, & confirmandus animus. imo uero, quid est cau
sæ cur ego horream aut reformidem uulnera tua attrectare? quę
tu ita fers leuiter, ut non modo nullum dolorem sentias, sed iis
etiam, quæ ego homo simplex uulnera appello, tanquam sanitate
quadam gaudeas. quippe quæ a te ipso tibi inflicta, non casu nec
externa ui illata sint. Atq; hoc Princeps, hoc illud est, quod mihi
tam acerbũ dolorem facit, cum te animaduerto, primũ uim gra-
uissimi mali ac periculum non sentire; deinde etiam scientem ac
prudentem frustra dissuadentibus optimis & tibi sane fidelissi-
mis uiris, id omne contraxisse. Verum age, recognosce nũc me-
cum tua uulnera. An nõ graue est uulnus animo generoso omni
honore priuari, existimatione omni spoliari, cum præsertim qui
ante esset ueri honoris studiosissimus, & uero præter cæteros sui
ordinis clarissimus, qui uera gloria maxime floreret? Si hoc ne-
gari non potest; responde quæso Princeps, ecquis tuus hostis, ec
quis nominis tui & famæ inimicus fuit, cũ nemo possit negare,
quin magna olim & ingenii & uirtutis fama fueris, qui curauit
ut apud omnes christiani nominis gentes ac nationes, ubi publi
ca iurisconsultorũ ac Theologiam profitẽtium gymnasia sunt,
non a plebe imperita, sed ab iis qui doctrinæ opinione præstãt,
non temere aut casu congressis, sed more & instituto gymnasio-
rum, non aliter quam cum de consilii sententia statuere aliquid
uolũt, congregatis; ecquis (inquam) is nominis tui ac famæ ho
stis fuit, qui apud hos omnes egit, ut in uitam tuam uiginti an-
nos continuos non sine maxima gloria actam, tãta probra ac de
decora iacerentur, ut parum esse uideretur, si te dixissent totum
hoc tempus in stupro & adulterio traduxisse, nisi etiam adderẽt
nefario concubitu, & inexpiabili incęstu contaminatum pollu-
tumq; esse? neq; hoc solum dicerent, aut sic leuiter maledicti lo-
co proferrent, sed publicis monumentis ad memoriam rei sempi
ternam consignarent, ut per omnia gymnasia publica authorita
te incæstuosus pronuntiaretur? Quis hic hostis fuit? Sed hic cer-
to scio, tu excandesces, & me tecum contumeliosissime agere di-
ces, qui sic nude & aperte proferam ea quę ad ignominiam tuam
pertineant; quę uero ad honorem, ea reticeam; cum nullus maior
esse honos possit, q̃ te, quo legi Dei satisfaceres, tantam infamiæ

Rex gaudet suis vulneribus.

Rex summo studio curauit, vt per omnia gymnasia, publica authoritate incæstuosus pronunciaretur.

Obiectio. quod Rex tantum infamiæ spõte subierit quo legi Dei satisfaceret.

ac dedecoris sponte suscepisse:q̄ te simul atq; errorem tuū agno ueris, nulla famæ habita ratione, animæ continuo saluti consulu isse. Hoc te dicturum scio. & hic Princeps patientiam tuam ap- pello: nihil enim aliud nunc peto, nisi ut sedato animo auscultes, dum tibi ad hæc respondeo. Sciebam uidelicet te contra omnia, quæ de cōcepta tibi macula ac dedecore dici possent, legem Dei oppositurum; sed audi quæso patienter. Hoc nunc uteris ad de- fensionem, quod tuę omnis miseriæ caput est. Neq; enim tu, cum uxorem tuam repudiares, qua cum annos uiginti uixeras, id spe ctabas, quod te lex Dei prohiberet fratris tui turpitudinem re- uelare, quod uetaret eam abs te uxorē duci, quæ fratris tui uxor fuisset. Sed nimirum, cum aliam cuperes ducere, nec posses nisi hac eiecta; ne hoc temere, sed magna potius ratione facere uide- reris, iccirco ad legem Dei cōfugisti, ut quasi testem largitione, sic illam calumniosa interpretatione corrumperes, & ad suffra- gandum libidini tuæ adduceres. At uide quid acciderit. In quo tu contumeliosus in Dei legem fuisti, in eo permisit Deus ut te ipse tanto dedecore ac tanta contumelia afficeres, quanta nullus unquam hostis tuus, quantumuis callidus, & ad tibi nocendū at- tentus, etsi is dies ac noctes nihil aliud, q̄ de infamia tua cogi- tasset, afficere potuisset: tanta certe, quanta nullum adhuc pręter te Regem, cuius quidem memoria in literis extet, affectum esse meminimus. Sed hic iterum excandesces, & quidem, ut tibi per- suadebis, merito, q; dixi non te eo animo reliquisse priorem uxo rem, ut legi Dei parceres, sed ut potius per legis causam libidini tuæ satisfaceres. Nam qui me scire potuisse, quo animo id fece- ris? quem autem, nisi solum Deum animum tuum nosse? Etiam is Princeps, cui Deus uoluit reuelare nouit. Me autem eum esse dico cui Deus hac in re animum tuum aperuerit. Sed hic excla- mabis, o impudētiam & singularem arrogantiam. Tibi ut Deus cogitationes meas & intimos sensus patefecerit? At hic contine te paulisper. dico enim Deum mihi reuelasse; nec uero mihi uni plus quam reliquis omnibus, qui dare operam uoluerunt, ut cau sam cognoscerent. Id quod paulo post sic manifestum faciam, ut nulla ratione possit negari. Quanquam quid opus est ut me diui na usum reuelatione ostendam in eo cognoscendo, in quo ratio humana tam est perspicax? in quo tu ipse tam aperte animum tu um explicas? Quid enim? an non ipse prætefers, te nulla noua re- ligione oblata priorem tuam uxorem dimisisse, quasi lex prohi- beret eam retinere, cum annos totos uiginti illam habueris sine ullo

Responsio.

Leuit. xviii.

Quod Rex quum repudiaret uxorē, non studuerit Dei legi parere, sed Dei legem ad patrocinandū suæ libidini detorquere.

Mat. xi.

Rex annis uiginti reginam Caterinā sine ullo legis metu habuit.

ullo legis metu? si lex te mouit, cur tam sero mouit? an tibi illius non ueniebat in mentem? Ita credo, in uiginti annorũ spatio temporis satis non fuit ad cogitandum de lege. Quàm hic pro te faceret, si inde exclusus, dicere illud posses, te tamen nesciuisse ullum legis caput esse, quod tales nuptias uetaret: sed statim ut cognoueris, dedisse operam, ut obedires? At illa dispensatio tanto olim studio ac contentione a Pontifice quæsita, omnem hãc defensionem tibi præcidit: ignorationem legis excusare nõ potes. At enim, etsi sciebas legis mandatum, uim tamen grauitatemq; eius non noueras; nec quantum sceleris cõsciscerct, qui secus faceret, intelligebas. Verum hoc alius fortasse probabiliter diceret; tibi quidem hæc excusatio sic est a temetipso tibi præclusa, ut ad eam perfugere nõ possis. Tu enim cuiquam probabis, quã legem in animis hominum penitus insitam esse dicas, quam ita affirmes cum ipsa hominis natura congruere, ut si nullæ diuinæ literæ extarent, quibus ea perscripta esset, tacito tamen quodam naturæ sensu ab omnibus perciperet, eius legis uim uni tibi per annos uiginti totos potuisse non exploratissimam esse? te illius rationem non cognouisse? Age uero, adduci tu poteris, ut tam probrosa defensione utaris, qui tantum tibi arroges in illa abdita rerum diuinarum cognitione, ut iudex ac disceptator esse uelis, si quæ de abstrusissimis diuini iuris rebus controuersiæ existant? qui caput ecclesiæ esse haberiq; uis, fateberis te ante paucos annos, quam hæc nata est de matrimoniorum iure quęstio, legis naturæ uim quę in omniũ animis sine literis est exarata, perceptam non habuisse? hac tu defensione uteris? uides opinor, ut tibi undiq; pręclusa sit defensio, ne dicere possis, quia uolueris legi Dei satisfacere, uxorem te tuam iccirco reiecisse. Quid igitur, quid est, cur legis mẽtionem facias? Hoc quidem Princeps ipse nõ dices. nec sane mirum: cum ego etiam, qui a culpa absum, sine maximo pudore non possim tantum flagitii ac dedecoris enunciare. Sed dicẽdum tamen est. Misere scilicet ardebas homo hoc ætatis, & isto rerum usu, puellæ amore. illa porro alia conditione se tibi copiam sui facturam negabat, q̃ si uxorem tuam cuius in locum succedere cupiebat, reiecisses. Concubina enim tua fieri pudica mulier nolebat, uxor uolebat. didicerat, opinor, si nulla alia ex re, uel sororis suæ exemplo, quàm cito te concubinarum tuarum satietas caperet. Illa uero sororem uincere contendebat, in te amatore retinẽdo. grata enim mulier in eum a quo se tam ardenter amari uideret, indissolubili uinculo coniuncta tecum

Legis vis ac grauitas tot annis ignota Regi esse non potuit.

Rex cur diuinæ legis mẽtionem faciat.

esse cupiebat,tecum perpetuo manere cupiebat. In qua tu cupiditate sic illi mutuo respondebas, uel potius sic illam anteibas, ut in eo positam summam fortunarũ tuarum, & felicitatis cumulum putares,si exturbata de thalamo tuo legitima ac iusta uxore,hãc tibi matrimonio copulare,& cum ea perpetuo uitam agere liceret. Quid multa? Dici profecto non potest, non utriusque summam:& tuam tamen,q̃ illius maiorem multo cupiditatẽ fuisse. Illud igitur modo restabat,rationẽ inire,qua uestra hæc tanta & tam impotẽtia desideria expleretis. Id quod difficillimum sane uobis occurrebat. Nec enim facile factu uidebatur, uxorẽ tanta nobilitate,tãta etiam uirtute præditam, post tot annorum societatem,ex qua præsertim filiam tu iam adultam suscepisses, quæ sine ulla controuersia hæres regni esset,& Principis nomen ab incunabulis gesisset:ex thoro regio deiicere,unde illud accideret,ut omnia superioris omnis temporis acta permiscerentur, & regni etiam successio incerta fieret.Sed cõtra hæc omnia, nulla accõmodatior ratio uobis succurrebat, quam si tu diceres lege diuina te impediri,ne diutius eã retineres uxorem, cum qua tibi ius coniugii nullum initio fuisset.Hic enim de animæ salute agi, quæ tibi regno ipso & omni successione esset antiquior. Hæc speciosissima uidebat̃ ratio,cuiq; nihil omnino deesset præter fautores,qui eius defensionem susciperent, ac ualidis argumentis rem ita se habere confirmarent. Sed qui poterant deesse in tanta turba theologiam profitentium, qui multa sæpe absurdiora in scholis disputarent? res modo proponeretur, patronos desideratura nõ erat,quæ regẽ præsertim fautorẽ haberet. Ac ne diutius quærerent̃;in eo illa ipsa,cui tu gratificari cupiebas,anteuertere, & sibi prius gratificari uoluit. sacerdotes suos, graueis Theologos,quasi pignora promptæ uolũtatis misit,qui nõ modo tibi licere affirmarẽt uxorem dimittere, sed grauiter etiã peccare dicerent,quod punctũ ullum temporis eam retineres;ac nisi continuo repudiares,grauissimam Dei offensionem denunciarent. Hic primus totius fabulæ exorsus fuit. Sed contra opponebatur Pontificis authoritas,cuius permissu illam duxisses. quæ res siqua tibi ex legis præcepto religio iniecta esset,securũ esse iuberet. Nec enim tantam uim esse illius præcepti,ut non legitima ex causa remitti ac condonari potuisset;quemadmodum in multis sæpe affinitatis & consanguinitatis gradibus iure fieri soleret. Cum hic causa labare uideretur,ministri puellæ pro se quisq; illam suffulciunt. In hac re diuersas esse scriptorum sententias

tentias memorant, in quis doctos aliquot & celebres uiros affir mare, nullum pontifici ius esse concedendi, quod per diuinam le gem non liceat. Atque hic reuiuiscere causa cœpit, quam prope mentio de Pontificis dispensatione extinxerat. nec iam sine spe certa uictoriæ eratis, quod trahi ad disputationem posse uidere tur, ac recte queri, posset ne Pontifex ea in re dispẽsare. nec enim esse dubium, quin hæc in disputãtium scholas illata quæstio fau tores plurimos habitura esset, cum præsertim Regem iam plus quàm fautorem, & omni sua authoritate atq; opibus propugnan tem haberet. Nec te profecto opinio tua omnino fefellit, fauto res inuenturam esse causam, si ad scholas confugeret. Inuenit il la quidem nõnullos ex iis quos fames magis q̃ fama commoue ret: Sed non tam sane promptos quam uos sperauer atis, ut quæ initio una cum iis, qui ipsius patrocinium susceperãt, in ipso tuo regno ex omnibus scholis explosa sit, ipsis etiam defensoribus uario contumeliæ genere affectis. nec certe unquam publico ul lius gymnasii consensu, ubi cõsisteret, inuenisset, nisi eę, quę plus quam preces ualere solent apud multorum animos, minarum re fertæ regię literę ad scholarum Principes, quasi auxiliatrices co piæ summissæ, aciem iam inclinatam sustinuissent, ac de integro prælium restituissent. Quod si his copiis tibi domi pugnare ne cesse erat, nihil attinet me nũc dicere, quibus nam foris uterere, id est apud exterarum gẽtium scholas, ubi nec perinde minæ po terant ualere, & non minore tamen contentione certabatur. nam quis hoc etiam me tacente non intelligit? Sed reuertar ad ani mum tuum, de quo dicere cœperam, mihi a Deo reuelatum esse, te non ulla religione tam graue ac tam seriam diuinæ legis men tionem fecisse: sed potius legem ipsam tanquam falsum testem quæsitam esse ac subornatam, quæ pudendum animi tui affectũ tegeret, & facti turpitudinem ementito religionis nomine, quasi falso colore illito, occultaret, uel etiam honestaret. Sed quo id modo Deus mihi reuelauit? non per se quidem, ut multa persæpe multis, sed per illam ipsam adulteram, quam tu in uxoris cubile induxisti. illa inquam ipsa, quam tu reiecta legitima uxore, nũc tecum habes, animum tuum mihi totũ patefecit. Quomodo in quis? dicam equidem, si prius mihi ad ea, quæ te rogabo, respon deris. Si uxorem iccirco reliquisses: quia legẽ tibi persuasisses nefarium illud & abominandum matrimonium pronunciare: an non maxime operam dares, ne te iterum tali matrimonio conta minares? an nõ ab iis personis penitus abstineres, quæ in eadem

Regis causa ex scho lis Angliæ explosa fu it, donec minæ acce derent.

Ipsa adultera Regis affectum prodidit.

Rex Annam Bulle, nam licite ducere nõ potuit, cuius soror con cubina illi fuisset.

ac deteriore etiam quam prior uxor, causa essent? Aliter sane facere nō posses, si te aliquid legis ratio moueret: quin illos etiam odio haberes, qui tibi talis cuiuspiam matrimonii authores essent, aut omnino eius mentionem apud te facerent. Quid ea, quā tute tibi in repudiatæ locum consociasti, cuiusmodi tandem est? An non soror eius est, quam tu & uiolasti primum, & diu postea concubinæ loco apud te habuisti? illa ipsa est. Quomodo ergo nos doces, quam refugias ab illicitis matrimoniis? an tu hic legem ignorabas, quæ non minus profecto uetat, sororem te eius

I. Cor. vi.

ducere, cum qua ipse unū corpus factus sis, quam eius cum qua frater? si una detestanda est, altera etiam detestanda. An hanc legem nesciebas? At tu omnium optime noras. Verum quo pacto ego hoc scio? Quia eodem tempore quo pontificis dispensationem de uxore fratris ducenda reiecisti, ab eodem pontifice, magna ui contendebas, ut tibi liceret ducere sororem eius, quæ concubina tua fuisset; idq; ita impetrasti, si ante constitisset non habuisse ius Pontificem priore illa in causa dispensandi.

Rex a Romano Pontifice impetrauit, vt sororem cōcubinæ suæ ducere sibi liceret.

An nō igitur hæc ipsa, quam nunc habes pro uxore, quæ tua mens fuerit, planissime ostendit? an non per eius personā, ea tacente, Deus omnibus certū facit, te quo libidini tuæ obsequereris, non ut Dei mandato obtemperares, legis mentionem fecisse? Sed est aliud quod adhuc magis animū tuum notum faciat. Hec enim de uxore fratris, multo est leuior causa. cur ita? Quia etsi uxor eius fuit in facie atq; oculis ecclesiæ ducta, cuius turpitudinem lex uetat te reuelare: uirgo tamen ad te peruenit; sed huius, quam nunc habes, sororem non opinor te dicturum uirginem a te esse relictam,

Caterina virgo fuit, quum Regi Henrico nuberet.

ut iam quæ lex contra priorem uxorem facere uidebatur, ea nihil faciat, si ipsam cōstet a tuo fratre īctā fuisse. Illa enim lex cum turpitudinem fratris reuelare uetat, significat locum habere mandatum, ubi corporum coniunctio fuerit. itaq; per nomē reuelandæ turpitudinis fratris, eam duci uxoré prohibet. Atqui ubi nulla corporum coniunctio, ibi nulla est fratris turpitudo, quæ reuelari possit. hic legis interdictum locum non habet. At in eam, cuius sororem te constat uiolasse, quam maxime profecto ualet.

Leuit. xviii.
Reuelare turpitudinem fratris quid sit.

Sed qua ratione scire potui uirginem a te ductam esse fratris tui uxorem? an hoc etiam Deus mihi reuelauit? Quid hic opus est Dei reuelatione? an nō hoc satis persuadet ætas fratris, qui annos quatuordecim natus, excessit e uita? non corporis imbecillitas, qua illum fuisse constat, satis probat? non deniq; satis est ad fidem faciendam, quod sanctissima fœmina id sanctissime

Arturus princeps imbecillo corpore fuit, & annos natus quatuordecim excessit e vita.

adiurat?

adiurat? sed tu illi uidelicet nō credis. Tibi autem Princeps ipsi an credis? si credis, tu ipse hoc fassus es, uirginem te accepisse; & Cæsari fassus es, cui minime expediebat, si tum de diuortio cogitares, hoc fateri. Sed eo tempore nimirum dixisti, cum nondum tam turpis facinoris tibi in mentem uenerat, ut uxorem tuā, Cæsaris amitam reiiceres, quod ille certe obliuisci non poteſt. Sed an non Deus nunc satis indicat omnibus animum tuum, qui omnem honesti excusationem tibi præripuit? qui cum hāc solam haberes, quod lex prohiberet te uxorem fratris ducere, quo huius simulationis latebras aperiret, te permisit in ea muliere ducēda offendere, contra cuius personam legis sententia apertior esset, q̄ ut excusationem ullam admitteret; cum alteram uirginitas a legis censura prorsus excluderet: ut omnibus manifestum sit, minime omnium ueram esse, quam prætereferas dimittendæ uxoris causam te habuisse, eoq; magis, ꝙ qui huius tam iniusti (ut modo ostendi) coniugii authores tibi adiutoresq; extiterunt, illos nunc solos in amoribus ac delitiis habeas, hos præmiis afficias, qui cōtra aduersantur, inimicorum & hostium loco omnes habeas. At Deus Princeps, Deus non irridetur, sed qui conātur Deo & eius legi illudere, sibi maxime ipsi illudunt. Id quod si alias unquam, nunc certe clarissimo in te exemplo agnoscimus. Postq̄ enim in animum induxisti simulatione legis diuinæ, quā eandem naturæ legem esse diceres, ac te plurimum uereri fingeres; legitimam uxorem repudiare: ita te Deus in reliquis labi & errare passus est, ut ex eo tempore nihil pene ordine ac præscripto naturæ faceres, sed quæcunq; facere in hac causa conareris, omnia manifeste contra naturæ legem essent. Ac primum in eo ipso, quod modo retuli, cum sic author tuæ infamiæ esses; cum legatos ad omnes prouincias mitteres, ubi literarum gymnasia esse scires, ut præclarum hunc honoris titulū referrent, te non scortatorem, aut adulterum, sed incæstuosum contra legem naturæ per uiginti annos fuisse: potuit ne aliquid magis contra naturā accidere, q̄ ut quispiam tāto studio, tantis suis sumptibus, quantos tu fecisti hac una de causa, perpetuæ turpitudinis notam sibi & labem imponendam curaret, pro qua, si casu aliquo contracta esset, eluenda, generosissimo quisq; animo libenter mortem oppeteret? Quale uero genus ipsius legationis fuit? quām cum naturæ lege consonans? huiusmodi plane, quod inimicis tuis omnibus risum simul, ac lætitiam, amicis autem nihil præter mœrorē & gemitus afferret. Talem tu quidem legationem uel ad arma

Rex Carolo Cæsar fassus est, se Caterinam virginem accepisse.

Gal. vi.

Rex Henricus postquam legi Dei illudere conatus est, omnia fere contra naturæ ordinem ac præscriptum fecit.

De legationibus quas Rex Henri. ad Principes, & gymnasia misit.

tum hostem mittere potuisses; & quo crudelior is esset, quo maioribus in te inimicitiis incensus, hoc libentius tuam illam legationem accepisset; ac mandata promptius confecisset. quæ enim mandata tua fuerunt, nisi ut quam plurima suffragia hominum literatorum corrogarent, quæ testarētur dedecus tuæ prioris uitæ, totam adolescentiam & iuuentutē incæstuoso concubitu pollutam, ac contaminatam fuisse, contra omne diuinum & humanum ius, imo infra etiam belluarum uitam, quæ tamen naturæ legi obtemperarent? quid horum non libēter audiuisset hostis, maxime si fuisset in te animo imani & efferato? Quàm prompte tibi morem gessisset, si eodem modo apud eum, ut apud alios Principes amicos tuos fecisti, egisses? cum quidem oratoribus tuis mandata dares, quo testatior res esset, ne tam præclari tituli memoria unquam interiret, peterent ut publicis etiam monumētis conscriberetur, neq; enim priuatorum tibi ac singulorum hominum suffragia satis esse; tabulis publicis opus esse, signis gymnasiorum obsignatis. nihil profecto horum non prolixe tibi concessisset hostis, præsertim si esset, ut dixi, animo in te crudeli & implacabili. Sed nunc si hostis, & hostis crudelis tam libēter & tam cupide hæc tibi concessisset, quo animi dolore amici, qua commiseratione tum hæc accipiebant? Ad illos enim non simulate, ut ego nunc de hoste tuo fingo, sed uere hanc legationem misisti, certis adeo cum mandatis ac literis, quibus hoc ab illis in maximi beneficii loco petebas, ut ita dedecori fauerent tuo, ut quoscunq; apud se haberent homines doctos, qui dedecus prioris tuæ uitæ aliqua ratione comprobare possent, id eos libere facere, & scriptis etiam mandare paterentur. Quæ cum a Principibus magnis uiris extra regnum tuum, quasi in theatro totius orbis contēdere non pudebat, quo pacto te interea domi gerebas? ut omnes omnibus uiis tentabas, qui aliqua doctrinæ & literarum opinione essent, ne infamiam tuam occultam esse paterent? cum quibus tamen plus tibi negotii fuit, quam cum exteris. Nā quo te magis ac uerius, q̄ exteri, amabant; eo etiam magis tibi aduersabantur, maioremq; animo dolorem capiebant, hęc a se officia requiri, quæ sine magno suo scelere tibi concedere non possent. quo in numero me fuisse uerissime possum dicere, qui (deū testor) nihil unquā in uita mihi accidisse meminerim acerbius, q̄ esse ad me Lutetiæ Parisiorum tum agentem, delatam mandato tuo præclaram illam legationem, cum eo maxime consilio illuc secessissem, ne ulla ratione particeps fierem eorum consiliorum,

Author delatam sibi a Rege legationem recusauit.

rum, quæ domi tuæ contra te ipsum, te ipso authore ac principe agitabantur. quæ quidē extra regnum proditura non existimaram. ad me tamen tum illic agentem, literæ tuæ & mandata uenerunt, ut cum Parisiensibus causam tuam agerem. quo quidē tempore memini me, ut primum potuerim per acceptum inopinato illo nuncio dolorem, tibi rescribere, (nam mihi ad aliquod tempus non uocem solum, sed pene etiam cogitationem omnem dolor eripuerat) imperitiam meam excusasse, & te rogasse, ut alterum magis in eo genere exercitatum mitteres. id quod statim fecisti; ac ni fecisses, nullum profecto mortis genus non mihi leuius illo munere fuisset. quod nunquam plane in me recepi, personam tamen ad tempus mihi imponi passus sum, dum alter adesset, cui totum negotium, cuius me imperitum esse dixeram, commisisses. Et eram plane imperitissimus; non ego quidem ut non nossem causæ æquitatem: sed illam quo magis noram, eo minus me aptum intelligebam ad rem ex uoluntate tua gerendam. Verum iā in omnes prouincias dimissi erāt oratores tui, ad omneis Principes, ad omnia gymnasia: a quibus tu tanquam ab Apostolis euangelia expectabas. Et quænam erant illa? ut quisq; contumeliosissime aliquid dictum in te retulisset, uel scriptum etiā famosissimum attulisset, ita tibi erat maximus euangelista. Siquis dixisset priorem tuam uitam probrosam, abominandam, contra ipsam naturæ legem actam esse, hic habebatur euangelista maximus, hic dignus quantouis episcopatu. Nec uero satis tibi erant illa probra, quæ in Iulium Cæsarem, cum triumphans in urbem inueheretur licentia militari iacta memorantur, Mœchum caluū adducimus; sed ad illa tui præclari milites addebant, incæstuosum adducimus. De hoc elogio ita tibi applaudebas, ut ultro omnibus ostentares contumeliosissimas in te literas, non secus ac si ab exercitu aliquo tuo illas accepisses, quem ad debellandam Asiam misisses, a quo post egregiam aliquam ab legatis tuis partam uictoriam Asiaticus salutareris. Ita tu, uidelicet, post expugnatam famam tuam, quasi de honore tuo profligato triumphū agens, cū maxime incæstuosus appellabare, tum maxime tibi inter tuos gratulabaris. O rem bonis omnibus luctuosam, uni autem Sathanæ iucundam, cui nemo hæc audiēs, non te a Deo deditum esse putet. cui te propterea sinebat ludibrio esse, quod sic diuinæ legi illuseras. Iam tum profecto locum in te & in Sathana prophetia habuit, & erunt Tyrāni ridiculi eius. Quo animo putas eos, qui uere honori tuo fauebāt, hęc accepisse? nempe eo-

Rex per legatos suos enixe curauit, ut uita sua anteacta turpissima ac probrosissima uideretur.

Rex incestuosi uocabulo ceu honorifico titulo gaudebat.

Abac.i.

dem, quo ego hæc nunc scribo, qui post tot consecuta facinora, propter quæ nemo iam lachrymis dignum te existimat, sed omnium indignatione, uix præ lachrymis scribere possum; maxime cum recordor quantam olim spem adolescens omnibus dedisti, non modo tuæ unius felicitatis, sed omnium, qui quoquo modo ad regnum tuum pertinebant. omnes per te felicem quādam uitam sibi proponebant, aurea quædam sæcula te Rege expectabant. Quid enim non promittebant præclaræ illæ uirtutes, quæ primis annis principatus tui in te maxime elucebant? in quibus primum pietas, quæ una omnium aliarum, & totius humanæ felicitatis quasi fundamentum est, se proferebat, cui adiunctæ erāt, quæ maxime in oculis hominum eminere solent, Iustitia, Clemētia, Liberalitas, Prudentia deniq; tanta quanta in illa tenera ætate esse potuit. His omnibus tanquam custos a natura datus accedebat ingenuus quidam pudor; qui cum mirifice illam ætatē ornabat, tum uero uirtutes iam præsentes conseruabat, & de futura tua felicitate omniū animos spe prope certa confirmabat, atq; hæc quidem indolis tuæ propria uidebātur. Foris autem patris sapientissimi cura, literę addebantur, quasi riuuli quidam in hortum bene consitum deriuati, quibus tanquam aquis ipsę illæ tuę uirtutes irrigatæ, melius crescere, & magis se diffunderē in ramos possent. In summa, ut dicit Ezechiel de Rege Assyriorum, in paradiso Dei cedrus te pulchrior non inueniebatur, quæ ita late ramos diffunderet, cuius & in frondibus uolucres cæli tuto nidos facere, & in umbra omnes bestiæ agri fœtus edere suos possent. Plane ex omnibus Principibus ęqualibus tuis, nemo felicior putabatur; sub quo qui uiuebant, cuiuscūq; ii conditionis atq; ordinis essent, securissimam sibi uitam omnes pollicebant. Sed adhuc maximum illud pignus publicæ, quæ te rege, futura sperabatur, tranquillitatis non protuli, quo quidem ex iis dumtaxat, quæ extrinsecus aduenire solent, nullum maius a Deo tibi dari potuit. Hoc uero fuit, q; omneis seditionis causas in te uno extinxerat. siqua antea de regni iure controuersia reliqua erat, siqui tituli, ex quibus seditio oriri posset, ii omnes sic in te coniūcti erant, ut nemo nō optimo iure, te regē, esse diceret, nullę iā partes supererant, oēs omnium tituli in te uno cōglutinati uidebantur. Quo Dei beneficio non magis in te q̄ in uniuersum regnum tuum collato, ita uniuersus populus gaudebat, ut nulla unquam re magis. Quod eo gratius omnibus erat, q; recordabātur ante te regem ita seditionibus regnum diuexatum esse ob

Virtutes quæ in Regis adolescentia relucebant, omnia summa pollicebantur.

Pietas.

Pudor ingenuus.

Literatura.

Ezech iii.

Summa tranquillitas in Anglia quum Henricus. viii. regnare cœpit.

huiusmodi

huiusmodi factionū titulos, ut per annos fere quadraginta semper aut in bello ciuili, aut in maximo belli metu uersati essent, cum de regni iure Principes contenderent, nobilitas autē se ipsa & plebem una multis præliis consumeret. Quare extitisse aliquando tandem unum, in quo omniū animi consentirent, in quo Deus omnium seditionum causas præcidisset, in quo omnes factionum titulos coniunxisset, nemo non poterat non uehementer gaudere. nullus unquā gratior nuntius regno afferri, nullū gratius spectaculum Britanniæ uniuersæ contingere potuit. Quem cum uidebant, securitatem se suam uidere arbitrabantur; qui cum tot dotes animi & corporis simul coniunctas præseferret, securitatem in multos annos, & quasi felicitatem perpetuam ac stabilem omnibus, quibus imperaturus esset, promittebat. Quam quidem felicitatem, nullus erat præsens, nec domi nec foris hostis qui interrūpere aut impedire posse uideretur. fore uero aliquem nemo suspicari poterat. capita omnium partium erāt sublata, summus in te ac tuam posteritatem erat omnium consensus. Hæredem porro regni uidebant, ex nobilissima coniuge susceptam dignam parētibus filiam, cui ex toto orbe quem uelles uirum deligere generum posses, ingrauescentis tuæ ætatis solatium, & certam successionis spem; per quem in eadem tranquillitate regnum conseruaretur; teq; omnes ita facturum sperabant, nec sane erat causa cur dubitare possent. Nam cui unquā in mentem uenisset, hūc pulcherrimum & firmissimum nodum, cum hostes deessent qui soluerent, te ipsum tibi abrupturū, te ipsum authorem disturbandę tranquillitatis regni tui futurum, tuam ipsius filiam tuis manibus de regni hæreditate deiecturum? Quę tu omnia, ut post ostendam, ipse fecisti. Sed nunc hoc solum agamus. enumeremus, quæ in te beneficia Deus contulerat; quem omnibus & corporis & animi bonis q̄ cumulatissime ornauisset, cui opulentissimum regnum dedisset, ad quem amandum omniū animos tum propter uirtutes tuas, tum etiam ob certissimam suę felicitatis spem, conuertisset. An non hoc idem tibi dicere potuit, Quod dilecto Israel dixit? Quid facere debui uineæ meæ, & non feci? & expectaui, ut faceret uuas, & fecit labruscas; expectaui ut faceret iudicium, & ecce iniquitas: iustitiā, & ecce clamor. An non merito hæc Prophetę uerba in te conueniunt? Sed audi, quid adhuc Propheta in persona Dei ad eandem uineam dicat. Et nunc ostendam uobis, quid faciam uineæ meæ, auferam sepē eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in con

Ante Hēricum. viii. Anglia seditionibus & intestinis bellis uexabatur.

Maria Henrici. viii. & Caterinæ filia.

Beneficia Dei in Hēricum. viii.

Esa. v.

culcationem: & ponam eam desertam: non putabitur, & non fo-
„ dietur, & ascendent super eam uepres & spinæ, & nubibus man-
„ dabo ne pluant super eam imbrē. Audis ne Princeps minas Dei?
„ audis ne uerba uindictæ in talem uineam, qualem te fecit? agno-
scis ne hæc omnia in te euenisse, quæ Israeli legem suam relin-
quēti est comminatus? Nihil sane interest, nisi quod eas pœnas, quas se sumpturum minatur, tu ipse tuis manibus de te sumpsisti; tu ipse sæpem regni tui abstulisti, maceriam diruisti, spinis & uepribus referisti: tu ipse ne amputarent quæ in te uitiosa erāt, omni ratione curauisti; tu ipse deniq; te a rore cæli subtraxisti, ne super te stillare posset. Sed loquimur ne ænigmata? an hæc omnium oculis non patent? Quæ tandem maior ac certior spes totius regni tui, & tuæ priuatim securitatis, q̄ concordia ciuium de te & tua successione? Quis hanc tollere conatus est præter te? Quid nam aliud per hosce tres annos egisti, cum tuā famam omni dedecori subiiceres; quo omnes tui conatus spectarunt, nisi ut unicam filiam per annos pene uiginti pro uera hærede ab omnibus sine ulla controuersia habitam, hæreditate regni priuares, spuriam declarares? At qualem filiam, Deum immortalem? talem plane, ut sit nemo eorum qui nunc uiuunt Principū ac Regum, qui non illam sibi uxorem optaret. O naturæ parentis leges; talem ne filiam pater, quam præsertim unicam habeat, sibi succedere non uult, scorti filiam uult? O patrem tuum regem, in reliquis fortasse nimis prudētem, dum quę obstatura tibi suspicaretur, ne sibi succederes, nimis anxie tolleret; in hoc non perinde cautum; q̄ nō etiam illud prouiderit, ne tute ipse liberis tuis impedimento esse posses. Sed qui potuit prouidere? An non satis naturæ lege prouisum putaret? Quis unquam, qui non communem humanitatis sensum exuisset, suspicaretur fore, ut quisquam pater in filiam hostis parteis susciperet, & regni eam successione priuaret? O si nūc Rex pater tuus reuiuisceret, & me uideret sororis filium eius, quem ipse etsi omnium innocentissimū, ut omnes norunt, tamen quod nimium propinquus uidebatur regio nomini, ex quo postea impedimenta successioni suæ exoriri possent, tollendum e uita curauit; si ille inquam reuiuisceret, & me uideret natum ex ea domo, unde ipse impedimenta uerebat; posteritatem suam defendere, quam tu filius oppugnares: quale hoc illi monstrum uideretur? Quām nūc aperte cognosceret humanam prudentiam parum ipsam per se ualere ad omnia impedimenta tollenda perpetuandæ successionis? Nulla enim certe res

Henricus. viii. suam successionē tollere conatus est.

Henricus. vii. Illustrissimæ dñæ Margaritæ Comitissæ Sarisburiensis fratrem, Cardinalis auū [illegible] interfecit, ne posteritati ipsius obesse posset.

Humana prudentia non potest omnia prospicere.

illum

illum ad cædem auunculi mei impulit, qui omnium consensu tota uita innocentissimus habitus erat, & ut scriptura solet dicere, tanq̃ infans unius anni, nisi quod, cum ille regis Edoardi fratris filius esset, & solus in illa stirpe mas relictus, prospiciebat, quã facile eius causa nouæ de iure regni seditiones, contra suam domum existere possent; quemadmodum quidẽ aliquas ipse dum uiueret, expertus erat, cum populus maioris mei auunculi causa semel atq; iterũ in armis fuisset, & sæpe tumultuari soleret. Hoc ergo sublato, existimabat posse se & suos hæredes secure agere, ac sine ullo metu regnare; impedimenta omnia esse sublata; perinde quasi in regnorum successione nullas partes Dei prouidentia obtineret, prudentia humana omnia faceret. Quam uero secus illi euenit, atq; ipse sua tanta prudentia prospexerat? unde is maximum periculũ suis timuerat, nihil hinc periculi, sed defensionis potius multum existit; unde autem omnia tuta fore putabat, illinc summum ipsi, id est eius domui, periculum creat. De suo enim filio, ne ipse se se, (quod sane in maxima Dei uindicta est ponendum) & successionem suam oppugnaret, suspicari certe nõ potuit. At rursus familiam nostram maxime suspectam habuit. Ecce aũt, ex eadem ego familia profectus, sororis inquam filius eius, quem ipse liberis suis impedimento fore ad sibi succedendum suspicatus occidit, neptem eius aduersus filii oppugnationem defendo, cui potissimum cæde illa consulere uoluit. Nam quid ego nunc ago Princeps? quid aliud, nisi legitimę tuæ filiæ successionem defendo? illam ipsam successionem ego defendo, quam ut perpetuaret pater tuus, tot damna dedit, tot & tam grauia uulnera familiæ nostræ intulit: & quidem tum periculo etiam capitis ac fortunarum omnium defendo. O nouum & ad hanc diem inauditum certaminis genus. alienus, quid alienus? imo in ea familia natus a qua omnia hostilia timebantur, contra patrem ius filię defendo, nihil memor iniuriarum quas nostra familia hanc ipsam ob successionem accepit; sed memor legis diuinæ, & humanæ, quę hanc nunc successionem confirmauit. memor concordiæ ciuium, quam tu quasi egregiũ quoddam, nobis quidem publice datum, sed apud te depositũ Dei munus, patriæ reddere deberes, nunc interuertere omnibus modis laboras; & proinde in maiores q̃ ullas adhuc fuisse meminimus, seditionũ tempestates, regnum quod pacatissimum accepisti, conicere paras. Sublato enim iure filiæ tuæ, cuius nunc causam defendo, quis non uidet, quantæ seditionum procellæ excitentur? Si enim pu-

Author ius filiæ aduersus patrem defendit.

Rex Henricus regnum Angliæ, quod pacatissimũ accepit, in maximas seditionum tẽpestates coniicit.

tas posse scorti filiam regnare, in tanto familiarum nobilissimarum numero, longe tu quidē a patris prudētia distas. Nisi enim ut ille unum, quia obstare uidebatur, occidit; sic tu omnem nobilitatem tollendam curaueris; nemo est qui non iustiorem se causam ad regnādum, q̄ meretricis filiam habiturum existimet. Sed tu quantum in te est, omnes ad mutuam cædem armas, cum certam illam successionem tollis, in quam omnes omnium ordinum homines præter te nunc parentem, mirifice conspirant. illa enim sublata, quis erit quietus eorum, qui aliquam iuris speciē ad inuadendum regnum habebunt? quot autem erunt, qui habebunt? tot profecto, ut mihi uidear, si tu hoc modo non constitutis melius tuis rebus e uita decedas, uidere illam de Cadmo fabulam factam historiam: quem ferunt occiso serpente, eius dentes quasi semen aliquod terræ mandasse, unde enati homines armati, se se mutuis ictibus repente confecerint. Ita tu quasi nouus iam, non fictus & adumbratus, sed uerus Cadmus, causas & argumēta ueteris illius seditionis, quam initio principatus tui penitus extinxeras, tanquam dentes occisi abs te serpentis, nunc seris, ex quibus postea exoriatur, qui intestinis odiis armati mutuis sese cladibus & regnum una conficiant. Hoccine tu beneficium, Princeps pacificus, a quo omnes aurea pacis sæcula expectabant, posteris tuis relinques? Sed quid dico relinques? qui grauiorem iam, & multo sæuiorem excitaris seditionem q̄ ea fuit, qua se populus per te liberatum gaudebat; cum ante te Regem continuis cladibus intra regni fines quasi in suis uisceribus uexatus, & utracunq; pars uicisset, semper uictus in summa perpetuo miseria uixisset. Sed nec illæ seditiones cum hac, quam tu nunc conflauisti, sunt cōparandæ. quin multo miserior conditio nobis impendet, ex hac per te excitata seditione, quam ex ulla alia possit existere. Quàm enim pestifera est hæc de religione dissensio, quam in omnium animis serere non desinis, dum a ueteribus eos institutis ac ritibus abducis; & incertū facis, cui potissimum in tanta opinionum uarietate assentiantur, cuius iudicio stent, cui obediant; dum ecclesiæ consuetudinem pro nihilo habes; dum quē ecclesia pro supremo iudice ad omneis quæ in religione existant, controuersias decidendas semper agnouit, eum non modo nō admittis, sed in illum omne genus conuitiorum iacis? Quanta hinc pestiferæ seditionis moles nobis impendet, q̧ indubium reuocas, cui quis obediat, cui credat, cuius uerba audiat? q̧ ecclesiæ Dei, quæ spiritu sancto regitur, quæ nec falli potest, nec fallere,

Cadmi fabula.

Dissensio de religione est longe perniciosior, quam quæuis alia seditio.

lere,causæ cognitionem eripis,& singulorum hominum opinioni dicam,an opinãdi potius libidini ac temeritati permittis,quę sæpius fallitur,quã uere iudicet,& nũquam non est parata quod sibi semel uisum sit,id omni ratione defendere? Quam grauis ea contentio existet,dum nõ ut de rebus externis fit,exercitus contra exercitum,gens conrra gentem,sed singuli in singulos,quo suam quisq; opinionem defendat,bellum gerent: nec inter se magis,q̃ in Deum pugnabunt,ab ecclesia desciscentes,cuius partes nunquam certe Deus deseret?hoc,hoc bellum est animorũ,multo quidem crudelius ac perniciosius,quam illud corporũ,quod tu iam concitasti:prorsus,ut si antea claustra regni tui,& ut loquitur Propheta,sæpem uineæ tuæ tollere uidebaris,cum incertam successionem faceres:nunc hostes in eam induxeris,cum ea, quæ sicut uerissima sunt,ita etiam certissima esse debent,fidei nostræ dogmata,incerta fecisti:& illis quantum in te fuit,corpora atq; animas tuorum in prædam ac direptionem prodideris. Atq; ob hæc tanta in tuos beneficia,nouos honorum titulos ab iis postulas,quo magis hoc etiam modo diuinæ iræ obnoxios facias: petis ut te appellent caput ecclesię,nec solum modo caput,sed supremum caput ecclesiæ : Qui unus plus q̃ reliqui omnes qui ante te in ista insula post Christi fidem acceptam regnarunt,ecclesiam diripuisti,spoliasti,crudelissimis modis uexasti.ob hæc merita non caput,sed supremum caput ecclesiæ appellari uis,& hũc honoris titulum tibi omnium ordinum consensu delatum esse contendis. At ego,qui,dum hæc statuerentur,non adfui,constantissime affirmo,nullum ordinem in hunc tuum honoris titulum consensisse. Ego ipse & nobilitatem & populum, hac tanta grauissimi suscepti sceleris infamia,libero. Dico si ulla omnino suffragia habuisti,ea ab inuitis expressa & extorta esse:eoq; nõ fuisse hunc nouum honorem cuiusq̃ uolũtate, ne dum omnium ordinum consensu tibi delatum. Sed quo modo, qui non interfui, hæc scire possum? Equidem non solũ non interfui,sed ne ab alio quidem qui ipse interfuisset,accepi,qua uoluntate,quo consensu hoc tibi tributum sit;& tamen affirmare audeo,me id scire, quia certiora indicia habeo,quam sint uel oculorum,uel aurium testimonia,quæ mihi totam rem ut gesta sit declarẽt.quæ indicia falsa esse non possunt.in primis illa me naturę quasi regula mouet, quæ nunquam fallit;nunquam solere homines sua sponte nouos honoris titulos eis dare,a quibus cũ summa beneficia expectarent,non modo nulla benigne facta,sed malefacta potius multa

,, Esa.v.

Rex certissima fidei nostræ dogmata incerta fecit.

Rex qui ecclesiã spoliarit,ac crudelissima vexauerit,supremum ecclesiæ caput dici vult.

quod ille honoris titulus non fuerit Regi. elatus consensu omniũ ordinum,vt ipse videri vult.

Non solent homines pro maximis iniuriis, & plurimis malefactis nouos honoris titulos dare.

acceperint. Nunc an ulla abs te beneficia expectarentur, nihil attinet quærere, cum sit nemo, quin hoc eum uultu atq; oculis, tum uoce etiam & sermone significet. An uero pro beneficiis multa quisq; incommoda perpessus sit, non est q; tu hac de re populum interroges, qui propter metum dissimularet: sed si in illorum cogitationes penetrare uis, atq; ibi ueritatẽ ipsam cernere, & quis cuiusq; sensus sit, penitus nosse, nõ illos aspice, sed ea potius, quę ipse his annis uiginti fecisti, a primo statim regni tui ingressu ad illum diem, quo hũc titulum sumpsisti: hæc tu interroga, quæ mentiri non possunt; quæ excussa, uere omnia & aperte proferẽt. Et quid obsecro dicent? Quod ad beneficia attinet, tacent; quæ enim non habent, dicere non possunt. At uero, regis patris tui, a quo minus expectabantur, ut quem sæpe Britanni seditionibus irritauissent, & in quem nullam unquam beneuolentiæ, quam tibi maximam semper præstiterunt, significationem ostendissent: tamen beneficia quædam plane regia extant, qui uias aliquot publicas suis impensis sternendas curauerit, diuersoria recipiendis pauperibus magno sumptu extruxerit, Monasteria erexerit. Nunc uero, qui de tuis beneficiis loqui uolunt, cum uoluptarias nescio quot domos a te exædificatas dixerunt, de reliquis rogati, sileant, aut fingant necesse est. publica enim opera tua nulla sunt, nulla plane, nisi forte multa a te monasteria euersa, & prædia ab ecclesia alienata, atq; in tuum fiscum cõuersa, in operibus tuis numerare uolumus. nam huiusmodi quidem multa ostendi possunt. At enim nulla tu noua onera tuis imposuisti, nullæ abs te acerbiores pecuniarum exactiones factæ sunt, q̃ quæ a maioribus tuis institutæ fuerant: hæc tua beneficia sunt. Fac ita esse, at tamen non solet populus nouos honoris titulos uolũtate sua dare, nisi ob aliqua egregie præter cæteros facta. si nihil nocuisses, si illis grauis non fuisses, tamẽ hæc satis idonea causa non esset; cur illi extraordinarios tibi honores præ cæteris omnibus, qui ante te regnarũt, darent, nisi etiam præter cæterorum Principum merita tua beneficia eminerent. Tum enim demum causa idonea uideretur, quare id facerent. Quid si tu plus aliis omnibus grauis fuisti? quid si acerbius tu unus, q̃ omnes alii, imperasti? potest ne adhuc dubitari, utrum populus sua spõte summum & nulli unquam Regi tributum honorem tibi detulerit, an potius mœrens & ingemiscens, cũ aliud facere non posset, sibi a te eripi passus sit? Equidem me memini interesse, cum haberet ratio omnium, quæ uectigalium, & pecuniarum imperatarum nomine, maiores

Henrici. vii. nonnulla regia beneficia in Anglia extãt, at Henrici. viii. nulla.

Pater Ptochodochia, & Monasteria extruxit, filius diripit, ac diruit.

Præclari tituli præclaris meritis debent.

De grauissimis oneribus populo a rege impositis, & de pecuniis sæpissime exactis.

iores

iores tui Reges post quingẽtesimum abhinc annum suo quisq; tempore exegissent. hanc autem rationem habebant ii, qui cum harum rerum peritissimi erant, tum publicas etiam tabulas, in quas hæc omnia referri ac perscribi suo quidq; nomine mos est, diligenter inspexerant. Cum igitur ea omnia in unam summam subduxissent, & cum iis quæ tu uiginti sex annorum spatio tum a populo, tum etiam a clero exegisti, contulissent, reperiebant, multo te plus exegisse hoc breui regni tui tempore, quam quantam omnes illi multis ætatibus exegissent. Quid igitur? quas tu nobis causas affers tantæ omnium ordinum erga te beneuolentiæ, tanto studio, tanta animorum cõsensione, quantam iactas declaratæ? At enim difficillimis & periculosissimis tẽporibus eos conseruasti. Sed rogo Princeps, quis eos inuasit? quis oppugnauit? contra quem defendisti? qui nunquam hostem habuisti, nisi quem ultro lacessisti; etsi quod bellum habuisti, paucorum id mẽsium spatio cõfecisti. Tanti uero thesauri, & bello, & paci, in plurimos annos suppeditare sumptus poterant, & abunde sufficere, cum maiores tui pro patria præclara sæpe bella gesserint, qui ne millesimam quidem illorum partem a suis exegissent. cum tu ergo hoc modo populum tractaueris, possum ne de eorum animis dubitare in nouo honore tibi quærendo ac deferendo? Quid nobiles? qua mente eos fuisse putandum est? quos cum tu sic ad omnia obsequentes habueris ac fideles, ut erga nullum Regem, cuius memoria in nostris historiis extet, maius obsequendi studium, maior ue fidelitas memoretur: sic tamen semper tractauisti, ut nullius prĩcipatu minore in honore fuerint; in quos, siquid leuiter deliquissent, acerbissimus fuisti: nihil unquam cuiquam condonasti, omnes despicatui habuisti; nullnm apud te honoris aut gratiæ locum obtinere passus es; cum interea semper alienissimos homines ex infima plebe assumptos circum te habueris, quibus summa omnia deferres. Quid igitur? cũ ordo tãtum cleri restet, de quo ut a te tractatus sit, prius dixi: uis ne ut conuocemus hos ordines, qui nouo aliquo genere honoris excogitato te exornent: uel potius, cum iam conuocati exornauerint, ab iis quo animo id fecerint, quasi dubium exquiramus? Quod si ideo te effers, quia hos omnes adegisti, ut tibi contra suam uoluntatem nouos honores, qui nulli unquã ante te Regi tributi essent, decernerent: quantum tyrannum tuo ipsius testimonio te facis, qui sic omnes tuos metu oppressos teneas, ut cõtra animi sui sententiam, tam inusitatum honorem tibi ita de se merito decreue-

Henricus. viii. erga Proceres regni sui inclementissimus, ac iniquissimus.

Cromeuuellum ita nunc habet.

Angli inuiti & metu coacti, patiũtur illum falsum titulum a Rege vsurpari.

rint? uerum excutiamus adhuc paulisper tuum istum honoris titulum. fieri enim potest, ut aliquid in eo insit, quod prima specie non appareat, ob quod illi, ut tibi eum libenter concederent, adduci potuerint. Quid ergo? quid decreuerunt? te esse supremum caput ecclesiæ. Atqui duplex est ecclesia, Christi altera, & eorum qui Deo benedicunt; altera malignantium, ut ait Propheta Dauid. Odiui ecclesiam malignantium, quæ eadem Sathanæ ecclesia appellatur. Cum igitur tibi, ut Christi ecclesiæ supremum caput uocareris, cōcedere non potuerint, nec si maxime potuissent, uoluisse constet; cuius rei tua in ipsos præclara beneficia fidem faciunt; quid superest, si te caput ecclesiæ constituerūt, nisi ut malignantium ecclesiæ constituerint: ut quemadmodum Sathanas princeps huius mundi appellat*r*, quia tyrānide illum premit atq; in eo dominatur, sic tu Sathanæ artibus instructus cum ecclesiā persequaris & uexes, ecclesiæ caput dicereris? hoc quidē modo, multos ex animo tibi fauētes, & isti tuo honori suffragantes habebis, sic tibi hunc titulum consentiētibus ac conspirantibus ordinum omnium animis, decretū esse, facile adduci possum ut credam. Sed quid agimus? facimus ne conuitium Regi, quem si ullius ecclesiæ, malignantium ecclesiæ, non eorum qui Deum laudent, caput esse dicimus? An ita uere res se habet? sed facta ueniant in medium, ipsa loquantur: iis potius, quam uerbis, fides habeatur. En ergo Roffensis sanctissimi uiri, Londini, ad pontem Thamisis, conspicuo in loco a corpore abscissum, & hastę affixū caput. En Mori innocentissimi hominis, eodem loco positum, & eodem honore habitum caput. O spectaculum toti Angliæ, nedum uni ciuitati Londino luctuosum. O spectaculum uniuerso orbi, q̄ late patet christianum nomen, nedum uni prouinciæ Angliæ miserabile. An nō illi ipsi sunt, quorum uirtute & literis ita Anglia fruebatur, ut cum ex uita singulare ac diuinum exemplū caperet, tum ex literis, ingenio, opera in omnibus rebus & publicis & priuatis, fructum maximum caperet: ut nullos patriæ utiliores multis iam seculis extitisse optimi cuiusq; iudicio ac testimonio constet? Iidem autem illi sunt, qui res ecclesiæ sic sustentarunt doctrina, pietate, & scriptis libris, ut nemo per hosce annos contra hæreticorum insultus fortius pro ecclesiæ dignitate propugnasse, totius ecclesiæ uoce prædicetur. O rem non spectatu solum, sed auditu quoq; horrendum; ut eorum uirorū, quibus nullos patriæ fideliores, nō ex præsenti tantum memoria sed ne ex historiis quidem cognoscamus, capita eo loco fixa spectent;

Ecclesia duplex.

Psal. xxv.

Henricus. viii supremum caput ecclesiæ malignantium.

Sathanas cur princeps huius mundi appellatur.
Io. xiiii.

Facta Regis loquuntur ipsum esse caput ecclesiæ Sathanicæ.

Roffensis & Mori capita hastis affixa, loquuntur a cuius ecclesiæ capite fuerint præcisa.

ubi

ubi non nisi patriæ proditorum non nisi latronum, & hominum de nefariis sceleribus conuictorum capita affigi soleãt. An iam dubitamus, cuius ecclesiæ caput capita illa præcidi, & eo loco ꝑponi iusserit? Sed auscultemus adhuc paulisper, non dũ enim totam historiam pertexuimus; ut quæ non ab istorum, quos dixi, crudelissima cęde initium habuerit. Sed si reliqua narrare uolumus quæ acta sunt, ex quo præclarum hoc ecclesiæ caput os in cælum intulit iam sane leue uidebit', quod modo de duobus sanctissimis uiris securi percussis narrauimus; iam non crudele hoc facinus, sed in beneficii etiam loco, & magno, si Deo placet, clementiæ argumento iis concessum, ut hoc supplicii genere defungerentur. uidisses enim alios non minori q̃ illi sanctitate præditos, quorum non capita solum præciderentur, sed membra corporis miserabilem in modum dissecarentur, & diuersis urbis partibus ad spectaculum proponerentur, ut hic caput, illic corporis alia pars, alio loco alia spectaretur; quibus ne pro beneficio quidem impetrari potuit, ut uno præciso membro de uita decederent, aut quod natura etiam miserrimis concessit, ut una tantum morte defungerentur. Sed quale hoc est quod dico? potuit ne ulla crudelitas inuenire, quo ultra unam mortem in cruciatu corporis progrederetur, si natura finem miseriæ unicam mortẽ præscripsit? qui non potuit, & tamen tentauit, quanta tandẽ eius crudelitas est? Atqui res sic se habet. Cũ alii alio genere mortis pro delicti modo plectantur, fures laqueo, grauioribus criminibus condemnati igne, ferro alii pereant: sancti hi uiri, quorum summa criminis erat, quod fidẽ quam Christo & ecclesiæ dedissent, prodere recusarent, ita sunt per hæc omnia cruciatuum genera deinceps pertracti ac diuexati, ut ante moriendi finem non fecerint, quam tertia mors quasi cumulus allata uitam ipsis eripuerit. Primum enim laqueo spiritus præcludebatur; sed hactenus dumtaxat, ut mortis acerbitatem ac cruciatum, non extremam illam & letalem uim sentirent; ut potius quasi in amplexum mortis tradita cum morte ipsa luctari, q̃ mori conspicerentur. Quã in luctatione simulac deficere eos carnifex animaduertisset, statim, ut erat scilicet a iudicibus clementissimis uiris imperatum, hac morte liberati, & a cruce in terram demissi, ad aliud mortis genus multo crudelius & acerbius trahebantur. Arrepto enim gladio carnifex pectus ac præcordia aperiebat, atq; hic sæuior iam erat cum morte cõgressus; cum ipsi uisceribus patefactis, ui sibi ea euelli, & in ignem, qui erat in conspectu, coniici uiderent: ut

Describitur inaudita crudelitas, quã Rex in Reginaldum monachu Brigittẽsem, in Nudigatum Cartusianum, & alios quinque Cartusianos exercuit.

eum intimis sensibus acerbissimos quosque dolores, cruciatusq; percepissent, tum hoc etiam grato oculorum spectaculo fruerentur, ut se quoq; quasi aspicerent morietes, dum parteis sui cremari cernerent. Atq; hic plane ultimus cum morte conflictus fuisset, (quod enim corpus ita animæ retinens, ac plane adamantinum esse posset, ut post tam acres dolorū stimulos partē ullam uitæ retineret?) hæc certe illos secunda mors penitus absumpsisset, ni mira agilitas carnificis anteuertisset; qui memor sibi esse corpore suo luendum, & quasi dependendum, quicquid ipse pœnarum ab iis non exegisset (ita enim erant clemētissimi iudices interminati) sic erat in laniando promptus, ut adhuc uiuorū, & in omnium oculis spirantium corpora in quatuor partes dissecaret. Proh Dei atq; hominū fidem. ubi nam gentium sumus? Quę monstra ante hunc diem inaudita narro? Monstra plane; sed nihil tamen eorum non uere factum; Monstra inquam, & quidem maxima: ut qui rem expēderit, qualesq; ii uiri essent, qui per tot cruciatus necabantur, cognouerit; antiquam illam fabulam de gigantibus, quos ferunt deos e celo deturbare uoluisse, uerissime nūc narrari posse iudicaturus sit. Hi enim omnes qui tot tamtosq; cruciatus toto corpore pertulerunt, ex numero erant eorū, quos uitam in locis ab omni hominum cultu celebritateq; remotis agentes, magis in cælo uiuere, q̄ in terra uersari existimare possumus. Qui cum inde ab his gigantibus extraherentur, ueritatem fabulæ fecerunt. Sed quid agimus? sane si ex fabulis quærimus, quibus tantæ immanitatis authores comparemus, alios q̄ gigantes, reperiamus oportet, qui humana & figura & natura fuisse memorantur; ut uerisimile de iis non uideatur tam rabidam crudelitatem animis potuisse concipere, præsertim in illos a quibus nunquam læsi essent. Cerbero potius tricipiti, apud inferos; (ut Poetæ fabulantur) ianitori, hæc tanta immanitas conueniret, de quo uerisimiliter dici posset, cruciatu sanctissimorum hominum delectatum, non statim illos deuorare, sed diutius triplici illo suo ore, eos permolere, ac conficere maxima sua cum uoluptate uoluisse. Verum sine fabula, Sathanam certe ipsum inferorum principem non solum interfuisse huic iudicio, quo illi tales uiri, damnabantur, sed plane præfuisse, nemo est quin intelligat. Sed quid erat tandem, de quo illo in iudicio tales uiri arcessebātur? Crimen ne aliquod erat obiectum? locus defensioni dabat? Ita sane. sed omnia, ut apud Sathanam iudicem in medio illius ecclesiæ cuius caput est, iura reddentem, ita gerebantur. Crimen

Simili clementia Rex vsus est in plurimos alios sacerdotes tum sæculares, tum religiosos.

Gigantum bellum cū Diis.

Cerberus triceps.

quod crimen sanctis illis viris obiectum fuerit.

erat quod homines Deo consecrati contra animi sui sententiam, eamq; uetustissima primum & perpetua ecclesiæ Christi consuetudine acceptam, deinde sanctissimorum & doctissimorum hominum scriptis confirmatam, confiteri nollent, ecclesiam sine capite esse, Regis autem personam duplex caput habere; uel potius ecclesiam plura, quam ipsa Hydra fingatur, capita habere, Regem bicipitem esse, uno tantum capite a Cerbero, qui triceps fingat, uinci. Ne multa, hoc ab illis sanctis uiris exigebant, ut cum ecclesiam scirent Christum hominem, omnium primum pro capite suo semper agnouisse, a quo etiam fundata esset, quique ei nullo unquam tempore hominem deesse uoluisset, a quo regeret: qui deniq; decedens e terris Petro capitis locum reliquisset, & illum sibi successorem constituisset; tum autem uiderent omnes qui Petro deinceps successissent, Romanos Pontifices, semper iudicio ecclesiæ capitis locum obtinuisse, & ecclesiæ unitatem maxime confirmasse ac continuisse: negarent tamen Petrum, & ut quisq; Petro in eum locum succederet, hoc unum caput esse: & ita negarent, ut ne in ullo quidem eiusdem ordinis eum honorem manere paterentur. Neque enim sacerdoti hoc cuiquam tribui uolebant; nec uero unum aliquod caput in terris uniuersæ ecclesiæ esse, sed quasi capitis illud munus, quod uice Christi iudicio ecclesiæ Pontifex Romanus gerit, huiusmodi esset, ut diuidi in multa posset: quasi hic honos regendi ecclesiam, quem capitis nomine significamus, magis potestati sæculari quàm spirituali conueniret, magis Regibus quàm sacerdotibus, sic eum uni illi sacerdoti, atque adeo uniuerso sacerdotis ordini eripi, & regibus quasi prædam dispartiri ac diuidi ab iis uolebant. Et quia sancti illi uiri huic tam impio ac nefario decreto, cui non solum mos ecclesiæ perpetuus repugnaret, sed omnia aduersarentur conciliorum decreta, subscribere noluerunt, perinde quasi omnia iura uiolassent, & in Deum atque ecclesiam blasphemi extitissent, qui ab ecclesiæ decretis, uel morte proposita recedere noluerant, publico iudicio (si iudicium illud, & non potius nefaria in Christum & ecclesiam coitio sceleratissimorum hominum appellari debet) condemnati sunt, & ultima supplicia ecclesiæ causa passi. Sed quid? an non, si in iudicium uocabantur, defensioni dabatur locus? Dabatur quidem, sed ualde angustus: qualem Sathanas, si apud eius tribunal res ageretur, non grauate, immo libenter potius dedisset. non enim amplior locus defensioni dabatur, q̃ ut aut decretum illud esse ne-

Hydra.

qualis defensioni locus illis datus sit.

garent, aut si id non possent, saltem promitterét ac iurarent, sese repudiata authoritate ecclesiæ & tot conciliorum decretis, quibus ecclesia Petrum post Christum, & post Petrum omnes Petri successores, pro capitibus agnoscit, nouo huic decreto postea semper obtemperaturos, ut Regem supremum in Anglia ecclesiæ caput agnoscerent. Sed qui poterant id facere homines sanctissimi, & in ecclesiæ fide ac decretis iam inde a pueritia educati, pro qua uitam etiã possent profundere? Quàm uero hoc apud

Qualia sint capitis ecclesiæ officia.

eorum animos alienum diuina & lege, & uolũtate, uideri debuit, ut Rex ecclesiæ caput esset; cum illis ueniret in mentem, qualia essent capitis officia & partes, in queis etiam illa sunt, ut soluat, aut liget hominum peccata, & (ut uno uerbo dicam) sacramenta ecclesiæ ministret, interq; alia sacrũ illud, & super omnia sacra sacrum Corpus Domini consecret? Primum enim excludere supremũ caput ecclesiæ iis muneribus quæ in ecclesia sunt maxima, &, si nollent Regem supremum caput sacramenta tractare, ea inferioribus membris, id est, sacerdotibus permittere; q̃ alienum ab omni ratione iudicabant, ut plus in rebus maximis inferiori q̃ superiori cõcederetur? Deinde uero hoc regibus dare, ut sacra tractarent, sacramenta ministrarent, sacratissimum Christi corpus consecrarent, q̃ abhorrens uidebatur ab omni uoluntate diuina, quibus, ut scriptura testatur, uix diuina uoluntas concessit, ut uel templum in quo sacerdotes Deo ministrarent, extruere possent? Dauid certe Rex, quanuis esset propheta, & promptissimum animum ad templum ædificandum haberet, materiamque multam ac preciosam ad eam rem comparasset, tamen a Deo impetrare nõ potuit, ut id ipse ædificaret; quod multis in bellis manus sanguine contaminasset, sed tãquam hoc maximum munus esset, quod Regibus tribui posset in his quæ ad sacra pertinent; Salomoni Dauidis filio reseruatum est ut ei licitum esset templum ędificare; hoc ipsi Dauidi pro filio, qui pacificus, uidelicet, futurus erat, & manus puras a sanguine habiturus, a Deo promissum est, ut templum posset fabricare. Vt uero quispiam non sacerdos, sacrũ aliquod in templo obiret munus, nemini unquã diuina uoluntate concessum esse, in scripturis legitur. Quod si qui sua uoluntate hoc sibi munus sumpserunt, sic in illos statim a Deo animaduersum esse scimus, ut in nullos omnium qui Dei uolũtatem neglexerũt, seuerius sit unquam & uehementius uindicatum. Id qd' si non satis declararet præsentissima Dei in Oziam regem, uindicta, qui quia usurpasset, quod sacerdotũ munus erat,

Caput ecclesiæ omnino potest præstare, tractare, & administrare, quæ inferiora membra possunt.

Dauidi promissum nõ fuit, vt templum extrueret, in quo sacerdotes Deo ministrarent.

Seuere vindicatũ est in eos, qui quum sacerdotes non essent, sacrum aliquod munus in templo obire voluerunt.

erat, ut incensum offerret, statim a Deo lepra est percussus, aut in Dathan & Abiron atq; eorum sceleris & sacrilegii socios grauissima Dei ultio, cum tot hominum millia, qui sibi sacerdotum munus uédicarant, a terra sunt cum coniugibus & liberis absorpta: illud certe Ozæ exemplum maxime posset planũ facere, qui non aliam ob causam statim est in omnium cõspectu uita priuatus, q̃ quod manum ad arcam domini admouisset, tãtum ut cum casura uideretur, illam sustineret, de quo ita legitur in libris Regum. Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniã calcitrauerant boues, & declinauerant eam, iratusq; est indignatione dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei. Hæc & similia cum sancti illi uiri ex scripturis recordari possent, maxime autem, quod modo dixi ne auxiliãdi quidem causa eos qui hoc munus a deo nõ accepissent, rebus sacris manus admouere debere: quã mortẽ illi non libenter subiissent potius, q̃ ut ei decreto subscriberent, quod tam aperte tot scripturarum testimoniis constaret Dei uoluntati repugnare: quod præterea uiderẽt ad ecclesiæ perniciem & exitium pertinere, ut quod omne pacis & concordiæ uinculũ abrumperet, & unitatem, qua ecclesia constat, dissolueret? Itaq; priusquam hoc facerent, crudelissimam mortem, & acerbissimas pœnas subire uoluerũt. Qua autem re illi tantæ immanitatis authores magis Christi se ecclesiæq; hostes, & diuinæ uoluntatis contemptores declarare poterant, quam ista, ut sanctissimos homines, quorum in uitam nulla ante eum diem ne tenuissima quidem ullius criminis suspicio collata erat, pœnas omnium grauissimas & supplicia ultima pferre cogerẽt hac una de causa, quod cõtra tot ecclesiæ decreta, quæ eadem Dei esse scirent, in quibus sancte obseruandis omne suum studium semper posuissent, uni (ne quid aliud dicam) nuper exorto paucorum hominum decreto subscribere recusarent? Illi uero, quasi hoc satis non esset, ut omnibus in rebus se Christi hostes esse, & cum Christo bellum gerere testarentur: tanquam si prælio aliquo cum Dei exercitu commisso superiores fuissent, & aliquot de illis profligatis copiis, captiuos haberẽt, quos in triumphum ducere ad hostis contumeliam ac ludibrium uellẽt, ita sanctissimos hosce uiros ipsis illis uestibus indutos quibus Christum habere Imperatorem, & Christo merere statim agnoscerentur, ad supplicium produxerunt. Quod enim maius signum esse poterat Christi militum, q̃ illud uestimenti genus quo utebantur? De quo quidem uestimẽ

ii. Reg. vi.

Impium Regis decreti, cui suffragari sancti illi viri non potuerunt.

Monachi religiosis vestibus induti suspendebantur, contra legem, ac morem Angliæ.

ti genere, quoniam Deo ſacros eſſe qui id habeant, oſtendat, ita legibus comparatum eſt, ut uel manifeſto in ſcelere deprehēſos, & omnium ſententia dignos in quos ultima exempla ederentur, iudicatos, non prius tamen ad ſupplicium duci liceret, quam nō ſolum ordine ſacro ab iis, qui id ius haberent, rite moti, ſed omni etiam cultu ac ueſte ſacra, publice inſpectāte populo, ſpoliati eſſent. Atq; hic quidem mos ſemper in Anglia obſeruatus eſt, uſq; dum nouum hoc eccleſiæ caput, uel potius (ut facta teſtantur) nouus Chriſti hoſtis, pro ſua libidine, nullo exemplo, uetante etiam lege, primus omnium ſacris ueſtibus indutos, ſanctiſſimos Chriſti ſeruos tanquam uictimas Deo ſuo Baal mactauit.

Degradatio quare instituta.

Qua in re ſiquod eſſe priuilegium ſacerdotalis ordinis uidebatur, ut non prius ad mortem duci ſacerdotes poſſent, q̄ & ordine & habitu ſacro exuti eſſent, quis non uidet non illud eſſe ad improborum ac nocentium commodum ita comparatum? niſi forte cum alicui maior ad pœnam infamia adiungitur, commodari tum illi putamus. Nam quod ipſorum tandem commodum in eo quæſitum eſt, dum ſacris ueſtibus exuti in quibus tamen ſpecie ipſa nōnihil dignitatis etiam in illa deſpectiſſima fortuna retineret, & alienis ad contumeliam amicti, equorum inſuper alligati caudis ad ſupplicium trahi iubentur? Nimirum ad maius etiam dedecus hoc illis priuilegium irrogatum eſt, ut priuſquam mortē caperent, ora etiam ac uultus hominum ſubirēt, dum publice de ſuo ordine deiicerentur, & omnibus ſacris inſignibus quaſi indigni priuarentur. Qua in re, ſiqua inerat, ut omnino inerat, honoris ſignificatio, ſi cui honos habebatur, Chriſto uidelicet habebatur, quod indignum ſanctiſſimis illis legum conditoribus uiſum eſſet, ut Chriſti inſignia geſtantes, tam ignominioſe tractari, aut mortem turpem ac probroſam ſubire a populo chriſtiano conſpicerentur. Sed qui leges Chriſti contemnant, quis ab illis poſtulet, ut legem aliquam humanam, quæ ad honorem Chriſti pertineat, obſeruent? Itaq; nulla lex, nulla iuſtitia in eo iudicio uerſata eſt; non ſane magis, q̄ ſi illi Sathanas ipſe Chriſti ac bonorum omnium hoſtis præfuiſſet, ſicut certe præfuit. Neq; enim ſi leges aliquid ualerent, ille locus fuit, aut tribunal illud quo Dei ſacerdotes adduci, & ubi cauſam dicere deberēt. Neq; uero cauſa eiuſmodi, de qua rerum ciuiliū iudices cognoſcere, & ſententiam ferre poſſent. Quid enim hoc ad rerum humanarum iudices pertinet, quiſnam per Chriſti leges caput in eccleſia haberi debeat? Quādo autem unquam, ante quidem q̄ tu hoc nomen

capitis

capitis inuasisti, sacerdotes ad tribunal iudicum externorum ci-tatos esse uel ipsi meminimus, uel de aliis audiuimus? Pater qui-dem tuus, cum eo bello uicisset, quod totum cuiusdam sacerdo-tis scelere conflatum esset, qui excitato nescio quo puero, eoque in concionem producto, nomen ementitus auunculi mei, eum per-suasisset ex carcere effugisse, ubi illum populus asseruari sciret: & illum sacerdotem tantæ seditionis facem ac prælii, in quo ali-quot hominum milia ceciderant, unum authorem uiuum in ma-nus accepisset, & in reliquos cōiurationis socios seuerissime ani-maduerteret, tamen eum ausus non est attingere, hoc tantum no-mine, quod sacerdos esset: sed iudicibus illum suis, id est, sacer-dotibus tradidit, ut in eum suis ipsi legibus animaduerterent: apud tribunal certe iudicum externorū nūquam est uisus. Quid hic obsecro dices? maius ne fuisse crimen horum monachorum, qui dies ac noctes nihil aliud agebant, nisi de tua & regni tui sa-lute, Deo supplicabant; sacerdotis illius scelere, qui non solū ar-matus in castris hostium inuentus, sed author solus hostilis in Regem seditionis probatus esset? An nimium uetera me referre, qui non alterius q̄ patris tui exemplum in obseruandis ecclesiæ legibus, tibi affero? An patrem tuū parū intelligentem aut pru-dentem fuisse, qui leges obseruaret? Quid? eo ne tu prudentior existimari uis, quia leges nullas obserues? Verum ut ad mona-chos reuertamur, q̄ nouum illis accidere debuit, cum ut ad tribu-nalia iudicum se sisterent, arcessebantur: quorū nonnulli qui ma-gnam ætatis partem intra monasteriorum septa egissent, uix sa-tis quę essent illa tribunalia nosse poterant, ciuitatis pene ipsius obliti, nunquam autem ne per somnium quidem suspicati, posse fieri, ut ex quo semel in monasteria secessissent, unde se nūquam egressuros, uoto etiam suscepto, Deo promisissent, uel ciuitatem aliquando uiderent, uel aliud tribunal aspicerent, q̄ eius quem omniū iudicem fore crederent. Cum igitur homines nullius sce-leris, ac ne minimi quidem criminis, quod ad humanam cogni-tionem pertineret, sibi conscii, & sacerdotes, primum se eo citari audirent, quo non nisi parricidæ, latrones, sicarii, patriæ denique proditores adduci soleant: deinde apud eosdem iudices, qui de his, quos modo dixi, nefariis hominibus, sententiam ferant, se læ-sæ maiestatis crimine condemnari, qui tantū abest ut de patriæ aut regis maiestate uiolanda consilia aliquando iniissent, ut con-tra potius uix alia cogitatio de Rege ac patria eorum animos subiisset, præter eam, quæ semper quidem aderat, ut utriusq; salu

Sacerdotes in Anglia non solebant citari ad tribunal externorum iudicum.

Richardus Simō. Vide Polydori hist. Angliæ. lib. xxvi. pag. D.lxiii.

Henricus. vii. legum ecclesiasticarum ob-seruantissimus.

tem assiduis precibus Deo commendarent: cui negotio, posthabitis aliis omnibus patriæ & amicorum negotiis, atq; omni humano commercio sibi interdicto, se totos dedicauerant: q̃ hoc illis nouũ prima specie, imo q̃ monstrosum accidere & uideri debuit? Sed nec hoc illis tam monstrosum accidisse credi par est, q̃ ille fuit inopinatus nũtius, cum ad ipsos in locis habitantes procul ab omni hominum congressu semotis, & in cellulis suis aut orationi, aut rerum diuinarũ meditationi intentos allatum est, Regem capitis ecclesiæ Anglicæ supremi nomen sibi asciuisse, idq; illi de publici concilii sententia delatum, & lege etiam lata confirmatum esse.

Quàm inopinatus sanctis monachis nuntius fuerit, ex quo intellexerunt Regem capitis ecclesiæ Anglicæ supremi nomen sibi asciuisse.

Debuerunt plane, si ueris similia suspicari uolumus, ad hanc uocem subito obstupescere, & cum magna solicitudine animi interrogare, quis rex is esset, quod illud publicum concilium? ac dubitare uehementer, num ille quem ipsi regnare existimarent, e uita excessisset; & in eius locũ, nouus aliquis, Dei hominumq; hostis inuasisset. Num etiam expulsis Anglis noua aliqua ex ultimis terrarum oris natio regnum occupasset, quemadmodũ Angli olim exactis inde Britannis fecissent. Nec enim cuiquam probabile est adduci illos facile potuisse, ut crederent tantum sceleris susceptum esse de concilii Anglorum sententia, quod ipsi semper religiosissimũ cognouissent: de Rege autem omnia certe potius iudicassent, q̃ ut qui tanta pietatis & in Christum atq; ecclesiam obseruantię fama semper fuisset, ut ne in annalibus quidem de quoquam memoriæ proditum esset qui plura ac certiora signa eius rei dedisset, eum tunc existimarent tale quippiam potuisse moliri: eum inquam Regem; quem scirēt (id quod de nullo alio auditum unquam esset) cum noua quædam dogmata in ecclesiam induci cœpta essent, sic uetera ecclesiæ scita ac decreta accuratissime scripto libro defendisse, ut propterea a pceribus ecclesię dignus esset habitus qui defensoris fidei nomen, quod nulli unquam post ecclesiam conditam Regi tributũ meminissent, primus obtineret.

Henricus .viii. libro egregie scripto antiqua ecclesiæ dogmata contra hæreticos defendit. vnde defensor fidei appellatus ẽ.

Quem præterea audissent tanta animi cum lætitia hoc nomen accepisse, ac si ab ipso Christo sibi deferri putauisset, quod is quem ecclesię iudicio tum consentiẽs Christi uicariũ agnosceret, Pontifex Ro. tribueret, in cuius authoritatis ꝓpugnatione prima eius bellica uirtus enituisset: qui nunquam ullo in bello armatus esset uisus, nisi cum Pontificis causam tueretur: qui quantum ingenio, doctrina, eloquentia posset, in ecclesiæ decretis aduersus oppugnatores defendendis, magna cum admiratione populi christiani ostendisset: qui denique

Prima Regis bellica virtus in propugnatione authoritatis pontificiæ enituit.

iam

iam quasi quædam delitiæ, non ut Titus, generis humani, sed ut magnus Constantinus ecclesiæ haberetur. De hoc ergo qui poterant statim credere, ut maxime etiam id asseueraretur, uenisse illi in mentem, ut uel Pontificis authoritatem oppugnaret, uel latum unguem ab ecclesiæ placitis discederet; quem si nihil aliud, sua ipsius acta, sua scripta, nouum honoris nomē susceptū, quasi quædam pignora & obsides ecclesiæ Dei dati, in officio retinere deberent, nisi prorsus honorum suorum & rerum gestarum, atq; sui ipsius esset oblitus: quod certe tali principi accidere potuisse, nunquam facile existimassent, ut qui uirtutes animi ex rebus gestis cognouissent; quibus uero machinis uirtutes illæ oppugnatæ essent, utpote hominies omnium pene quę foris agerentur ignari, nescirent. Quare omnia prius suspicati essent, q̄ hęc de eo Rege dici, pro cuius salute assidue orabant. Citius plane arbitrati essent idem sibi in iis ab omni hominum cōsuetudine semotis locis accidisse, quod septem illis dormientibus euenisse memoratur; qui dum Principum Romanorum in omnes christiani nominis sæuitiam fugientes in speluncam se abdidissent, sic diuina uoluntate somno oppressi traduntur, ut ipsis dormientibus multorum Principum ætates præterirent, multa in rebus & publicis & priuatis innouarentur, quæ illos prorsus fugerent, ut cum aliquando tādem expergefacti essent, atq; ad necessaria comparanda quidam eorum clam ad urbem processisset, nouam illic rerū faciem reperiret; Principem enim eum quem timebant, diu ante mortuum esse, & multos deinceps in eius locum successisse, multorumq; annorum numerum præteriisse: ut re ad socios perlata, maximo omnes se Dei miraculo per somnum conseruatos agnoscerent. Et certe si rerum noua facies, si legum & morū mutatio simile aliquid persuadere possunt, uix eos credo septē uiros maiorem reperisse in illis plurimis annis, quibus perpetuo dormierant, legum & morum omnium factam mutationem, q̄ hi monachi cum de cellis suis ad iudicū tribunalia pertracti sunt, offenderunt, si id tempus cum illo conferret quo ipsorum aliqui mundum hunc externum quasi grauem & perpetuum hostem fugientes, in monasteria se, ut illi in speluncas, abdiderant: ut merito, si illius historiæ eis ueniret in mētē, dubitare possent, num interea dum tanta conuersio rerum facta esset, ipsi etiam somno aliquo diuinitus immisso sopiti, perpetuo dormissent; putarentq; principē eum, quem ipsi nossent, nō amplius in uita superesse, ut eius nullum in legibus ac præsentis temporis moribus uestigium agno-

Henricus. viii. olim deliciæ ecclesiæ habebatur.

Septem dormientium historia.

Monachi e cellis suis ad iudicum tribunalia pertracti non minorem in Anglia legum ac morū immutationem offenderūt, quàm septem illi sancti a somno post annos plurimos excitati in ciuitate Ephesina deprehenderunt.

ſcerent. Quid enim aliud uel credere, uel ſuſpicari poſſent homines, qui in illis monaſteriis, quaſi in extrema ſolitudine uitam egiſſent, ſemoti ab omni hominum cõgreſſu, cum tantam & tam monſtroſam omnium rerum mutationem ſubito uiderent, religionis, legum, conſuetudinis, hominũ deniq; ipſorum? cum quos illi ſumma omnium gratulatione præeſſe reipublicæ cognouerant, quos & optimos & prudẽtiſſimos reſpublica experta erat, eos iam non uiderent, utpote in carcerem tanquam patriæ proditores coniectos: & in eorum locũ tales ſucceſſiſſe, quibus ob impietatem & uitæ turpitudinem nullus carcer non nimis commodus uideri poſſet; quos eccleſiaſticę leges iam diu ex piorum cœtu excluſerant; humanæ autem ſi modo ullæ tum fuiſſent, iampridem ad pœnam flagitabant. Quid hic tales homines ad tantã & tam inopinatam rerum mutationem ſuſpicari aliud poſſent? ſtupefactos, ita me Dei filius amet, primo harum rerum aſpectu hæſiſſe par eſt, neq; quicquam habuiſſe, quod ueriſimiliter cogitarent. niſi forte aliquid tum de Turcarũ claſſe inaudierant, quæ per ea tempora Conſtantinopoli egreſſa, magno cum totius chriſtiani nominis terrore uerſus Herculis columnas curſum tenebat. De hac porro uerisimiliter ſuſpicari poſſent, illam ſuperatis anguſtiis quæ ſunt ad Gaditanum fretum, oræ noſtræ nec opinato appulſam, primo impetu inſulam totam in poteſtatem redegiſſe: proindeq; claſſis eius præfectũ, ut eum, qui noſtræ religionis apertus eſſet hoſtis, tam impiæ rerum omniũ in Anglia conuerſionis authorem fuiſſe. Sed certe ſi Turcarum Imperatoris mores ſatis cognouiſſent, ne de illo quidem tam nefaria uerisimiliter cogitaſſent. Cum enim is Rhodum uictor ingreſſus eſt, ubi omnes erant chriſtiani, a quibus etiam in illa aliquot menſiũ oppugnatione multis ſuorum cladibus ſæpe irritatus eſſet, quis de ſimili crudelitate quicquam audiuit? Porro autem ubicunq; locorum is dominat̃, nemo contra animi ſui ſententiam, in iis dũtaxat, quæ ad religionem pertinent, quicquam affirmare cogit̃. Imo potius quorum uitam talem eſſe nouit, qualis erat illorum, quos dico, monachorum, qui repudiatis huius uitæ commodis ac uoluptatibus, totos ſe Dei cultui conſecrarant, cuiuſcunq; iı̃ religionis ſint, illos in honore ac ueneratione habet. cui rei teſtes ſunt Græcorum illi Monachi, qui Athon montem incolũt, quibus etiam ſingulis annis munera mittit, & ſuam quãuis alienæ religionis hominibus ſalutem commendat. Non ergo de rege Turcarum, ſi eius claſſis ad Angliam appulſa eſſet, & Metropolin

Caue lector ne hic tibi Cromeuuelli ueniat in mentem.

Turca neminem cogit quicquam affirmare in iis quæ ad religionem pertinent.

Turca ſanctis Monachis honorem ac munera defert. & ſuam ſalutem commendat.

polin ipsam Londinum expugnasset, tanta crudelitas probabiliter cogitari posset. sed neque de ullo alio plane, q̃ de Sathana ipso, quem acta eorum temporum, cũ illi iudicio, quo sunt innocentissimi & sanctissimi homines condemnati, tum extra iudicium, rebus aliis omnibus præfuisse testantur, ac de illius consilio & uolũtate omnia gesta esse declarant.

De iniquissima D. Thomæ Mori condemnatione.

Quod si cætera deessent, an non uel Mori unius condemnatio luce clarius totum illud tenebrosum iudicium, cui ipse profecto tenebrarum princeps præfuit, patefaceret? In episcopum enim & cardinalem Roffensem, quãuis iniquissime etiam is condemnatus est, tamen aliquid habebant etsi iniustum, quod obiicerent, quod speciem iustitiæ aliquam & iudicii formam præseferret; quod is aperte, sicut episcopum decebat, legi ipsorum aduersaretur.

Roffensis Cardinalis creatus fuit, quum esset in carcere.

In Morum uero nec iustam, nec iniustam causam, nihil plane quod uel speciem aliquã præberet ullius, quæ more saltem atq; exemplo fieret, damnationis, reperire poterant: cuius unica responsio audita, omnia illis præciderat, quæcũq; uel fingere cõtra eum possent.

Forma iudicii.

Sed explicemus parumper formam præclari illius iudicii, quo est Morus condemnatus, ut melius intelligi ac perspici queat, quis illi iudicio præfuerit. Sic igitur accusatio est instituta. Citabat ad causam capitis eo in loco dicẽdam Morus, in quo paulo ante iudex summa cũ potestate, & incredibili totius regni gratulatione sederat; quem ipse locũ ac magistratum sic ornauerat, ut qui eum illic considentem uidissent, non tam hominem se uidere, q̃ pietatem, q̃ iustitiam, q̃ omnium legum & diuinarum & humanarum cognitionem, ac prudentiam summam arbitrarẽtur, quas tot uirtutes se suis in rebus ac cõtrouersiis auxiliatrices aduersus uim & iniuriam habere paratas credebant.

Morus summus Angliæ Cancellarius.

Nunquam prorsus ne in uetustissimis quidem regni annalibus de ullo legerant, qui tot ac tantis uirtutum & literarum præsidiis instructus in eum locũ conscendisset; nullum certe ipsi meminerant, qui solitudini ac iustitiæ maiorem contra uim & iniuriam uictoriæ spem dedisset: nullum qui re ipsa magis præstitisset. Hic uero talis uir cum esset reus eo in loco, apud qualẽ iudicẽ causam dicebat? age dum non mea ulla oratio, sed acta ipsa eius iudicii declarent.

Accusatio longa & perplexa intenditur in Morum.

Recitabatur contra reum longa & perplexa accusatio, in qua quæcũq; contra sceleratissimum hominem dici possent, quæcunq; in proditorem patriæ, & legum omnium euersorem, conferebantur in eum, qui & ipse semper innocentissime uixerat, & leges sanctissime ab omnibus obseruandas curauerat. Læsæ maiestatis crimi-

ne accusabatur is, qui & Regis & regni ipsius maiestatem minui solus ex suo ordine passus non erat. Sed ne uidelicet ad omnia quæ proponebantur, respondere posset, ut ita suspitio aliqua criminis in eo constitueretur, iccirco longis uerborum & sententiarum ambagibus accusatio cõtexta erat: quasi hoc plane consilii habuissent, ut si eum ferire nõ possent, saltem ut tanquam feram retibus, sic hominem innocentissimum longissimo criminum ambitu, ne qua elabi posset, circunueniret. Itaq; talis & tam prolixa oratio fuit, ut Morus ipse, quo nemo memoria magis ualuit, attentissime cum audisset, palam testaretur, se uix tertiam partem eorum quæ sibi obiicerentur memoria comprehendere potuisse; se tamen ad pauca, uel potius ad illud unum, quod caput totius accusationis esset, de nouo consilii decreto, quod argueretur nõ approbare, responsurum. Illud enim demum senatus decretum illis erat, ex quo sibi posse uiderentur crimen in eum læsæ maiestatis comparare: neq; quicquam præterea habebant quod probabiliter ei obiicerent. Ad hoc uero ille ita respondit, ut diceret eam legem, qualiscunq; esset, postea esse latam, quã ipse perpetui carceris, in quo reliquum uitæ degeret, pœna, & fortunarum omniũ proscriptione affectus esset. Itaq; siue illa iusta, siue iniusta lex esset, primum nihil eam ad se pertinere, qui & occidisse ciuiliter, ut iura dicerent, uideretur: nec iam respondere de legibus deberet, quibus ipse amplius non uteretur. Deinde ut maxime etiam ad se pertineret, se tamen, nec facto ullo nec dicto suo commisisse, ut illam improbare uideretur; breuiter, iure condemnari ea lege non posse, contra quam nihil a se factũ dictum ue obiici posset. Ad hanc responsionem cum illi egregii iudices primum silerent. (nihil enim in promptu habebant, quod opponerent, neque enim sane Morus, quid ea de re sentiret, cuiquam exposuerat) tum alter alterum respicere, omnes hærere, æstuare omnes cœperunt. Longa enim illa, & tot perplexa nodis accusatio nihil profecerat. uidebatur homo innocens, quem tanquam feram undiq; conclusisse se putauerant, retia effugisse. Tãdem uero, omnes in aduocatum Regis oculos conuertere. ad eũ enim præcipue pertinere censebant, ut curaret, ne tam opima præda e manibus elaberetur. Atq; hic aliquando, cum se nonnihil collegisset, plenus illo spiritu, quo instigante tota hęc fabula agebatur: Verum, inquit, si nullum neq; dictum neq; factum habemus, quod tibi obiiciamus; at silentium certe habemus. & simul referebat tempus fuisse, cum Morus in carcere interrogatus, quid sentiret de lege,

Responsio Mori.

Silentium Moro obiicitur criminis loco.

recusasset

recusasset respōdere, ꝙ diceret se perpetuo carceri addictum, de legibus humanis nō amplius cogitare debere. magis enim ad se pertinere, ut ad diuinas leges, Dei misericordiam, & Christi redemptoris pro nobis toleratam morté, a qua sola & sua & omnium salus penderet, totum animum & omnem cogitationem conuerteret, q̄ de legibus humanis, quarū usu sibi reliquo uitę tempore interdictum esset, aut cogitaret ipse, aut alii sciscitanti responderet. Ita tum cū reo agebatur. cū uerba & facta deessent, criminis loco silentium obiiciebatur. Atq; hoc etiam ab ingenioso aduocato addebatur, silentium illud malæ mentis signum fuisse; quod uerbum sic a reliquo iudicum consessu exceptum est, ut eo uno iudicium, quod pene concidisse uidebatur, constitutū putarent. cum nemo haberet quod obiiceret, omnes tamen conclamabant, malitia, malitia. Argumentum autem malitię, non factū dictum ue aliquod, sed silentium ponebāt. Et hoc modo iam iterum tanquam fera pene e plagis elapsa, homo innocētissimus in accusationis laqueos coniectus uidebatur. Cum autem ad hæc Morus diceret, neminem posse ob silētium, quod indicium esset assentientis potius legi q̄ aduersantis animi, condemnari de legis improbatione, idq; peruulgata iuris peritorum uerbo confirmaret, quo dici solet, Qui taceat, eum uideri consentire; hoc tum minime audiebatur. Sed iam duodecim uiri, qui patriæ more uitæ ac necis potestatem in iudicando habent, aduocabantur. Qui cum uocem malitiæ, quæ per totum iudicium personuerat, defixam in auribus animisq; haberent, nulla interposita mora, ut mirum esset tam cito conuenire potuisse, statim pronuntiarunt, uocabulo anglico, Gylte; quod perinde ualet, ut si dicas hebræo loquendi more, filius est mortis: crucifige, crucifige. O charissima mihi patria Anglia, ecquid sentis, in cuius hominis caput hæc sentētia feratur? Profecto si sentires Anglia, (iam enim uniuersos alloquor & appello, cum & ad omnes communiter, & priuatim ad singulos, tantum illud damnū, quod eo die ex talis uiri damnatione est factum, æque pertineat) si inquam Anglia scires, quem uirum illo iudicio amiseris, quod ornamentum, quod in omni fortuna subsidium tibi sit illo iudicio ereptum, nunquā certe nec uidua mater unicum filium, nec charissimum ducé exercitus amissum sic deplorauit, ut tu unum illum filiū tuum, qualem nullum unquam antea pepereras, deplorandum tibi & perpetuo lugendum duceres. Sed potuisti ne ignorare qualis is esset, qui tua causa est mortuus, qui omnia quæcunq; homini chara ac

Silentium Mori habetur pro indicio maliciosæ mentis.

Apostrophe ad Angliam, complectens laudem Mori.

iucunda esse possunt, ne tu doleres, reliquerat, qui ut a te pernici em auerteret, suam salutem neglexerat. Acceperat is quidē per magna a te, uel potius a Deo maxima. Verum a te quid unquam accepit, quod non maximo cum fœnore reddiderit? nam si tu in genium magnum dederas, quæ unquam patria maiores fructus ingenii ex ullo accepit, q̄ tu ex isto tuo alumno? quem quidē præ cæteris quos unquam aluisti, uere potes alumnum tuum dicere, & eam tibi gloriam, quæ certe non modica est, tibi præcipue uen dicare: qui si prudētia summa fuit, si cæteris uirtutibus, si deniq; doctrina & literis excelluit, quibus sic reliquis omnibus tuis præstitit, ut quem cum illo conferre possis, neminem habeas: hæc omnia tuo in sinu, intra fines tuos, domo nunquam egressus, sibi partim comparauit, partim etiam auxit. Vbi natus primū, & in hanc lucem editus est, ibi ornamenta & subsidia uitæ præstantis sima sibi cōfecerat; nec uero sibi magis, q̄ tibi. omnia enim sic in te postea effudit, ut in singula pene, quæ a te acceperat semina, multos si numerari possent, fructuū modios quasi bonus ager re tulerit. Recordare omne eius adolescentiæ tempus, & nonnullū etiam iuuentutis, in tuarum legum perceptione consumptum. Quid aūt tam fœcundo ac tam beato ingenio, quam erat illud, quod bene literis excultū, omnes prouincias doctrinæ suæ uber tate complere potuisset, rei esse aut negotii debebat cum tuis le gibus; quæ etsi non illiberalem cognitionē habent, nec certe in fructuosam ei, qui unius insulæ angustiis ad bene merendū con tentus sit, nemini tamen extra tuos fines usui esse possunt, nemi ni lumen dignitatemq; afferre. Verum ille quod præcipua ei cu ra semper tui esset, ut tibi domi prodesset, cui & ingenium, & o mnia quæ a te accepisset, semel dedicarat, tuas leges perdidicit, in quibus recte percipiendis cum multos ipse annos posuisset, plures tamen cum aduocationibus obeundis, tum iure etiam di cundo magna semp integritatis & abstinentię laude cōsumpsit. Qui simul ac per ætatem id facere potuit, nullam unquam uaca tionem a tuis rebus gerendis sibi concessit. At enim ita legibus tuis operam dedit, ut siquid aliæ quoq; disciplinæ eam cognitio nem iuuare possent, eas non adhiberet? Quis unquam legū tua rum scientiam tanto optimarum artium instrumento locupleta uit? quis tui iuris prudētiam tot præclarissimarum rerum cogni tione illustrauit? ut si leges tuæ loqui & sentire possent, nihil ma gis se unquam miratas faterentur, q̄ se tot præclarissimarum ar tium comitatu ornatas fuisse in hominis unius mente, quantum

in nullo

Ingenium Mori maximum.

Prudentia.

Eruditio intra Angliæ fines parta.

Cognitio legum patriarum.

in nullo unquam uidere meminiſſent, ac ne ſperaſſent quidem in uno homine, minime uero in eo, qui etſi ingenium omnium artiũ maxime capax haberet, tamen occupatiſſimus ſemper fuiſſet; cũ hæ liberales diſciplinæ ſint eiuſmodi, ut aliis negotiis implicatos non admittant, neq; cum ullo fere interiorem familiaritatem ineant, qui non ſuas omnes cogitationes & ſtudia in eis defixerit. huius porro uitam cum ſemper negotioſiſſimam fuiſſe recordarentur, cum ceſſationem a rebus agendis nullam in eo meminiſſent, merito admiratas ſe diceret, unde tot ac tanta diſciplinarum ornamẽta illi aduenniſſent. Sed quid Anglia? dum leges tuę hoc mirantur, tu quale ingenium produxeris, uidere potes, & ſimul admirari: ſed illud ante omnia animaduertere, ad tãtas eius ingenii uirtutes acceſſiſſe ſingulare quoddam ſtudium, curam, ſollicitudinem in te modis omnibus iuuanda: cum illum nec ſua uitas ea, quæ ex diſciplinis percipi ingenuis ſolet, quæ multos ſæpe & clariſſimos uiros ne operam patriæ nauarẽt, abduxit, nec ullius ocii fructus, ac delectatio, a rerum actione abſtraxerit: cũ ſemper in tua luce, ſemper in tuis oculis uerſatus ſit, cũ nũquam nec ſe nec ſuas ullas actiones tibi occultas eſſe uoluerit. An uero (tuum nunc teſtimonium requiro) ullum in eo malitiæ ſignũ deprehendiſti? Tu una omniũ optime naturam eius noſti. an ullius unquam ſimplicior, uerior, ſine omni fuco ac fallaciis ſincerior tibi uiſa eſt? An unquam in quoquam tãtam grauitaté cum tanta comitate coniunctam & contemperatam uidiſti? Tu certe, ſi naturæ tantum eius recordari uelis, omnia potius, q̃ malitiam in eo ſuſpicari potes. In quo præter cæteros omnes, tanta urbanitas, tantus facetiarum, ſed ſine ineptiis tamen, lepos ſemper apparebat, ut quiduis potius q̃ malitiam, in ſuauiſſima illa natura, locum habere credi poſſet, quem omnes tãquam tuas delitias aſpiciebamus. Angliæ enim delitiæ, ſicut reuera erat, ab omnibus appellabatur. Sed relinquamus naturã, quæ diſſimulari ac tegi poteſt, etſi certe in tot annis, quot ille tuo in conſpectu uixit, latere non potuit. Verum ad facta ipſa, & ea maxime quæ magis accuſationi affinia ſunt, ueniamus. An ea fuit malitia, quod ipſe cum regni gubernaculum manu tenens, ac ſumma in patria magiſtratu præditus, ſtatim ut patriam uidit iniquiſſimarum legũ quaſi tempeſtate iactatam, & iam in hoc diſcrimen adductam, ut niſi unus ſe in mare demiſiſſet, tanquam Ionas in uentrem ceti, omnibus qui eadem naui ueherentur, pereundum eſſet, ſe potiſſimum eum eſſe uoluit? an hæc eſt malitia, quod ipſe idem illud

Mori ſtudium in patriam.

Natura Mori alieniſſima ab omni malicia

Morus erat facetiſſimus.

Morus deliciæ Angliæ.

Morus cùm eſſet regni cancellarius, ſponte ſe ſummo illo magiſtratu abdicauit.

Ionæ exemplum rettulit, & abiecto honore gubernādi, statim se in sceleratissimorum hominum manus quasi in mare, & in ceti uentrem proiecit, ut te ac tuos liberaret? An uero non ita fecit Morus? te appello Anglia, te inquam cōmunem & eius & omnium, qui tum una in periculo uersabantur, parētem. hæc enim tuo in conspectu acta sunt. Tu eum primum summo magistratu fungentem uidisti, & maxima cum lætitia aspexisti eo in loco, quo nemo unquam ante illum eius ordinis ascēderat; & eo magis es gauisa, quod hinc intelligeres proditum omnibus ac palam propositum clarissimum exemplum, uirtuti apud te maximum honorem haberi, uirtutem plus q̄ reliqua omnia ad summos honores assequendos adiuuare. Sed cum ipsum eodē illo magistratu quē nunquam ambierat, quem sola uirtutis commendatione adeptus erat, paulo post se abdicantem; omnibus honoris insignibus in conspectu tuo sese exuentem uidisti, quid potuisti suspicari? an illum non sua uoluntate, sed alterius iussu coactum, ob alicuius delicti suspicionem id facere? at istuc ne inimici quidem eius, quanquam & audacissimi, & sicut ipse Mori exitus ostendit, crudelissimi, ausi sunt dicere. Sed contra potius palam testati sunt, licuisse ei, ut perpetuo, si uellet, magistratu fungeretur. quod eo scilicet fecerūt, ut a se inuidiæ popularis flammam depellerent, qua se apud omnium animos haud dubie flagraturos uidebant, si res ita percrebuisset, eum uirū a reipublicæ gubernaculis eiectum esse, quo neminem unquam sciētius, maioreq; integritatis & innocentiæ laude illa tractasse constaret. Itaq; & Rex ipse publice, ut magistratum retineret, est hortatus, aut certe quo famæ suæ cōsuleret, hortari simulauit; & is, qui mox illi successit, illud idem publico in consilio uoce clarissima de Regis sententia testatus est, Morum sua sponte eo magistratu se abdicauisse, quo semper fuisset dignissimus: sibi autem grauissimum onus impositum esse, qui tali uiro suffectus esset. Quid ergo suspicari tū poteras, cur id munus relinqueret? Quid aliud, nisi id quod res ipsa loquebatur, animaduertisse eum, non posse se in illo munere fungēdo, tibi quā cuperet, pietatem ac fidem prçstare? Ipse igiť, qui omnem suam dignitatem tua utilitate, non suis ullis honoribus metiretur, simul ac se sensit nō posse ita ut uellet, mereri de te, honores omnes abiecit. Atq; hoc quidem animum eius a retinēdo magistratu primum alienauit, quod acta omnia sua, quæ ipse ad tuam salutem & dignitatem accōmodaret, quotidie rescindi animaduertebat ab iis, qui omnia potius q̄ leges ualere cupiebant.

Cur magistratū deposuerit.

Sed

Sed non hæc tamen unica illi causa fuit. Verum cum ea texi in republica tua uideret, quæ non tam rebus aliis omnibus perturbationem q̃ religioni perniciem & interitum minarentur, se autem in tanta improborum conspiratione nihil proficere posse intelligeret: ne sceleratis in te consiliis, quæ ipse nec prohibere nec retardare posset, interesse cogeretur, ea demum causa illi idonea uisa est, propter quam ex tam alto dignitatis gradu libens descẽderet. Cum autem illam, quam futuram aliquanto ante prospexerat, tempestatem adesse uidit, se ipse ultro in fluctus demisit, id est, certissimo capitis sui periculo iis aduersari cœpit, quæ aperte iam cõtra te gerebant: ut tibi, quã ut parentẽ incredibili semper pietate coluerat, de uita iam ac salute, non de fortunis tantũ laboranti, & in extremum discrimen adductæ, opis aliquid afferret: sin id minus posset, animum saltem promptissimum sua morte testaret. At o Anglia, ille idem alũnus tuus, ille sic tui amãs, sic tuæ dignitatis ac salutis semper a puero ultra omnes studiosus, capitalis nũc malitiæ insimulatur. Vbi quæso hæc tanta malitia delitescit? qua in latebra? quo in angulo? quin ea se profert? qui honores primũ omnes, deinde uxorem & liberos, tum ipsam etiam uitam tua causa libenter abiecit ac deposuit, is tanquam proditor & in te malitiosus ad mortem trahitur. Potest ne fingi, mitto probabiliter, sed fingi omnino causa aliqua cur hæc tam omnibus chara ultro is reliquerit, præter eã quã semp pręse tulit, charitatem in te ac pietatem? Quod ut clarissime uideas, age finge Anglia (neq; enim hoc, nisi fictum, cõcipi animo potest, ut is suam in te pietatem non dicam penitus abiicere, sed remittere aliquantulum potuerit, non ille quidem princeps nefariorum in te consiliorum ut esset, sed certe ut simularet non prorsus a se illa improbari) finge igitur eum uoce saltem ac uultu suffragari feralibus illis nuptiis potuisse, quæ quasi chaos quoddam erãt, in quo omnium semina inerant, quæ statum tuum perturbare poterãt; quæ semina si semel coaluissent, ac germinassent, in multos deinceps annos pacis ac tranquillitatis tuę fruges enecarẽt. finge illum ab aliis in hoc tetrũ chaos deduci potuisse, unde ei nullus exitus pateret, nisi ut mox in alterum multo tetrius chaos deueniret, in quo iam illa continebantur, quæ animis multo maiorem perniciem allatura, q̃ illa priora corporibus bonisq; externis, uiderentur, religionis inquam ac pietatis contemptum, (& ut uno uerbo omnia complectar) humanarum diuinarumq; rerũ perturbationem; quæ non solum belli inter tuos ciuilis, sed ma-

Morus, honores, vxorem, liberos, vitam, patriæ cõseruãdæ causa reliquit.

Secundum Regis matrimonium malorum omnium seminarium fuit.

ioris multo & magis horrendi cum Deo ac superis belli semina essent. Si ergo se Morus in has tenebras ab aliis induci passus esset, quis iam Anglia (tuam appello conscientiam) maiori authoritate ac gratia in tuo isto tenebroso regno uiueret? An hic opus est deliberatione, ut quid uere possis respondere, reperias? quis fuit maior, q̄ diu spes aliqua posse illum flecti, eorum animos tenuit, qui rerum perturbandarum authores fuere? An non uel ipse rerum exitus satis declarat, illum hac de causa Cancellarium esse factū, quo hac quasi mercede corruptus se eo trahi pateretur? Sed rectus & in tuam salutem penitus intentus animus ad pernitiosa in te cōsilia præmio nullo, deinde nec pœna, ne inclinari quidem se posse ostendit. Quo magis tui illi hostes spe sua decepti, ita in eum ira, odioq; exarserūt, ut ferinam illam crudelitatem, nec ulla bonorum ereptio, nec carceris, cui illum in reliquum uitæ tempus addixerant, diuturnus squallor satiare potuerit; sanguinem etiam haurire uoluerunt, & quidem te ipsa parente spectante hauserunt. Sed ubi nam est malitia de qua accusabatur? Non ne si uel scintilla aliqua malitiæ aut odii in quenquam, in latebra aliqua cordis resideret; tunc extitisset, cū omnium indignissime atq; iniuriosissime uerbis acceptus, capitalē in se sentētiam, contra ius fasq; latam audiuit? Tunc sane, si unquā alias, in eos præsertim a quibus tam malitiose tractabat̄, aliquo saltem uerbo erupisset. Age itaq; Anglia (hęc enim publice quę agebantur, tibi occulta esse non potuerunt:) Dic nunc clara uoce testimonium in iis quę clarissime in oculis omniū gesta sunt. num ullum uerbum, quod non dico malitiam ostenderet, sed uel irati animi, & de iniquissima sententia indignantis signum esset, ab eo prolatum excepisti? Num tibi beneficia sua exprobrauit? num questus est? num in quenquam inuectus? nihil horum, sed pietati suæ constans, quā a puero susceptam sanctissime semper coluerat, id demum dixit, quod maxime ad tuam salutem pertinere iudicauit; ne tum quidem tui curam abiiciens, cum tua causa exitium sibi allatum uideret. Tunc enim primum sententiam suam patefecit de lege, qua Rex fuerat ecclesię caput cōstitutus, id quod nunquam ante fecerat, ea scilicet mente, ne cū nihil proficere posset, occasionem aduersariis suis, tuis uero hostibus, ulterius in se sæuiendi daret. Tum autem tui curam gerens, ne imprudens atq; ignara pestiferę contra te ipsam legi suffragareris, ita locutus est, ut cum legibus eam & diuinis & humanis omnibus pugnare diceret, magisq; perniciosam iis qui ipsi assentirentur, fore

Morus postquam condemnatus esset, sentētiam suam de noua lege protulit.

tur, fore denuntiaret, quam sibi fuisset, qui quia dissensisse argueretur, capitali sententia affectus esset. Quo exposito ad suos se aduersarios conuertit. Sed quo impetu uerborũ in eos est usus? Eodem, quo ille, qui tanquam agnus ad occisionem est ductus; eodem quo ipse Dei filius, qui accepta nostræ carnis infirmitate, pro mundi salute tanquam salutarem uictimam se offerri est passus; cum etiam pro iis orauit, qui atrocissimæ pariter & iniustissimæ mortis sibi authores fuerant. Sic enim Morus pro tua, o patria, salute moriens, inimicis haud tristiora, quã amicis præcabatur; cum diceret, hunc quidem esse locum discordiarum, dissensionis, atq; tumultus; se uero nũc in ea loca pergere, ubi sublata omnis contentionis & dissensionis radice, amor, pax, concordia, & tranquillitas in omnibus uiuerent. quo ipse illos quoque mutata in melius mente uẽturos esse speraret, ex animoq; ut ita esset, precaretur. O mitem animum, o mansuetudinem semper celebrandam. Quæ nam maiora æquitatis animi signa dedit, qui pro lapidantibus se orabat, cui filius Dei cælos apertos, & se a dextris patris stantem ad consolationem ostendit, cum illa uerba eo in loco & tempore protulit, quæ non hominis uiderentur paulopost carnificis manu perituri, sed eius qui ex longa iactatione portum iam salutis aspiceret? Nam quid eorum, quæ infra cælum sunt, consolari tunc eum potuit, cum a te patria relictus, cum a legibus tuis desertus, in manus crudelissimorum hostium deditus, atrocissimam in caput suum latam sententiam excepisset? Quid est quod ad illam sentẽtiam, quam natura tanquam ultimum malorum omnium, etiam in fortissimis uiris, horret ac refugit, nõ extimuit? Quid est quod ille nihil exterritus, multo tũ & fortius loquebat, & agebat constantius? unde tantus tali tempore in eius animo uigor? Nonne res ipsa per se satis loquitur, unde is aduenisset? Quod si in hoc magna uis apparuit diuinæ uirtutis ac consolationis, qua subnixus eius animus, non statim concidit, sed erectus contra mortis metum stetit, quo fortissimi etiam uiri permouentur; multo tamen eadem illa uis admirabilior fuit, magisq; extitit in eo certamine, quod illi ea naturæ suauitate prædito, cum ipso humanitatis communis sensu, & paterni animi charitate fuit, idq; huiusmodi, ut adamantinum etiam cordis robur frangere potuisset; in quo tamen sic ille inuictus permansit, ut de constantiæ gradu nihil omnino motus cerneretur. Cum enim generosissima mulier, dignissima tali patre filia, secum omnes naturæ dotes afferens, omnia pietatis signa, omnia

Esa. liii.

Lucæ. xxiii.

Morus condemnatus orat pro inimicis suis

S. Stephanus. Act. vii.

Mori constantia, ac fortitudo animi laudatur.

Margarita Mori filia ruit in amplexum patris.

quæ in liberis iucunda esse parentibus, eorumq; animos emollire solent, ad nũtium crudelis & iniquæ in patrem sententiæ exanimata primum dolore, tantum tamen uirium recepisset, ut patri dum a iudicibus in carcerem reduceretur, posset occurrere, properansq; eo aduenisset, qua lictorum & satellitum regiorum turba circunseptus pater transibat, statim per medios lictores inter arma satellitum irrumpens fœmina, cui iam pietas multorum uirorum robur addiderat, in parentis complexum accurrit; cumq; dolor uocem præclusisset, lachrimis autem, quibus sinũ eius opplebat, animi affectum ostenderet, parentem complexa, ut uix ab eo aliquandiu diuelli posset: Quæ tum animi uis, quę naturæ nõ iam humanæ, sed plane ferinæ duricies, huic talis filiæ, miserabili etiam hostibus pietati obstitisset, ut non simul cũ ea in lachrimas soluerentur? Quales hic doloris stimuli, ac q̃ acres patris animo fuerunt, talis præsertim patris; qui cum omnium suorum natura amantissimus esset, præcipuo tamen amore Margaritam dilexerat, ut in qua omnia elucerent, quę parenti iucundissimam efficere prolem possunt; hanc ex omnibus præcipue charam habuerat: cũ talis filiæ pietatem intimos suos sensus subire sensit? cum eo in loco, quo uix ulli uiro patere aditus uidebatur, prius pene in sinu suo hærere filiam sensit, quam aduenietem uidisset? quas uero illam doloris faces ei admouisse par est, cum aliquandiu in eius complexu nihil effari ualens adhærescebat? quas, cũ inde uix ui auellebatur? Quæ uero tormẽta iam, & cruciatus animi, cum semel auulsa, iterum eadem pietate percita, eodem cũ impetu rediit, & ui maiore ægre abstrahi potuit? Quanto hic robore animi opus erat, quanta consolatione illi, cui ipsa naturæ consolatio dolores omni morte grauiores obiiciebat? Verũ qui his resistere potuit, qui hos impetus sustinere potuit, qualis tandem Christi martyr habẽdus est? Atqui sic his omnibus restitit Morus, ut prorsus inuictus dici possit. nullam doloris uocem quisquam ab illo missam audiuit, sed tanquam iam ex cælo reuertisset, quo properabat, & secum Christũ adduxisset, qui omnes naturæ dolores uicit, quo præsente nulla miserabilis uox emitti potest. Ita Morus uoce, uultu, gestu, ostẽdit se omnes naturæ insultus superasse; & omnia quæ infra cælum dolorem facere hominibus soleant, uicisse; cum nihil de oris constantia remittens, filiæ respondit, se quæcunq; pateretur, etsi innocens pateretur, Dei tamen uoluntate pati; illam arcana pectoris sui nosse; quo magis gratulari sibi debere, q̃ dignus a Deo habitus esset, qui pietatis

Eadem a patre auulsa iterum accurrit ad illum.

Morus Christi martyr.

Mori verba ad filiam suam Margaritam.

religionisq;

religionisq; causa pateret. Proinde suam ipsa pietatem ad Dei uoluntatem accommodaret, & maximo tolerãtiæ bono in patris casu uteretur. O diuinæ consolationis uim maximam. O te Christe unicum animarum tum cum maxime laborãt, consolatorem, & uitæ nostræ ducem atq; exemplar perfectissimum. Quàm te in ipsis tuis uestigiis tuus discipulus est subsequutus? q̃ uel hæc sola uerba, tuum illum discipulum fuisse, tuum illi præsens numen in consolando affuisse ostendunt? Quid tu hic Anglia? an non si cętera desint, uel ex his paucis uerbis satis intelligis, non tam Margaritam charissimo patre, q̃ te optimo & tui amantissimo ciue, atq; adeo si quis unquam patris patriæ nomẽ apud te est meritus, parente tuo orbatam? Quin illud libenter scire uelim, quibus oculis, quibus auribus, hæc quæ iam dudũ narro, de condemnatione & supplicio Mori, uel audire cum referrentur, uel cum fierent, aspicere potueris. Sed tu potius Londinensis ciuitas, cuius in conspectu hæc gerebantur, cum e carcere eductum ad causam maiestatis dicendam uideres eum, ad cuius tribunal aliquanto ante reos maiestatis sisti memineras: quem tu puerũ, adolescentem, uirum, ingrauescente deniq; ætate per omneis honorum gradus summa cum laude & omnium gratulatione, propter rarissimas eius uirtutes processisse, & tandem ad amplissimum munus conscendisse uideras, & quia ciuis idem & alũnus tuus erat, non sine tacito quodam gaudii sensu uideras, quod in eo laudem tuam ac decus agnosceres: cum eundem e carcere sordidatum, ac reum exeuntem, non tam annorum numero, q̃ carceris pedore & molestia senem iam factum (tunc enim primum canum in conspectum tuũ carcer exhibuit) toto corpore, uiribus fractis, debilitatum, cum scipioni innitens, & sic etiam uix ægrũ corpus sustentans, non tam ad causam dicendam, q̃ ad certã condemnationem longissima & maxime celebri uia, potius traheretur, q̃ iret: quibus hęc oculis aspiciebas? Quid cũ eadem uia iam condemnatum, ut proditorũ pœnas lueret, redeuntem uidebas, cuius fides erga te nullo nec præmio nec supplicio ostentato potuerat expugnari, quibus oculis aspiciebas? Nempe lachrimantibus scio. nec enim certe aliter fieri potuit, cum uideam alienissimos etiam homines, qui eum nunquam nouerant, nũquam ab eo beneficium acceperant, tantum dolorem ex eius morte accepisse, ut cum quæ de ea re scripta circũferuntur, legerent, lachrimas tenere non potuerint: sed ut si suum ciuem, ac de se optime meritum, crudelissime & iniquissime necatum audirẽt, ita Moro hos

Morus pater patriæ.

Mori mors cũ omnibus Anglis, tum præcipue Londinensibus summum dolorem attulit.

Morus Lõdini natus

Exteri audita Mori iniquissima morte lachrimas tenere nõ potuerunt.

mini externo, neq; alia re q̃ fama sibi noto illachrimauerint. Ac mihi plane tanto interuallo hæc de illius morte scribenti, qui nõ tam multas priuatim amoris causas cũ eo habui, sed uirtutis potius & probitatis ergo, quodq; patriȩ utilissimum esse scirem, cũ amaui & colui; sic tamen (testis est mihi Deus) inuito lachrimæ oboriebantur, ut scriptionem maxime impedirent, & ipsas sæpe literas delerent, ut uix ultra progredi possem. Quocirca non dubito, quin tu hæc, quæ nunc nos tantummodo audita sine lachrimis recordari non possumus, eadem cum gererentur coram aspiciens, q̃ copiosissime fleueris. Nec enim tam feris animis homines procreasti, ut non huiusmodi casibus ualde moueantur. Sed scire abs te uelim, quem deplorare te arbitrabaris: Margaritȩ ne patrem, unum ex ciuibus tuis, innocentem condemnatum? At tuus tum pater, tuus inquam (si hoc forte ignoras) parens, tuum decus, tuum columen in conspectu tuo innocens ad supplicium ducebatur; tuus quidem natura filius, conditione ciuis, uerũ beneficiis pater; qui plura paterni in te animi signa ediderat, q̃ ullus unquam indulgentissimus pater in unicum & charissimum filium. sed nulla re magis se tibi parentem ostendit, q̃ ipso exitu, qui tua præcipue causa, ne salutem tuam proderet, uitam amiserit. Quare si quod in historiis Græcorũ de Socrate legit̃, quem iniquo apud Athenienses iudicio circũuentum, ut nunc apud te Morum, morte affectũ esse constat: cum aliquanto post in theatro, quo populus ad spectacula cõuenerat, ex tragœdia quadam recitaretur, interfecistis, interfecistis, uirum omnium græcorum optimum, statim ad illa uerba, tam acerbam recordationem cædis Socratis omnium animos subiisse, ut quanuis poeta, cum illa scriberet, nihil minus q̃ de Socrate cogitasset, ita tamen misericordia commouerentur, ut totum theatrum gemitu & lachrimis compleretur; ex quo paulopost, populi iussu sit in authores mortis quæsitum; & qui inueniri potuerint, occisi sint, reliqui exilio mulctati, statua etiam Socratis publice in foro proposita: si igitur illi causam habuerũt, cur eodem tempore & iusto odio in authores sceleris, & misericordia in hominem innocentissimum ac uirtutibus clarissimum incenderentur, cum illa quæ modo dixi, uerba in theatro recitarentur; quanto nunc iustiore & odio & misericordia commoueri debes ciuitas Londinensis, quæ eadem illa uerba, non domi in theatro tuo semel ab aliquo histrione, casu prolata, sed omnibus iam christiani nominis locis, a grauissimis uiris, tum cum maxime serio loquuntur, tibi sæpius exprobrata,

Authori ista scribenti lachrimæ oboriebantur.

Anglia patrem amisit, quum Morũ amitteret.

Socrates inique ab Atheniensibus condemnatus.

br ata, excipere cogeris, interfecistis, interfecistis, hominẽ omnium Anglorum optimum? Sed quid dico hæc uerba de uno tantum homine usurpari, qui multos Socrates interfecistis, qui multos & maiores & uobis utiliores q̃ suis esset Socrates, interfecistis? Quotquot enim ob eãdem quã Morus, causam necati sunt, longe supra omnẽ, quæ in Socrate cogitari potest, uirtutẽ ascenderant. Quid enim fuit in Socrate, quod non dico cũ Mori aut magni illius Episcopi ac Cardinalis Roffensis, sed cum minimi ex iis, quos supra dixi, monachis tot uirtutibus comparari debeat? Si uita primum, & mors, ac uitæ congruens mortis causa spectentur; nõ iam illi se, ut Socrates, egregios quosdam homines, sed Heroes, sed plane ciueis cælorum, & in cælis etiam tum cum in terris uidebantur uitam agentes, omnibus & factis & dictis ostendere. Sed cur hæc nunc commemoro? cur recito? an ut te ad lachrimas prouocem? Minime equidem, cum scire uidear, nõ posse fieri, si non omnem humanitatis sensum, talibus uiris orbata exuisti, ut in tam acerbo tuorum casu a lachrimis tibi temperes, quas uideam etiam alienissimis hominibus in rei tam miserabilis commemoratione erumpere. Cur ergo hæc nunc refero? Maxime certe ob hanc causam, ut Dei uolũtatis & consilii, quod maxime in istorum uirorum morte declarauit, te admoneam. Quid enim putas Anglia? an tales uiros, quos Deo charissimos fuisse ipsorum sanctissime acta uita, cum morte consentiens, ostendit: frustra apud te esse mortuos? Erras profecto, si ita putas; & non solum Dei prouidentiam & in suos curam ignoras, sed etiam tuam maximam utilitatem, honorem, lætitiam, ignoras; quę omnia in horum morte Deus tibi contulit; & ego, ut agnoscas, & amplectaris, admonere cupio. Caue enim putes Anglia, charissima mihi patria, me tãtum, quo lachrimas & gemitus tuos renouarem, quo uulnera tua cum maximo & tuo & meo dolore refricarem, nominatim te appellasse. Sed idcirco te appellaui, ut qua ratione, ex ipsis tuis uulneribus salutem, ex mœrore lætitiam, ex infamia decus eliceres, tibi exponerem. Id quod diuino auxilio fretus sane faciam. Accepisti tu quidem graue uulnus, & haud scio an grauissimum; si uulnus dici debet, quasi unum tantummodo, quod tibi tot pręstantes uiros, tanquam præcipua corporis membra eripuit, quo nec grauius ciuitati aut regno quicquã potest accidere; præsertim cum in eorum etiam manus, qui hæc tibi uulnera inflixere, deuenisse uidearis, quæ calamitas maior est profecto, q̃ ulla quæ uel ex bello, uel ex peste accidere possit. Verum

Socrates multi in Anglia occisi.

Fructum maximum Anglia ex istorum morte capere potest.

hæc quando ita contigerunt, infecta fieri non possunt. Quod autem est proximum, ut ex iis, quæ mutari non possunt, utilitatem, cum honore & salute tua coniunctam capias: si gratum tibi hoc est, fac eũ nunc auscultes, qui qua id ratione assequi possis, ostensurum pollicetur. Ego enim is sum, tuq;, ut spero, clarissime hoc perspicies, si modo illud pro comperto habueris, quod est uerissimum, nec cuiquam qui mediocri rerum humanarum peritia sit, dubiũ esse potest; nihil non modo ciuitati aut regno, sed toti humano generi accidere posse perniciosius, errore opinionũ in iis rebus, quæ ad animi primum, deinde etiam corporis salutem pertinent. Ex opinionibus enim quas cõceptas in animo habemus, tanquam ex norma quadam, uita omnis nostra dirigitur; quæ si rectę sunt, felices nos reddũt tam in hac q̃ in futura uita; sin prauæ, utrobiq; infelicitas ac miseria necessario consequitur, quæ etsi non ita hic apparet, propter adumbratam quorundam sceleratorum hominũ prosperitatem, quam uulgus falso felicitatem iudicat: Christiano tamen homini nihil potest esse certius. Hæc autem opinionum prauitas, in hominum genere tanti momenti esse uisa est misericordiæ Dei, cuius opus sumus, ut filium suum e cælo demittere uoluerit, qui hanc pestem ex animis auferret, & sanas opiniones insereret; tenebras discuteret, & lumen inferret: ac semel in omnibus præceptorem se nostrum præberet. In hac una re Christum, quandiu in terris homo uersatus sit, occupatũ fuisse scimus, ut exemplo primum, deinde ut uerbo etiam nos doceret. in hoc totum mysterium Christi passionis continet; quem quis potest in cruce pendẽtem intueri, qui quidem oculos sic fide illustratos habeat, ut intelligat eum quem uideat filium Dei esse, authorem felicitatis nostræ, & eũdem pręceptorem; qui non eodẽ intuitu cernat multo certius, q̃ ex omnibus scriptis libris cõcipi possit, uiam salutis non esse eam, quam error hominũ existimet, per rerum omniũ, quas uulgus bona uocat, affluentiam; quæ quidem impedimentum potius, ac moram afferunt felicitati, quam iter ad illam expediant: sed unam tantum uiam esse ad felicitatem sine errore consequendam, si nos diuinę uolũtati obedientes præstemus: a qua nullo corporis cruciatu proposito, nullo quantumuis sæuo mortis genere intentato, discedere debet, qui felicitatem quærit. Quæ omnia unico aspectu misericordiæ Dei in illo libro uitæ, author ipse salutis & felicitatis nostræ e cruce pendens manifestauit. Sic placuit Dei misericordiæ suam uolũtatem nobis exponere: in sanguine filii sui uolũtatem suam nobis

Error, & opinionum prauitas, humani generis maxima est pernicies.

Christus e cælo descendit, ut hominum animos malis opinionibus liberaret, bonis imbueret.

Via salutis.

nobis scripsit, in eo omnes nostræ leges exarantur, in eo uoluntas Dei declaratur, & certissima ad felicitatem uia patet. Atque hunc eundem modum declarandi nobis uolũtatem suam, eadem Dei misericordia, post Christi Dei & hominis per mortẽ assumptionem ad gloriam, in reliquis ipsius membris est persequuta, sanctis inquam apostolis & discipulis Christi, qui omnes Christi membra fuerunt, in quorũ sanguine a Christi uulneribus defluente, scripta sunt quæcunq; Christi doctrinam continent. Hi uiui libri fuerunt, in quibus docti & indocti, sapientes & insipientes, omne deniq; hominum genus legere posset, quæ esset uoluntas Dei, quæ uia ad felicitatem. In his primordia religionis nostræ sunt perscripta; per hos ecclesia plus nouit de uoluntate Dei, quam per ullos manu scriptos libros cognosci possit. Quæ enim in charta scripta sunt, etsi ab eodẽ spiritu sunt dictata (spiritu enim Dei haud dubie, quæ habemus Euangelistarũ & Apostolorum monumenta in nouo testamento sunt scripta) tamẽ ut archetypus maiorem semper authoritatem habet reliquis omnibus, qui inde descripti sunt, libris: sic qui sanguine martyrũ per scripti sunt libri aliis omnibus præferendi sunt. Hi enim archetypi libri fuerunt, in quibus solus Dei digitus apparet. In reliquis, quos habemus atramento in charta scriptos, manus hominum apparet: quæ etsi manum Dei sequens errare non potest, tamen minus habet dignitatis, pluribus aũt casibus est subiecta. Deprauari enim peruersa rõne & interpretatiõne hominũ possunt, atq; in plureis formas fingi; cum illi qui sanguine martyrũ scribuntur, adulterari non possint. Et hi quidem semper in ecclesiæ chartophylacio incorrupti asseruantur, per quos ecclesia rerum diuinarũ cognitione maxime creuit. Neq; enim unquam destitit in huiusmodi libris scribere pro sua misericordia Deus, donec omnium rerum cognitione ad salutem necessaria ecclesia abũdaret. Post sequuti sunt alii quoq; plures modi, quibus optimus Deus nobis uoluntatem suam assidue declararet. Sed hic sane per sanguinem martyrum docendi modus semper fuit præcipuus; qui in Christo Dei filio primum cœptus, in reliquis eius membris sic est deinceps cõtinuatus, ut in omnibus magnis controuersiis finiendis clemẽtissimus Deus sanctos suos martyres, tanquam archetypos sua manu scriptos, quibus contradici non posset, semper deprompserit: sicut hoc tẽpore, o patria mea, cum maximæ contẽtionum tempestates coortæ ecclesiam circũstant, ante oculos tuos deprompsit, & explicauit. Atq; hoc quidem est,

In sanguine Christi & martyrum, voluntas Dei, ac veritas optime scripta est.

Libri sanguine martyrum scripti, aliis omnibus sunt præferendi.

Martyres suos Deus tanquam archetypos depromit in magnis controuersiis.

de quo te admonere uolui, ut scias Dei in te benignitatem, quæ in maximum tuum & perpetuum commodũ, & apud omnes christianas nationes honorem cedet, modo agnoscas, modo ne ultro oblatum repudies. Vides opinor, quod nulli iam obscurum est, quam grauis & periculosa contentio multorum christianorũ animos occuparit, de iis quæ pertinent ad religionem, quæ omnium seditionum caput cum sit, grauius necesse est malum importet, maiorem perniciem afferat ciuitati aut regno, ubicunq; licentiam se tuendi nacta sit, quam alia quæuis pestis. Hoc tantũ malum cum nostro primum sæculo nobilissimam, & olim in religione retinenda constantissimam prouinciam Germaniam inuasisset, ita est deinceps per reliquas prouincias peruagatum, ut ad te quoq; contagio huius mali peruenerit; & ad te quidem multo facilius, q̃ ad alias, propter locorum uicinitatem, & assidua cũ Germanis commercia, a quibus iuuenes tui non minus libenter nouas dogmatum merces ad animorum interitum, q̃ aliarum rerũ ad quæstum spectantium deferebant. Quibus cum iam ualde infecta esses, subsidium primum a legibus quærebatur, quæ huiusmodi negotiationes grauissimis pœnis sanciunt, quod ita demũ tanto malo occurri posse earum authores, sanctissimi uiri, iudicarint. Quare hæ iam exercebantur, sed hæ non solæ. Adiungebantur enim quæ a sanæ doctrinæ hominibus excogitari poterant, ex scriptis remedia, quod malum ipsum per scripta serpere, & propagari uideretur. Sed ne hæc quidem gemina remedia malum funditus tollere poterant; hactenus tamen proficiebant, ut non tam late manaret, cum palam se proferre propter hęc duo remedia nec posset, nec auderet; sed intus delitescens, ita ipsum a sese alebatur, ut semper tempus maiore cum impetu erumpendi expectaret. Verum hæc spes, in improborum animis initio ualde tenuis fuit, non tam quod contra hæc duo remedia se parum ualere intelligebant, quam propter principis animum, qui nõ solum leges hac in re contra noua dogmata tuebatur, quod omnium bonorũ principum officiũ erat; sed quod nullus ante ipsum princeps fecerat, scriptis etiam suis, quasi obsidibus publice datis, se obstrinxerat, & confirmasse uidebatur, nunquam se eorũ qui noua dogmata disseminarent, fautorem futurum, ut in quos præclarum ipse librum scriptũ edidisset. Quare nihil erat quod magnopere sperare possent, eo Rege uiuo. Nec tamen spe omni destituti erant, Quod quo in loco princeps amores suos collocauerat, ibi femina omnium horum malorum, quãquam initio occulta,

Hæresis ex Germania in Angliam aduecta.

Henricus.viii. initio hæreticos & ex legibus puniuit, & scripto libro confutauit.

Anna Bullena Regis animũ hæresi infecit

culta, ita tamen feracia inerant, ut non possent non cum tempore crescere, & maximos fructus aliquando parere: ac tandem ipsum etiam Principis animum enecare, nisi is cõtinuo se inde explicaret. At explicare certe non potuit. ita enim cũ amoribus Sathanas irretitum tenebat, ita eum dulci ueneno inescauerat, nõ ignorans quos ludos, & quam gratum spectaculum sibi paulopost præbiturus esset, ut ipse princeps non iam quomodo se extricaret, sed qua ratione se magis indueret, dies noctesq; cogitaret; prorsus ut uideretur, non solum famam, sed regnum quoq; suum ad omne discrimen adducturus, nisi tantopere expetitis amoribus potiretur. Potitus est igitur aliquando tandem; & quanquã non sine maximo famæ suæ damno ac regni totius præsenti pene pernitie, uix tamen in amplexus amicæ uenerat, cum repente quasi recepto in intimas medullas ueneno, tanta simul audacia prorupit, ut non solum acta sua superiorum annorũ ipse rescinderet, sed leges regni & omnium maiorum suorum, leges ecclesiæ, leges deniq; Christi euerteret ac dissiparet, nihil iam certum nec in legibus humanis, nec in diuinis esse pateretur: omnia ad suam uoluntatem, uel libidinem potius, quæ amore & cupiditate agitata ferebatur præceps, reuocaret: tumultu autem & confusione omnia repleret. In hoc tam miserando statu patria cum esses, quis præter Deum, tantis malis opem afferre potuit? Ille uero attulit. Sed sentis ne adhuc remedium? senties tu quidem, modo ne recuses accipere: quod quale sit, statim exponam; si prius duo illa maxima, quæ te circunstant, mala consideraueris. Quorum alterum magis in oculis ac sensibus tuis uersatur, ex meretricio amore. ex quo quanta sit belli ciuilis conflata materia, ob regni successionem nunc in dubium adductam, uides: sed & belli externi quanta impendeat moles propter illius offensionem, qui hoc tempore inter principes christianos est potentissimus, quem tibi hostem duabus maxime de causis reddidisti, religionis inquam, quæ illi est antiquissima, & ignominiæ quam grauissimam adulterinum hoc matrimonium familiæ eius nobilissimæ inussit, amita ipsius, fœmina præstantissima, per summam iniuriam, cum iustissima esset uxor, tanquam incæstuosta repudiata. Hoc ergo unum malum est, & maximũ quidẽ ceruicibus tuis imminens, ex bellorum materia. Sed alterum adhuc est, quo grauius & periculosius laboras, seditio illa & opinionũ diuersitas, in iis quæ ad religionem pertinent, quę omnium malorum caput est. Sed nunc remedia cupis audire? utinam quidem sic cuperes,

Duo mala Angliam circunstant.

Bellum.

Schisma.

ut ostenderes intelligere te quantum in discrimẽ, nisi Deus propere succurrat, adducta sis. sentire te sane molestiam ex his tot malis animaduerto, & illud conqueri, eo te redactam esse, ut nescias quo te uertas, cui credas, cui assentiaris in tanta eorum, qui se religionis & ueritatis doctores profitentur, dissensione, & opinionum uarietate, ac pugna. At qui hoc ipsum huiusmodi est, ut nullum grauius malum accidere possit. Declarat enim hæc dubitatio in certam spem tuam esse de æterna salute; de qua qui fluctuat, nunquam profecto illam assequetur. Hoc quidem alterius est generis, quam te de rerum tuarum possessione esse incertam, quam dubitationem altera illa causa de matrimonio affert, dum times, ne grauissimæ propterea seditiones & intestini motus excitentur; aut potius, quod magis est ante oculos, ne externus hostis te quamprimum inuadat. Sed religionis malũ, infinitis partibus maius est, propterea quod illa etiam, quæ tu iam instantia times, semper secum affert, & de maioris boni priuatione timorẽ incutit. Quare de huius remedio primum agamus. Ac te hic patria consulo, tuam sententiam exquiro. Si totum hoc malũ hinc contractum est, atq; hic situm, quod multa quæ paulo ante certissima haberes, nunc in dubium adducta sint, ut quid sentire constantissime debeas, nõ occurrat: si ratio ostenderetur, qua ex hac animi iactatione, quasi in portum ad certam & firmam ueritatis persuasionem perduceteris; nõne id funditus sublatum esset? ita credo. Sed qui fieri, inquis, istuc posset, cum in tãto numero contraria & pugnantia asseuerantium, omnes tibi boni uiri uideantur, omnes docti, omnes deniq; ueros se Christi doctrinæ magistros affirment? Quid afferri posset, cur huic potius, q̃ illi fidem haberes? Recte quidẽ. hic iam totius tuæ æstuationis causa explicata est. At nunc contra audi. Quis melius potest omnem hãc dubitationem tollere q̃ Christus ipse? Si tibi Christus certũ aliquod e cælo signum daret, quo dignoscere posses, hos esse ueros ipsius discipulos, alteros non item: esset ne aliqua causa, cur, quę Christi seruam te ꝓfitearis, amplius dubitares? nulla plane. Sed ubi sunt hæc signa? expecta paulisper, si huiusmodi signum uis, potestatem tibi facit Christus, ut ad se mittas, qui sententiam suam sciscitentur, ac tibi renuntient. Vt ciuitates quę magna quapiam de re dubitabant, ad oracula legatos mittebant, sic tu aliquos ad Christum alleges licet. Sed hic me fortasse putabis in re omnium maxime seria ludere, qui ita loquar de legatione ad Christum mittenda, quasi is non in cælo nũc, sed alicubi in terris, ut

Opinionum varietas in Anglia omnia in dubium reuocauit.

Spe qui caret, saluari non poterit.

Doctores in Anglia contraria asseuerantes.

Oracula olim in rebus dubiis consulebantur.

Legatio ad Christum mittenda ad sciscitandam illius sententiã.

ris, ut illi olim oraculorum præſides dæmones, eſſet. Verum ſu-
ſtine parumper; & quos nam miſſura eſſes, ſi hoc re uera ageret,
conſidera; atq; ita ſtatim percipies, ioco ne, an ſerio, loquar. Ego
uero tibi proponam, qui mea ſententia eſſent mittendi. Nollem
equidem ſacerdotes ſolos mitteres, ut qui fortaſſe quæſtus ſui
cauſa, cuius rei ſæpius apud te inſimulantur, legationem ementi
ri poſſent; uerum optimum quenq; ex omnibus ordinibus cẽſeo
eligas, iiſq; ita delectis hoc negotii des. Quod ſi ex epiſcoporũ
ordine quenquam mitti oporteret, quem potiſſimum illinc aſſu-
meres? Equidem unum ex omnibus Roffenſem nomino. Et cer-
te ſi de epiſcopo mittendo conſultatio eſſet, tu ſcio, hanc meam

quinā legati ex Anglia ad Christū mittendi.

nominationem clamore & aſſenſu tuo pene præuenires. Tu ſta-
tim alta uoce clamares, Roffenſem mitti placet, ſi epiſcopus mit

Roffenſis.

tendus eſt. Quem enim alium habes, aut multis ſæculis habui-
ſti, quem ſanctitate, doctrina, prudentia, & in illo epiſcopi mune
re fungendo cura ac ſedulitate, cum Roffenſi compares? de quo
ita gloriari potes, ut ne apud exteras quidem nationes, ſi omnes
chriſtiani nominis prouinciæ hoc noſtro ſæculo perluſtrarẽtur,
poſſet facile reperiri, qui ita omnes epiſcopi partes ac numeros
impleret. Conſule, ſi forte de hoc dubitas, mercatores tuos, qui
ad multas & longinquas prouincias nauigarunt; Conſule orato
res tuos, qui exteras nationes adierunt; & dicãt tibi, audiuerint
ne de ullo tali epiſcopo, qui eam gregis ſui curã haberet, ut nun

Ioannes Fiſcherus Roffenſis epiſcopus optime munus ſuum obiit.

quam ab eius cuſtodia diſcederet: qui & uerbo eũ & uitæ exem-
plo ſemper paſceret, ac facultatibus iuuaret: in cuius uitã nihil
unquam ne temere quidem obiectum eſſet; in quo ſemper egre-
gia quædam laus eminuiſſet cũ ſanctitatis & doctrinæ, tũ in pa-
triam pietatis. Cuius quidem præter alia multa, hoc etiam præ-
clarum ſane teſtimonium habes, quod cum omnium ordinũ atq;
ætatum, præcipue uero iuuẽtutis Angliçe, ſummam curam & ſol
licitudinem ſemper habuiſſet, illud etiam effecit ſtudio ſuo ac

Roffenſis author fuit, ut Regis auia duo celeberrima collegia Cãtabrigiæ extrueret.

gratia, qua apud ſanctiſſimam fœminam Regis auiam, plurimũ
ualebat, ut duo celeberrima gymnaſia extruerent, in quibus ſtu
dioſi adoleſcẽtes poſſent literis & moribus rectis inſtitui, ut iu-
re optimo pater haberetur omnium qui uirtuti & literis operam
darent; cum illis cura, ſollicitudine, opera, omnia parẽtis officia
ſemper præſtaret. Idem uero celebratiſſimæ Academiæ Cãtabri
gienſis tutor fuit. Cancellarium enim elegerunt, quo in munere
omnium illic philoſophantium cura continetur. Quorum ſane,
non minus q̃ ouium ſuarum ſaluti ac commodis proſpiciebat.

Roffenſis, Academiæ Cantabrigienſis protector.

Sed quid opus est tam multa me de Roffensis uirtutibus dice- re, apud te præsertim, quam scio in uno illo Roffensis nomine, o- mnia ea quę ab optimo episcopo desiderari possint, prolixa & co piosa agnoscere; ex sacerdotũ autem numero omni habere nemi nem, cuius fidei plura, aut maiora credere ac committere uelis? Age uero, collegam ei adiungamus, ipsius quo ad fieri possit, si- milem. At illum quo ex ordine? Laicorum cēseo, sed eum talem, qui non facile delabi ad superstitionē posse uideatur. Hoc enim pene solum uerendum est in iis qui perpetua sanctitatis opinio- ne fuerint, ne in illa sanctitate superstitionis aliquid insit, ne ue ii pro Christi oraculo, superstitiosam aliquam sententiam nobis per errorem referant. Quare de tali quopiam cogitemus, qui cũ probitate ac doctrina Roffensi respondeat, cum a superstitionis suspicione longissime absit. Eiusmodi porro hominem si reperi- re uolumus, ad eos accedere necesse est, qui maxime prudentia, & rerum humanarum usu ualent. De iis enim minime dubitan- dum est, ne qua superstitione capiantur. Quod si hæc quæ dixi, omnia spectanda sunt in eo, quem tanta de re legatum cum Rof fensi mittamus: ut ipsa tuos omnes excutias, quem Moro aptio- rem ad hoc munus inuenies? At ne quęsituram quidem te alium, edito tibi huius uiri nomine, certo scio. Ingeniũ enim nosti, tan- tum, quantum in nullo aliquo tuorum nosti; & quidem ex longa rerum tuarum administratione nosti. De hoc igit' qui potes du- bitare, ne qua eum superstitiosa responsio eludat, cui scias a pri- ma statim adolescētia semper cum hominibus callidissimis rem fuisse, & tamen certo testari possis, sicut neminem ab ipso, sic nun quam ipsum a quoquam deceptum esse, hactenus dumtaxat, ut culpa in eo ingenii aliqua, aut prudentiæ minus fuisse uideret'? Reliqua porro omnia sic apta & apposita ad hoc munus recte fungendum habet, ut pene solus sit ex laicis, qui hæc omnia con iuncta habeat, probitatem, literas, prudentiam, studium salutis tuæ. Quibus certe omnibus ita excellit, ut nemo uel lōgo inter- uallo sit cum illo comparãdus. Quid ergo moramur, cum hic se nobis offerat? quin hosce duumuiros cōtinuo ad Christũ extru dimus, qui in hac dogmatum confusione, quæ nos non sine maxi mo animarum periculo, circunstat, certam nobis Dei sententiam referant? At illi (aperte nunc loquor) iam pridem, cum tu nihil minus cogitares, hoc ipsum munus sponte susceperunt; legatio- ne functi sunt, renunciarunt, certissimam Christi sententiam at- tulerunt. Sed tu nimirum adhuc dubitabas, quia nō satis crede- res ex

Roffensi collegæ laicus non alius potius quàm Morus adiungendus.

Roffensis & Morus libris suis Angliam de Christi uoluntate certiorem fecerunt.

res ex Christi sententia eos loqui. Quomodo autem hæc probo? Nempe te ipsa teste. Meministi ne, cũ Roffensis, etsi corpore maxime infirmo, etsi plurimis curis districtus, episcopatus inquã, & ouium suarum, quas nunquam intermittebat uerbo pascere, tũ Academiæ quoq; Cantabrigiẽsis negotiis implicatus, quibus tutor cum esset deesse non poterat, assidue tamen aduersus hæreticorum dogmata, quibus te infectam sciret, operosa & magna uolumina scribebat? tum is scilicet legationem renuntiabat, tum Christi oracula afferebat, ut te maximis de rebus animo fluctuantem certissimæ ueritatis anchora contineret. Si igitur hæc recordaris, quæ nũquam certe obliuisci potes; illa etiam, quæ una, nec magis obscure agebantur, tibi nunc scio occurrunt, cum eodem tempore Morus, is qui regni gubernacula manu tenẽs, quæ certe quemuis alium ab omni alia cogitatione auertissent, in mediis curarum publicarum fluctibus nunquam tamen intermittebat maxima etiam ipse uolumina conficere aduersus eadem illa dogmata. Tum scito eum etiam illa gessisse legationis ad Christum nomine, quam ipse communiter cum Roffensi tua causa susceperat, ut te de eius uolũtate certiorem faceret; cum tu interea nec legationem ullam huiusmodi suspicarere, nec quæ illi renuntiabant, ex Christi sentẽtia proferri satis crederes. Sed agnosce nunc tandem Christi in te benignitatem, qui, ut exploratum tibi faceret de sua sententia illos tum loquutos esse, quorum uerbis tu diffidebas, id quod diutius sine tua pernicie ignorare non poteras; eo modo, quo apostolos suos, qui primitias spiritus acceperant, eo modo quo seipsum maxime mũdo manifestauit, eo inquam modo declarare uoluerit, omnibus qui cæcitate mentis nõ tenerentur, hos domi tuæ natos, discipulos suos, a se doctos, suo spiritu plenos, suis armis instructos extitisse. Permisit enim Sathanæ, ut uel omnes inferorum portas contra eos patefaceret, ut suas omnes copias in eos emitteret, ut utrũq; tanquam triticum cribraret; quo omnibus manifestũ fieret potuisse illos omnibus Sathanæ conatibus resistere, ueros fuisse Christi discipulos; quæcunq; loquuti ii essent, non nisi ex Christi ipsius sententia protulisse: ita inquam omneis omnium Sathanę copiarum impetus sustinere atq; excipere potuisse, te ipsa atq; adeo uniuersa ecclesia uidente, non hominibus solum, sed Angelis spectãtibus; ut post Apostolorum tempora, ne in memoria quidem annalium reperirentur, qui gloriosius ad summum Christi nominis honorem, & ipsius uirtutis celebrationem, de Sathana triumphassent. Quid

Roffensis & Morus sanguine suo ueritatẽ enuntiant.
Ro. viii.
Luc. xxii.
i. Cor. iiii.
Roffensis & Mori de Sathana triumphus.

Duæ inferorum portæ.

enim patria? nonne ipsa tum aderas, cum omnes doli necterent, machinæ omnes admouerentur, omnes insidiæ compararentur, quibus humanus animus capi posset: cum ex altera parte, gratia principis, potentia, honores, & omnia quæcunque hominibus grata in hac uita & iucunda esse possunt, proponerent; ex altera carcer, cruciatus, infamia, mors denique, uel mortes potius, ad omnẽ terrorem intenderentur: cum his duabus simul inferorum portis Sathanæ exercitus eruptionem faceret iu duos Christi milites, ut eos tanquam de arce, de ueritatis sententia deiiceret? Aderas tu quidem profecto. quo tempore meministi, non modo illos non exanimatos metu, aut a propugnaculis summotos esse, sed gloriosissime repulsis hostibus, machinis omnibus disiectis, ac dissipatis, multo postea constantius in possessione ueritatis permansisse. Verum cum hæc spectares, nonne admirabaris? nonne te ipsa ex admiratione colligebas, & tecum ipsa cogitabas, quã firma, quam uera hæc sententia esse deberet, quam cum Christi uoluntate consentiens, quæ nulla ui, nullo impetu acerrimi ac potentissimi hostis extorqueri potuisset; cum tamen nihil non tentatum esset, cum omnia tela aduersariorũ eo directa fuissent, ut de eius præsidio ac propugnatione duo illi heroes deturbarent; quam quidem ueritatis sententiã quis retinere contra tot ac tam ualidos impetus potuisset, qui non ipsum in corde suo (ut scriptura loquitur) inhabitantem Deum haberet? Quid enim putas patria? non loquor iam de mortis terrore, quã scelerati interdũ contemnunt; de honoribus, potẽtia, apud principem gratia, diuitiis denique loquor; quibus ex altera parte opponebantur ignominia, cruciatus, mortis terror. Cum igitur hæ duæ inferorum portæ, eodem tempore apertæ essent, in quibus omnes Sathanæ copiæ instructæ conspicerentur: qui hæc omnia contempserũt, qui opes, honores, gratiam principis, qui egestatem, infamiam, principis odium, mortem denique neglexerũt, potuisse unquam credemus ea facere nisi supra naturæ uim ac robur, presens Christi auxilium, quod nos non uideremus, sibi adesse sensissent? Certe si aliter putas, non uideris satis intelligere, quantus sit Sathanę copiarum impetus, earum præsertim, quas altera illa auaritiæ, ambitionisque porta solet emittere. Sed considera paulisper, quã sit is ad sustinẽdum difficilis; cui ne ipse quidem primus noster parens, qui omnibus naturæ uiribus integer erat, & recens iã opus digitorũ Dei, par esse potuerit. Quid dico par esse potuerit? qui ad primum statim cõgressum, spe iniecta amplioris honoris consequendi,

ii. Cor. vi.

Mortem etiam scelerati interdum contemnunt.

Adam non potuit sustinere impetum auaritiæ & ambitionis.

sequendi, loco cesserit, uel potius ita conciderit, ut eius grauitatem casus nos etiam ipsius posteritas tãto interuallo sentiamus, & perpetua naturæ imbecillitate testemur. Quare ita fac tecum consideres. si natura integra tantam uim Sathanæ sustinere non potuit, cum uideas ex eadem stirpe homines, natura iam fracta & debilitata, sic illos impetus excepisse, ut non modo specie honorum & uoluptarum omnium obiecta nihil moti sint, sed ne tum quidem inclinati cum terrores undiq; & cruciatus, nisi cederent, intentarentur: quo sane maximo oppugnationis genere contra illum primum hominem, qui nondum terrorem ac minas nosset, uti Sathanas non potuit: ut hinc etiam appareat, quanto illis Adam filiis difficilior cum dæmone cõgressus esset, in quo tamen ita fortiter se gesserũt, ut nullis nec illecebris capi, nec minis deterreri potuerint, quo minus ueram sententiam ad ultimũ retinerent: quid cogitare hic potes? quid putare? quid aliud, quã quod modo dixi, eos supra naturam humanam, præsens Dei auxilium habuisse, quo tuti fuerint contra illos impetus, quibus ipsa per sese uis humana non potuisset non succumbere? quid inquam aliud, quam præsentem Christi uirtutem habuisse, eandem quam apostoli ac martyres; qua freti, robur omne inimici fregerint ac contuderint? Quod si uirtutem illis cum apostolis communem a Christo datam agnoscis; quam ipsi sententiam eadem illa uirtute defenderunt, non cum Apostolorum sentẽtia consentientem agnosces? Tu post tot annorum experientiam, qua horũ uirorum pietatem in Deum, beneuolentiam ac charitatem in te, fortitudinem, temperantiam, prudentiam, doctrinam deniq; eximiam, & omnibus admirabilem, tuis maximis in rebus perspexisti: post tam grauia testimonia diuinæ uirtutis in ea de qua nũc agitur sententia defendenda; adolescentulis nunc nescio quibus ambitiosis, quorũ nec uirtutis unquam ullius, nec doctrinæ periculum fecisti, diuini uero fauoris ne minimum quidem signum agnouisti, in re tanti momenti plus credes? horum opinionem illorum sententiæ præferes? Erit ne hoc dignitatis tuę, ut nihil dicam de salutis cura? aut si de hac quoq; dicendum est, poteris ne adduci ut hosce nuper exortos iuuenes, plus tuę salutis cupidos esse credas, quã illos tot tuis permagnis utilitatibus a te cognitos senes? O patria, quam uere dici hoc posset? pueros tuos tecũ ludere; nisi illud uerius, eos & sibi & tibi perniciosissime illudere. Qui cum hanc solam exercitationem doctrinæ habuerint in ludo sophistarum, ut malitiosa concludendi argumenti ratione,

Roffensis & Morus nec illecebris nec minis abduci a veritatis defensione potuerunt.

Roffensi & Moro exploratæ probitatis senibus Anglia potius credere, quam iuuenibus nuper exortis debet.

absurda quædam dictu effici ostenderet, cuiusmodi illa sunt, ho
mo non est homo, homo est asinus, omnis homo est unus homo:
has suas nugas a schola ad ecclesiam, a rebus ludicris ad res ma
xime omnium serias transferre conantur, ut ea probent, quæ pru
dentia communis respuit, Papa nō est Papa, Rex est omnia, Rex
habet duplex caput. His ne igitur tu minutis, non sophistis, sed
sophistarum simiolis, maximis de rebus, & iis quæ ad salutē ani
mæ pertinent, reiecta doctissimorum senum sententia, fidem ha-
bebis? hos ne duces sequeris? At rationes afferunt. quid si affe-
rant? putas ne rationem senes deseruisse, & ad pueros transfugis
se? Sed quid tandem afferunt? Nempe Papam aiunt moribus cor
ruptis esse, eoq; nō esse uicarium Dei. Num corruptioribus, quā
aliqui reges sunt? Num quam hic ipse, ad quem dignitatem pon
tificiam transferunt? Quid huius uita? cuiusmodi tādem est? san
cta credo, & culpæ omnis expers; in qua, si ipsi credimus, ut nihil
aliud dicam, abominabilis incœstus labes, annos uiginti totos,
insedit. Sed num in ipso aditu nouę potestatis, cum sanctissimos
uiros tam crudeliter occidit, tum se sanctum ostēdit? Num ut o-
mnium, qui uel pessimi fuisse memorantur, Pontificum facta in
medium adducantur, aliquid in iis tam nefarie factum reperietˀ
Sed quid si Pōtifex bonus sit? an hoc satis est causæ, cur eum ue-
neremur? an non potius nullā nos hominis probitatem, sed Chri
sti personam in Pōtifice uenerari solemus? Si nemo christianus
dicere potest, ullius hominis probitatē, & non unius Christi per
sonam affici honore, quid mea tantum refert, bonus ne an malus
homo sit; in quo Christi modo persona honoretˀ? Cum dico mea,
tua etiam dico patria. Si Christi imago ueneranda est, refert ne
utrum in auro, an in ligno expressa aspiciatur? Num tu ex auro
aut ebore factam honorabis: e ligno quanuis uili, aut etiam pu-
trido effictam, cōtumelia afficies, uel minus honorabis? quid ad
me Pontificum prauitas pertinet, quam scio mihi officere, nisi ue
lim, non posse; cum omnis eorum potestas sit ad ædificationem;
ad animæ alterius detrimentum nulla sit? Quid si non modo non
obest uere christianis unius hominis pōtificis prauitas, sed pro-
dest etiam, cum magis Christi gloriam illustret? Quid enim quę
so magnum, ac præcipuum a nobis fieret, si bonum Pontificē ho
nore afficeremus? quasi uero non ipsi etiam ethnici id facerent.
Cum autem ne uitiis quidē humanis deterreri uidemur, quo mi-
nus Christi imaginem ueneremur in eo, qui pro Christi tribuna
li sedens, ecclesiæ unitatem & concordiam retinet hic uidelicet

Si papa ideo non est caput ecclesiæ, quia corruptis sit moribus, quomodo Rex Henricus caput sit, cuius uitam adulteriis, homicidiis, sacrilegiis cō spurcatam esse oēs sciant?

Non probitatem hominis, sed personam Christi in Papa ueneramur.

ii. Cor. x. & xiii.

Christi gloriam illustrat, q etiam in malo papa Christi persona honoratur.

nos

nos uere Christianos ostendimus;hoc modo Christi gloria maxime illustratur. At enim malus est,sit uel pessimus : sibi tamen, non mihi malus est;& ut Paulus,cui munus prædicandi euangelii mandatum erat, dixit, uæ mihi si non euangelizauero; sic uæ Pontifici,cui pascendi Christi gregis munus est commissum, si non pascat. Quod si illius improbitas non contenta his finibus, ad Christi etiam contumeliam se proferat; non desunt remedia, quibus ecclesia huic malo facile medeatur. Tantisper uero dum nihil tale conspicitur,uerendum non est, ne plus illius improbitas obesse ecclesiæ possit,quã experimur personam conferre unitate continenda,qua diuulsa,omnia tumultu & confusione misceantur necesse est. Verum tui isti iuuenes,qui quantum rebus turbandis ualeant,cum tuo maximo iam dãno,& maiore adhuc,nisi occurratur,periculo ostenderunt;afferũt exemplum Græcorum huius temporis,qui intollerabili Turcarum tyrannide oppressi, misere seruiũt:quos negant Pontificem Romanum Christi uicarium agnoscere. Veterum enim nisi apertissime mẽtiri uelint, nõ possunt;cum tot extent testimonia illorum reuerentiæ in Pontificem Romanum. Sed ne eorum quidem possunt,qui auorum nostrorum memoria fuerunt; quo tempore Constantinopoli,christiani rerum potiebantur. Extant enim acta concilii Florentini, cui interfuit Imperator Constãtinopolitanus, quæ mirificum testantur,nõ Græcorum solum,sed & Armeniorum consensum, in Pontificis Romani potestate in omne christianum nomen agnoscenda. Sed horum scilicet exemplum non afferunt;illorum afferunt,qui nunc grauissimum sub Turca iugum perpetiuntur : ad quorum miserrimam uiuendi conditionem te deducere conanť, cum authores sunt,ut quæ illos præcipites ægit,sententiam amplectaris. Quid reliquum est, nisi ut Iudæorum quoq;, qui nunc uiuunt,exemplo suadeant,ut Christum ipsum Messiam fuisse negessa qua quidem impietate nõ ita certe multũ absunt. eo enim mox perueniẽt,qui iam Petri successorem Christi uicarium esse negauerint. At obsecro,quænam hodie sub cælo gentes maiore in miseria degũt,his duabus;quarum altera Christum Messiam negat,altera Christi uicarium nõ agnoscit?ut iustissimo Dei iudicio has impietatis suæ pœnas luant : cum quæ supra reliquas omnes nationes omni cognitionis luce illustratę fuerant,ut Dei uoluntatem & cognoscerent,& plurimi semper facerent;postquã illam repudiarunt,reliquis gentibus,quæ ab illis ut barbaræ & seruiles despectui habebantur,minus nunc cognoscãt, & omni-

1.Cor.ix.

Papæ persona continet vnitatẽ ecclesiæ.

Græci authoritatem Rom. Pont. agnouerunt antequã a Turca Constantinopolis caperetur.

Concilium Florentinum.

Iudæi qui Christũ Messiam negant, & Græci qui vicarium Christi non agnoscunt, miserrime viuunt.

um durissimam seruitutem perferant. En illa præclara exempla, quæ tibi pueri tui proponunt, ad quorum cognitionis normam tuam scientiam dirigere debeas. Verum in hoc quidem suis ipsi factis constant. Qui enim Regi ad imperãdum Turcicam disciplinæ formam proponunt, tibi ad parẽdum seruilem Turcarum necessitatem offerũt. Quid enim magis cum Turcico illo dominatu congruit, q̃ quod Rex nunc sibi uendicat, ut plus unus ipse nutu possit q̃ oẽs leges, q̃ omnia uetera iura, atq; ĩstituta ipsa ualeant? qui omnia omnium priuilegia rescidit, omnium iura ad se transtulit: qui religionis controuersias gladium manu tenẽs decidit. Atq; hoc Turcicum plane, & barbarũ. Sic enim Turcæ religionem se tueri dicunt, cum gladium ostẽtant. Sed ne hoc quidem magis, q̃ illud quod modo dixi, ut unus omnia pro sua libidine mutet. Quando enim unquam, non dico in Anglia, ubi semper populi liberiores sub regum imperio fuerunt; sed omnino in aliquo christianorum regno, auditum est, ut unus sic plus omnibus posset, & sic omnia suæ potestati ac libidini subiecta haberet, ut nullum cuiquam contra illius uolũtatem præsidium in legibus constitutum esset, sed regis nutus omnia moderaretur? O Anglia, si non penitus tuæ pristinæ libertatis memoriam abiecisti, fac tibi ante oculos nũc ponas illud tempus, cum Reges ipsi, qui male res tuas administrasse uiderentur, ad rationem publice reddendam authoritate legum adducebantur. Quantus tibi illa cogitanti dolor simul & indignatio debet existere, cum Regem uideas, omnes non ad rationem uocare, sed nullo iure diripere, spoliare, condemnare, ac trucidare? res tuas omnes dissipare, & tibi, ut cum pueris agi solet, post plagas nihil relinquere præter lachrimas? Ita enim tu nuper trucidatis in conspectu tuo optimis uiris, qui tuum ius & libertatem, & quod omnium indignissimũ est, Christi & ecclesiæ causam defendebant, nihil opis afferre potuisti preter lachrimas, & inanem commiserationem, quæ facinorosis etiam, cum pereũt, denegari non solet. At ne lachrimæ quidem tibi post hac tutæ erunt: atque haud scio an nunc etiam sint periculosissimæ. Iampridẽ tibi os occlusum est, ne loqui posses. Quid restat, nisi ut lachrimas etiam & suspiria prohibeant? si lachrimas miseris, si ingemueris, siquam doloris significatione dederis, uapulabis, grauiores ac plures plagas accipies. Quam tibi reliquæ tuæ fortunæ in tuto sunt, cum post eorum, quæ maxima habebas, bonorum ereptionem, ne lachrimandi quidem aut liberius ingemiscendi facultas relicta sit? Sed quid ago? nihil ne

Hẽricus Turcico more dominatur in Anglos.

Angli sub aliis regibus liberrime semper vixerunt.

Angli, Reges suos ad rationem publice reddendam aliquoties coegerunt.

Anglis suam miseriã nec eloqui nec deflere licet.

præter

præter lachrimas loqui possum, qui cōsolatiōnē pollicitus sum; qui has partes patriam alloquendi mihi sumpsi, ut consolarer, ut lachrimas abstergerem? An hoc est abstergere lachrimas, cū miserrimam alicui uitæ conditionem proposueris, & quammaxime miserabilem, sicut re uera est, sic etiam uerbis & oratione ostenderis, tum ereptam etiam esse, quæ nulli eripi uideatur posse, libertatem diceres? quo quid cogitari miserius, & lachrimis digni us potest? An hoc meum promissum fuit, ut te in hac miseria iacere paterer? Minime sane, nec uero te patria deseram, nisi tuipsa te deseri uolueris. Ac primum fretus Dei misericordia, tibi denuntio, esse in tua potestate situm, utrū perpetuo doleas, an summum dolorem maxima lætitia commutes. Sed nonne hoc ipsum prius ostendi, cum Dei in te benignitatem ac clementiam exposui? cum sanctissimorum hominum morte, quasi quibusdam hostiis cæsis, fœdus tibi cum Deo renouatum esse dixi? quod quidem si sancte obseruabis, iam ille omnem lachrimam, ut inquit Propheta, ab oculis tuis absterget, & omnē mœroris causam sic auferet, ut nihil præter gaudii & lætitiæ materiam relinquat. Sed quid ni obseruares, cum nihil in eo fœdere nouum sit, sed omnia translatitia? cum nullæ nouæ ascriptæ sint conditiones, sed eædem illę, quas pauloante agnoscebas libenter, quanquam non nisi atramento in charta scriptas, in cordis tui tabulas relatæ & sanguine martyrum consignatæ, ne qui te abducere a Deo cupiunt, adulterare illas possint, ne te uersuta & malitiosa ingenia ad suum nefarium quæstum, uel perniciem potius & tuam & suam, noua aliqua interpretatione inuēta, abducant. a quibus tuum omne malum est ortum, quod quidem magis magisq; indies serpebat; nec constitisset priusquam te totam occupauisset, planeq; confecisset, nisi Dei misericordia tuæ ignorātię subuenisset, atq; eo modo, uolūtatem suam perscripsisset, ut non minus quiuis indoctus quàm doctissimus quisq; eam & legere & intelligere posset; ad quod sane assequendum nulla præterea arte opus est: pius & christianus animus satis est: quem qui afferet, etsi literis doctrinaq; caruerit, nihil is doctissimo quoq; inferior erit ad uolūtatem Dei ex hoc, quod dixi, scripto perspiciendam. Quinetiam omnes qui illam ementiri ac calumniari conabuntur, quantūcunque ingenii & literarum nomine se iactent, sic refellere poterit, ut quo se uertant non habeant. Quid enim quæso dicet qui doctrinæ opinione inflatus est, aduersus eum qui nullis sit literis imbutus, in illis causis, ꝓpter quas Christus suos sanctos, quos

Morte sanctissimorū ciuiū fœdus Angliæ cum Deo renouatum est.
Esa. xxv.

Voluntas Dei in sanguine martyrum perscripta.

Indocti quid respondere possint sciolis rationem, aut scripturæ verba ad impugnandam veritatem afferentibus.

tu optime cognouisti, mori uoluit? Locos credo scripturæ aliquot citabit, iisq; expositionem suam contra Roffensis & Mori sententiam callide excogitatam adhibebit. At simplex Christianus, qui hosce tales uiros nouerit, quid respondebit? hoc scilicet, quod est apertissimum, Roffensem & Morum ratione non caruisse, sed potius sic ea pręstitisse, ut omnium iudicio nulli non anteferrentur: qui non in scholis tantū specimen ingenii dederint, sed in luce regni, maximis in causis, & omni genere disciplinæ, quo ingenium excoli solet, ita sint uersati, ut nulli multis sæculis, literis & ingenio clariores extiterint. Quare siquid ratio in sensu scripturæ percipiendo ualere potest, plus illis credendū esse, qui & plura & grauiora testimonia doctrinæ & ingenii habeant. Atq; hæc quidem quiuis indoctus uiuis etiam tum Roffensi & Moro dicere potuisset, uel doctissimo cuiq;, qui illorum sententiæ suam opponeret. Quæ cum diceret, nemo certe in tota Anglia fuisset, qui post hanc responsionem quicquam ultra obiiceret. Nunc autem postquam illi sanctissimi & doctissimi uiri de uita maluerunt quām de sententia decedere, quid indoctus contra hos ex scriptura citatos locos ad oppugnandam talium uirorum sententiam, dicet? Nempe hoc. Nos uero libros quos tanto pere iactatis, uobis relinquimus; qui cum charta & atramento constēt, pro uestri ingenii prauitate peruerti a uobis, & in diuersum quam scripti sint, sensum torqueri possunt. uerba non attendimus; quæ etsi Dei uoluntatem contineant, quam ii cernūt, qui ecclesiæ, id est spiritus sancti lumine, mentis aciem illustratā habent; maliciosa tamen interpretatione adhibita, quasi fallaci aliqua e uitro transenna obiecta, errorem simpliciorum oculis offerre possunt. Id quod moliri uos, atque omnibus modis agere nunc animaduertimus. Vt enim præceptum illud Dei primo generis nostri authori datum, quamuis simplicissimam ueritatē contineret; dolo tamen & callida interpretatione serpentis elusum est, qui cum flagraret hominis odio, studium simulans, se illi consiliarium obtulerat: sic nos uestram istam prudētiam nihil ab illa serpentis, id est Sathanæ prudentia distātem, uestras suasiones, eo semper spectasse nunc agnoscimus, ut ambitioni ac cupiditati uestræ, quam egregie nouimus; non nostræ utilitati, cuius nulla unquam ratio uobis fuit, cōsuleretis. Itaq; etsi diu nos, ut ille serpens primos parētes, decepistis simulatione beneuolentiæ in nos; homines præsertim literarū ignaros; cum fucū etiam & lenocinia uerborum ad suadendum adhiberetis: aliquando

Hæretici in Anglia scripturam torquent ad suum sensum.

Hæretici in Anglia imitantur serpentis astutiam.

tamen

tamen Dei misericordia, quales essetis, nobis patefecit, cum libros aduersus uestram istam fallacẽ sapientiam, tales misit, quos & legere omnes, & intelligere possemus. Quo factum est, ut non amplius uerba audiamus, sed iã res spectemus; & eas digito Dei scriptas, sanctos inquam Dei martyres; quorũ mors uitæ ex Dei & ecclesiæ præceptis constanter actæ consentiẽs, plus nobis unico aspectu, quoties in ipsam intuemur, de uoluntate Dei ostẽdit, quam omnia hominis aut manu scripta, aut uoce enuntiata possent. Qua in morte nisi inter alia hoc etiam legeremus, pro inimicis orandum esse; fieri sane non posset, ut uim a uobis manusque abstineremus; tanquam a lupis, quos uideamus gregem domini dissipasse, multos ex eodem grege deuorasse, reliquorum uitę ac saluti insidias comparare. Sed spatium scilicet uobis damus, ut eosdem nobiscum libros legatis. quod si facere recusetis, nõ minorem nostram clementiam in uos, quam in lupos, & communes animarum nostrarum hostes expectetis. Verum apagete, ne nobis post hac nouas uerbi Dei expositiones ingeratis. O magnam nostram cæcitatem, qui tam sero hæc uiderimus, quæ erãt maxime perspicua, quorsum noui isti dogmatum authores tenderent. O leuitatem incredibilem nostrã, qui nescio quibus adolescentulis, quorum uirtutis ac doctrinæ specimẽ nullum nobis extaret, noua dogmata, nouas scripturarum expositiones afferẽtibus, maiorem fidem habuerimus, quam sanctissimis & omni literarum genere ornatissimis senibus, tot sæculorum perpetua cõsuetudine firmatam ecclesiæ sententiam nobis proponentibus. Quanta hic cæcitas, quanta hic leuitas nostra fuit? sed nimirum artifices illi fallendi, sacerdotum corruptos mores nobis assiduę proponebant, ut his tanquam tenebris menti nostræ offusis, dogmata illorũ improbaremus, quorũ uitam probris omnibus contaminatissimam intueremur. At quanta hic cęcitas etat? quasi uero dogmata ipsa, prodita primum essent ab illis sacerdotibus quorum uitia execraremur: aut quasi hoc satis causę esset ad reiiciendum doctrinam sacerdotum, quod illos improbos esse sciremus: & non potius tum maxime amplecti illam deberemus, si sacerdotum moribus offenderemur; quos quidẽ mores si corrigere cuperemus, tum maxime suis ipsi decretis astringendi erant, non etiam illa soluenda, quę semel sublata, non solum illos licentiores, sed uniuersum populum ad omne facinus audaciorem ac proiectiorem facerent. Sed talis fuit cæcitas nostra; qua si nos Deus premi ad tempus passus est, ut maius postea lumen nobis

Hæreticorum ars ad decipiẽdum populum excogitata.

Leges ecclesiæ non sunt reiiciendæ propter malos sacerdotũ mores.

offerret, nunc certe illius misericordiæ gratiæ sunt quāmaximæ agendæ, & in eum, quem nobis ipse proposuit archetypum librū suæ uoluntatis interpretem, oculi semper intendendi, ac reiectis omnibus quæcunq; ab hominibus res nouandi cupidis, primum proferentur, uetera, quæ nunquam exolescere possunt, credenda & amplectenda. O patria, siqui apud te sunt ignari literarum, istis tuis literatis noua doctrina intumescentibus, hæc dicerent, quæ omnia in eorum sanguine, qui uetera defenderunt, digito Dei sunt scripta; quàm cito uocem iis & omnem loquendi facultatem eriperent? Quod si tu ipsa idē & sentires & diceres, quàm cito Deus omnē lachrimarū causam ab oculis tuis abstergeret? Quàm omnia, pro lachrimis, lætitia & gaudio complerentur, cuius plausus, audeo dicere, ad cœlum usq; perueniret? At qui si tuā quietem, tuam trāquillitatem, tuum honorem, si salutem deniq;, non hanc solum præsentis sæculi, sed multo etiam magis illā futuri retinere uis; non potes non idem sentire ac profiteri, Deoq; maximas gratias agere, qui tali exemplo sanctissimorum hominum, quale multis iam sæculis uisum nusquam est, tuæ cæcitati & peruersæ hæsitationi in rebus, quæ maxime ad salutem tuam pertinent, mederi uoluerit. qui si per homines suam uoluntatem tibi declarari uoluit, quos potuisti tu eligere ad Dei sententiam perferendam aptiores iis, qui suo sanguine scriptam attulerunt? Nec uero iam loquor de Roffensi & Moro, quibus sine controuersia meliores aut doctiores nunquam cognouisti; sed non de singulis hominibus nūc loquor: totos ordines tibi propono, per quos Deus uoluntatem suam tibi denūtiare uoluit, qui ordines permultos tuo etiam iudicio optimos homines habebant. Sic enim dico, si religiosorum hominum ordines ad Deum legatos mittere uoluisses, reputa quæso paulisper quosnam potissimum fuisses missura. Sed quid opus est tempore ad cogitandum? En Cartusiensium ordo. En Brigittensium ordo. Et hic facere non possum, quin unum nominatim appellem, quem ego familiariter noram. ei Reginaldo erat nomen, qui & uitæ sanctitate cum præcipuis illorum erat comparādus, qui exactiorem ad Christi normam uiuendi rationem profitentur; & quod in paucissimis eius generis hominum reperitur, omnium liberalium artium cognitionem nō uulgarem habebat, eamq; ex ipsis haustam fontibus. Nam tres præcipuas linguas, quibus omnis liberalis doctrina cōtinetur, probe callebat, & solus ex monachis Anglis callebat. Ad cuius sanctitatis pariter & doctrinæ laudē in omne tempus confirmandam,

Gratiæ Deo agēdæ, qui morte sanctissimorum hominum cæcitati Anglorum mederi voluerit.

Reginaldus Monachus Brigittensis patibulo astās, iam iāq; moriturus, concione egregia populum hortatus est ad perseuerandum in fide catholica, pro qua se mori palam professus est.

confirmādam, & ad cumulum pietatis in Christum, & in te o patria charitatis ostendendum, nihil deesse uidebatur, nisi ut cum aliis heroibus tuo tam necessario tempore ueritatis testimoniū legationi, sanguine suo daret. Dedit, & inter primos dedit, tanta quidem animi constantia, ut, quod mihi retulit, qui se ei spectaculo interfuisse, & omnia quæ agerentur attentissime obseruasse diceret, cum in illū feralem laqueum caput insereret, torquem potius regni insigne, q̄ supplicii instrumentum induere uideretur. tāta erat in uultu alacritas. O beatum uirum, & dignum cui tu patria plurimum credas. Cæterorum nomina non noui, sed scripta sunt in libro uitę. Nos uero ordines enumerare cępimus, qui causæ Christi testimonium dederunt; & duos iam protulimus, quibus sanctitatis opinione, nulli in Anglia præstant. Restat alius, qui est obseruātium ordo sancti Francisci. Quos nam habes, quos cum iis tribus conferas? uel potius quosnam habes, cum ab iis discesseris, qui non prorsus ab instituti sui authoribus degenerauerint? Hoc scio te statim mihi assensuram esse, si uel minimo temporis momento cogitationem ad alios ordines retuleris. Et nunc non uides Dei erga te bonitatem, qui horum morte, horum sanguine, horū exilio (exulat enim apud te, sicut obseruantia ueterum omnium legum, sic ordo ipse uniuersus fratrum obseruantium) sentētiam suam testari uoluerit? Quid pręterea expectas? An ut Christus ipse descendat, ut iterum morte sua testimonium ueritati præbeat? Si hoc non expectas, cū Christus uicta semel morte amplius mori non possit; grauius certe ac maius testimonium quam quod iam datum est, expectare nō potes. Hæc enim sunt uiua membra Christi, & in iis ipse etiā Christus quodammodo passus est. per hos tibi patria scientiam ueritatis, per hos salutem tuam tibi nuntiari uoluit. Quid enim? nōne agnoscis summum tuum honorem, quem exteræ omnes nationes deprędicant, admirantes tam solidam ac firmam fidem apud te hoc corruptissimo sæculo inuentam esse, quam uix sperassent posse usquam reperiri? Sed quid exteras nationes horum uirtutem admirari dico? Angeli sane ipsi admirati sunt: & quod de Christo post passionem ad gloriam reuertēti, in persona loquēs angelorum propheta dicit, Quis est iste qui uenit de Edom tinctis uestibus de Bosra? Hoc idem cum summa admiratione existimato eosdem angelos dixisse de illis Christi mēbris ad Christum post martyrium uenientibus. Qui sunt isti qui a deserta orbis parte ueniūt, tinctis uestibus de Bosra? Nihil profecto mul-

Brigittenses, Cartusienses, & Franciscani, religiosissime in Anglia vixerunt.

Vniuersi fratres obseruantes in Anglia, quod diuum Franciscum secuti: Papam dicerent caput esse ecclesiæ, in carcerē cōiecti fuerunt. & Anno Domini M. D. xxxviii. quidam etiā eiusdem ordinis, nomine Forestus, venerandus senex, eadem de causa tanquam hæreticus cōbustus fuit.

Magnus honor Angliæ, tot protulisse martyres.

Esa. lxiii.

tis sæculis, nec in cælo, nec in terra simile uisum est. nullum eiusmodi miraculum est factum. hoc certe plus est, q̄ cæcorum oculos aperire, claudorum pedes stabilire, mortuos excitare, si ipsæ illæ animæ, quæ in religione cœcæ, claudæ, mortuæ denique fuerant, iam uiuæ sensibus diuinis fruũtur. Quare agnosce Anglia beneficium Christi hoc in te maximum: etsi adhuc nescis, quantum illud futurum sit. Quis enim scit, an hæc Christi benignitas quæ in te primum apparuit, ita sit ad omnes partes christiani orbis permanatura, ut quæ uitiosa illic sunt mẽbra, sanet? Quis scit, an nobilis illa Germania, olim quidẽ religionis fama nobilissima, quæ de poculo erroris ex manu iræ domini bibit; de poculo salutis, quam Deus tibi primũ propinauit, etiam ipsa sit bibitura? cuius Germaniæ tu quasi colonia dici potes. Tuus enim populus a Germanis originem duxit. Qui scis igitur, an Deus filiam matri poculum salutis propinare uelit? Vtcunq; sit patria, tuus hic iam honor est Christi beneficio, quod in te Dei thesauri sint primũ in hoc corruptissimo sæculo explicati, quos omnes prouinciæ admirantur. Ac historiæ quidem nobis referũt, te primam prouinciarum omnium ab Eleutherio Pontifice Romano, Rege Lucio, publice fidẽ Christi suscepisse. Ita & tum Christus hunc tibi honorem detulit, ut princeps cognitionem sui publice acciperes, & nunc qui proximus huic honor est, certam ac firmã de uicario suo persuasionem, apud te primũ reuelari uoluit. Quę etsi ante non incognita fuit, tamen hoc modo testatam aliquãdo fuisse, id est eodem quo Christus ipse sese mundo notum esse uoluit, ante hoc tempus non legimus. Quare tuus est hic quoq; honor Anglia præcipuus, tibi a Christo datus; in quem noli iam esse ingrata. Etsi nunc Roffensis tui caput, si Mori tui caput, si cæterorum sanctissimorum hominũ membra dissecta, & ad spectaculum proposita aspicere libet, potes id quidem nõ modo sine lachrimis, sed cum gaudio, hilaritate, & gratulatione; ut tibi permagnæ gratiæ Deo agendæ sint, quod tales uiros in ista insula existere uoluerit, non ab externis terrarum oris eo appulsos, sed indidem natos, & ibi susceptos, quorum cum perpetua uita tibi ad recte & faciendum & sentiendum exemplar, tum mors etiam quasi liber quidam esset, sanguine non atramento perscriptus, in quo quæ ad dignitatem salutemq; tuam pertinerent, legere semper posses. Atq; hic nunc patria te relinquo. hic meam ad te orationem concludo. Cupio enim te iam in eorum sanguine ea cernere, quæ ego nullis uerbis satis explicare possem. Quare te ab

Anglia Germaniæ colonia.

Authoritatem vicarii sui Christus primum in Anglia martyrum sanguine testatam esse voluit.

iis longius non euocabo, si unum tantum admonuero, ut ultimã Roffensis uocem, ultimam Mori recorderis, quas in eorum sanguine scriptas non reperies. Sanguis enim illorum clamat uindictam in authores sceleris. Sed ipsi scilicet pro Regis salute orabant; pro eius capite, qui sua capita præcidi iussisset, Deo supplicabant. Sic fecerunt reliqui omnes, qui eandem ob causam sunt mortui. Tu idem fac patria; roga Deum, uti non solum bonos uiros Regi consiliarios tribuat, ut illi inter cætera pro eius ac tua salute orabant; sed hoc etiam amplius, quod illi etsi diserte nõ dicerent, intelligebant tamen, Regi eum ut animum det, ut bonos consiliarios audire possit. Nunquam enim ei boni uiri defuerũt, quos consuleret, uel qui etiam se ultro consultores offerrẽt. Sed hinc nimirum omnis eius miseria atque infelicitas pendet, quod cũ bonos habeat, malis potius aures accõmodet; auscultet eos, qui quod libenter audiat, insusurrant, Regis esse omnia. Quãto melius, & sibi honorificẽtius, iis reiectis illos audiret, qui quod uerum est dicunt, reipublicę esse omnia, tua o patria esse omnia? ad Regem nihil pertinere, nisi ut quæ communia sunt omnium, ex reipublicæ utilitate procuret & administret? O quantum hic honoris, quantum ueræ securitatis, quãti thesauri in hac oratione insunt, si eam auscultaret? Sed tu patria fac memineris earum uocum, quas morientes sancti illi uiri pene cum sanguine ipso effuderunt, ut pro eius salute, qui tuam in summum discrimen adduxit, Deum roges. Quid enim? desperas ne qui talia perpetrauerit, posse ad sanitatem reuocari? magnas quidem causas desperãdi habes. Sed recordare Dei misericordias super alia omnia eius opera admirabiles esse. An uero qui ad duarum fœminarum charitate incẽsas preces hominem mortuum, & quartum iam diem sepulchro inclusum, ac fœtentem, ad uitam reuocauit, principem tuum propter peccata mortuum, & in naribus ecclesię fœtentem, cum una prouincia tota ad supplicandum conspirauerit, non excitabit? Qui pro peccatis nostris mortuus est, tot supplicum preces repudiabit? Si Mariæ & Marthæ piæ pro fratre preces non solum Deo gratæ fuerũt, sed ita ualuerũt, ut post summam omnium desperationem, Lazarus a morte ad uitam traduceretur; en altera Maria, en Martha altera. Caterina enim uxor, & Maria filia, altera pro uiro, pro parente altera rogat, nec ullis suis iniuriis retrahi a precibus possunt. En quã piæ ac sanctæ preces. At quem rogãt? eum qui uitam & mortem in sua manu habet; eum qui nõ uult mortem peccatoris, sed magis ut con-

Sancti viri iam morituri, pro Rege orãt

Orãdum vt Rex bonos cõsultores audiat.

Reip. non Regis sunt omnia.

Non desperanda Regis sanitas.

Io. xi.

Caterina vxor, & Maria filia pro Regis salute Deũ orant.

Ezech.xviii.

uertatur & uiuat; eum denique qui hoc ipsis in animum induxit, ut assidue orarent; qui uires supra humanā naturam dedit ut orare possent. Quid enim patria? putas ne naturam nostram præstare hoc posse, ut tot & tam atrocibus iniuriis affectæ, pro eius salute assidue orando persisterent, qui omnes intulit? Si hoc nō potest dici, quis tantam mansuetudinem, tantam patientiam dedit, præter Christum? Quis hoc illis suggessit, de quo natura cogitare nunquam potuit, præter Christum? Quis autem donare potest quod petunt, præter Christum? Quod si potest, qui impulit ut peterent, qui uires sustentauit, ut perdurare possent; de eius uoluntate quin etiam uelit, dubitabis? illic ne tu desperabis, ubi fœminæ sperent? Si exempla te ad sperandum erigere possunt; quantum exemplum habes in scriptura de Rege Achab, quem uxor ad impietatem & ad cædem prophetarum impulerat? de quo ita legitur. Igitur non fuit talis sicut Achab, qui uenundatus est, ut faceret malum in conspectu domini. concitauit enim eum Iezabel uxor sua, & abominabilis factus est. Hæc de Achab dicit scriptura, cui Deus per Prophetam ita minatus est. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si mortuus fuerit Achab in agro, comedent eum uolucres cæli. & tamen de eodem Achab, quem Propheta de uindicta Dei ob ipsius peccata admonuit, quia ad pœnitentiam conuersus est, in tātum ut de eo scriptura dicat. Cum audisset Achab sermones istos, scidit uestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite; de eodem igit᷑ Achab hæc ad Prophetam uerba a Deo facta sunt. Nonne uidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, nō inducam malum in diebus eius. En quantum exemplum misericordiæ Dei; & eo quidem tempore, quo Dei misericordia & gratia in humanum genus nō ita patebat, cuius fontes Christus nobis aperuit. Qui si hunc Regem tuum, de quo plane dici potest, nullus unquam Rex ita uenundatus est peccato in ecclesia Dei. concitauit enim eum uxor Iezabel: si hunc igitur demisso capite, deposito inquam nefario capitis titulo, ambulantem uiderit, si humiliatum uiderit, an eum reiiciet qui pro peccatoribus & iniustis est mortuus? an non potius in complexum accipiet? non fouebit? non peccata & sordes omnes emundabit? & eum meliorē sibi ac tibi restituet? si restituet, plane meliorē reddet. Nec enim qui post tot scelera euaserit, mediocri uirtute contētus esse poterit. Heroica omnia ab eo expectato. Sed quæ spes humiliationis? si

Naturā nō præstat ut pro inimicis oremus.

Achab sceleratissimus per pœnitētiam seruatus est.

iii.Reg.xxi.

Anna Bullena Iezabel.

Henricus si caput demutat cū Achab saluus erit.

tantum

tantum peccata agnouerit, ego illum tibi (scio enim cuius potẽtia fretus dicam) humiliatum, & pinde supra omnes reges exaltatum iri polliceor. Verum hoc tantum nunc ago, ut sua illi peccata ostendam; hoc me Christus agere uoluit, quem nondum tanto honore dignari uoluit, ut meo sanguine ea cõsignaret, quę ad tuam salutem pertinẽt, quemadmodum illis fecit, quibus cũ eram sententiæ societate semper coniunctissimus: Sed cum de uiris sanguinum animam meam liberasset, tum eo loco me constituit, unde tantorum scelerum authores libris possem calamo & atramento scriptis tuto increpare; maxime uero Principi ipsi magnitudinem peccati sui maiore libertate ostendere. Id quod nũc patria ago; & agam, quando hæc est uoluntas Christi. Tu tantiora, ut quę Rex noster me monstrante nõ potest nõ uidere, agnoscere tandem & confiteri possit. Quare, te dimissa, ad meum munus reuertor, ut eum alloquar, & ei peccata, quæ grauissima co... Deo admisit, pergam ostendere. Verum post tam sceleratum iudicium, quo tanti uiri, ornamenta non solũ regni unius, sed prope totius orbis, eo sunt authore condemnati, & crudeli morte affecti, quo pacto eum alloquar? Quæ uerba inueniam? An Ezechielis prophetæ ad Sedechiam regem, post non dissimile factũ, uerbis utar, atq; ita dicam? Tu prophane, impie dux Israel, cuius uenit dies in tempore iniquitatis præfinita, Hæc dicit dominus, aufer cydarim, tolle coronam. nonne hæc est quæ humilem sublimauit, & sublimẽ humiliauit? iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam; & hoc non est factum donec ueniret cuius est iudicium, & tradam ei. An ego nunc eodem modo te Princeps, cui nõ satis esse unum caput, una corona potest, Christi uerbis compellem, ut denũtiem cum dies ultionis tibi præfinita aduenerit, cydarim tibi & coronam ereptum iri, qui non semel iniquitatem, aut ter, ut Ezechiel in Sedechiam exclamat, sed iã sæpius admisisti? sed nondum faciam, ut te diuini iudicii admoneam: de hominum tantum iudicio, de tuo ipsius de te iudicio, prius loquar. Ita ne uero? Tu tales uiros, qui tuo iudicio olim, omnium autem qui illos norant semper, innocẽtia, uirtute, doctrina, præstantissimi sunt habiti, hos nullam aliam ob causam, nisi ꝙ contra conscientiam suam impiis tuis legibus assentiri nollent, potuisti morte afficere? nec tuum ipsius iudicium de illis, aliorum de te ipso ueritus es, ut nihil de diuino nũc dicam; cum scires bonis omnibus horum memoriam iucundissimam semper & maxime uenerãdam fuisse? Roffensem tu interficere potuisti?

Author Henrico regi scelus suum ostendit, sicut olim Helias Achabo.

Desinit alloqui Angliam, & redit ad Regem.

Ezech. xxi.

Morum tu necare? Tantum tu scelus concipere, tantum admittere dedecus potuisti? Mihi quidem, qui ipse nō adfui dum fieret, hęc animo reputanti, quasi dirum aliquod insomnium occurrūt; & qui referunt, somnia mihi sua narrare interdum uidentur. ita præter & meam & omnium de te expectationē accidit, ut tu tanto scelere te obligares, nō solum in illos homines quos omnium optimos noras, sed in ecclesiam Christi cui illi erant utilissimi. At certe nec Nero nec Domitianus, quanquam infestissimi christiani nominis hostes: si eos homines nouissent quemadmodum te certo scio nouisse, tam in illos immanes ac feri fuissent. Audeo autem iurare, ne Lutherum quidem ipsum, si Rex in Anglia tuo loco fuisset, qui hosce duos homines acerrimos aduersarios præter reliquos oēs expertus est, quem illi tot suis scriptis quotidie incessebant, sibi in animum inducturum fuisse, ut se talium uirorum cæde uindicaret. At quid in te tam graue commiserāt, quem nec uerbo unquam nec facto aliquo læserant? Impio uidelicet decreto subscribere noluerant. Quid si noluerāt? Nonne satis supplicii erat in illa perpetui carceris pœna, quam tu iis inflixeras? cuius carceris pedorem, quindecim iam totos mēses tum cum ad mortem educebant, perpessi fuerant. O Deum immortalem. in talibus uiris hoc tantum supplicium, nulli ipsorum culpæ, sed præclarissimo potius facto irrogatum, cuius quātumuis barbari & crudelis hominis animo non abūde satisfecisset? Tuo quidem non satisfecit. Iterum ex carcere, quasi ex sepulchro hostes mortuos extrahi iussisti, ut dilaniatione etiam corporis efferatum & immanem animum tuum pasceres. Illi enim perpetuo carceri addicti, quasi homines iam mortui & sepulturæ mandati erant. Quid noui quæso tum ab illis acciderat, ut iterum ad aliā mortem extrahi eos uelles? Quid noui ab illis monachis factū erat, qui sponte propter Christū, se in loca sola, & inaccessa, quasi in perpetuos carceres, abdiderant? Quid inquam commissum ab his erat, cur illinc abreptos, non una morte, sed pluribus discruciari iuberes? quid illud tandem causæ fuit? Nihil sane, nisi quod semel cōcepta in animo tuo impietas te in uno impie facto consistere passa non est, quiescere illic non siuit; sed ut scelere scelus cumulares stimulauit. Sed si non prorsus furiis & cæca quadam cupiditate actus hæc agebas; saltē aliquā afferres facti tui rationem, mitto iustam (hæc enim ne fingi quidem posset, ut maxime iusta lex fuisset cui illi subscribere nolebant, quæ certe iniustissima, ac plane impia erat) sed quę omnino ad iuris speciem

Nero taleis homines non interfecisset, nec Domitianus, tali de causa.

Roffensis & Morus aduersus Lutherum scripsere.

Impietas mater omnium scelerum.

probabiliter

probabiliter usurpari posset. Quæ autẽ afferri in eos potuit, qui ante legem promulgatam in perpetua erant uincula iudicũ tuorum sententiis coniecti, ut iam non in ciuium numero essent, nec de legibus, probarent ne eas an improbarent, interrogari deberent? Id quod peritissimus iuris Morus, in suo ipsius iudicio cũ causam capitis diceret, iustissime respondit. Et propterea nunquam est auditum, qui nec uerbo nec facto in leges peccauisset, quenquam esse ob silentium damnatum; eum præsertim qui nec interrogari debuisset, cum ciuitatis pars non esset, nec ullo modo restitisset. Sed omittamus iniquitatem, quam Deus hoc modo ad perpetuum tuum dedecus insignem omnibus esse uoluit. Nihil nunc loquor de iustitia facti; de fine tãtum loquor. Quid igitur tibi tum proponebas, cum homines innocẽtissimos, decus regni tui occideres? quam uel utilitatis adeptionem, uel damni declinationem? Hæc enim Tyrannorum mentes sæpe a iustitia abducunt. Dic ergo aliquando, quid commodi ex eorum morte sperabas? At id iam uideo; nimirum ut palã necatis tam illustribus uiris, illo iniecto terrore, reliquorum ora obstruerentur, ut nemo ne hiscere quidem contra legem, nemo (ut apud Esaiam est) in Tyranni Assyriorum personam pennam mouere, aperire os, aut mussare auderet. Quis enim si loqueretur quod contra legem tuam esset; clementiam aliquam speraret, qui animaduerteret Morum & Roffensem eandem ob causam morte esse mulctatos? Fuit ne hæc prudentia capitis ecclesiæ malignantiũ? Fuit sane, nec ulla alia causa esse potuit, nisi hæc, ut aliorum omnium animi metu retinerentur, quo minus legem improbare auderẽt. Sed uide nunc, ut hæc diabolica prudentia tibi in contrariũ cesserit, eodẽ plane modo, quo omnia quæ ab illo authore emanãt, execrataq; a Deo sunt. contra enim semper atq; expectabatur, cedunt, Quemadmodum scriptura nos de terra docet maledicta, quæ pro frumento expectato affert spinas, pro emolumento damnum. Si enim ulla unquam in re homines ad maledicendũ inuitasti, in hac certe talium uirorum cæde maxime inuitasti. Quicunq; enim boni sunt, quos tu solos uerebaris, a quibus solis tibi metuebas, non modo nihil sunt deterriti, sed haud scio qua re alia excitari magis potuerint, & ad loquendum & ad agendum omnia quibus conatus tuos impedirent. Quid enim? mortis ne metu eos deterrebis? & quis est sic sui amans, modo recte de fide in Christum sentiat, & uel Morum, uel Roffensem nouerit, qui iam post hos tanta uirtute & doctrina homines, dubitabit, quod

quem finẽ Rex spectauerit, quum tam præclaros viros occideret.

Esa.x.

Geñ.iii.

Iniusta Roffensis ac Mori cædes omnium ora contra Regẽ aperuit.

illos perpeſſos uideat, ſi res ita feret, ipſe perpeti? nec enim antea qui cauſam tuam improbabant, timore prohibiti tacebant; ſed quod quandiu duo illi uiuerent, non ſine ſpe quadam erant, poſſe te aliquando ad ſanitatem redire. Quare nolebant te, immaturo adhuc tempore, uerbo aut ſcripto, præſertim ipſi non appellati irritare. Nunc poſt hoc factum ita omnium animos cum indignatione in te, tum etiam tui deſperatione repleſti, ut neſciã an unquã poſt Chriſti ipſius morte aliquid fuerit apud oẽs chriſtia nos tua ſumma infamia ac dedecore uulgatius. Hoc quidem certe conſtat, neminem unquam chriſtianum regem, liberius omniũ uocibus cõtumeliiſq; lacerari; quem uero deterrueris neminem uideo. Mihi ſane contra accidit, id quod non ſine maxima mea admiratione experior, & tu hoc tempore experiri potes. Nã qui antea ſemper ſilerem, qui timorem ſemper præ me ferrem, iam uides, quam non refugiam, quæ ſentio proloqui. Equidem (ut teſte iam Deo dicam quid mihi acciderit) quo primum tẽpore de illorum nece accepi, quanquam certe non inficior me unum circiter menſem, quaſi ſtupidum, & ſine uoce iacuiſſe, rei nouitate, & miraculo tam inauditæ crudelitatis perculſum, tamen ut me collegi, qui ſemper cum illis uiris ſenſiſſem, non modo nõ occultandam amplius ſententiam meam eſſe duxi, ſed ſi illã antea in amici aurem inſuſurrare interdum ſolitus eram, tum ſupra tecta deprædicandam, quaſi iubente Chriſto, mihi perſuadebam. Tunc ad me illa uerba quæ in Eſaia habentur, non minus q̃ ad Prophetam ipſum pertinere iudicabam. Exalta ut tuba uocem tuam, ut non in regno ſed ſi fieri poſſet, per uniuerſum orbem ubi Chriſti nomen colitur, exaudiri poſſet. Quid enim? cum in natura uideamus Cyri filium, ipſum antea ſemper mutum, tamẽ cum hoſtem manum ad patris cædem iam admouẽtem uidiſſet, ruptis linguę uinculis exclamaſſe, noli Cyrum Regẽ occidere: Ego qui te uideam illos qui mihi parẽtibus ipſis propter Chriſtum chariores erant, interfeciſſe, & nunc etiam manum & conatus omnes tuos ad diſſoluendam eccleſiæ Chriſti concordiam admoliri, & quantum in te eſt magna ex parte diſſoluiſſe; quæ concordia non modo parentibus & patria, ſed uniuerſa rerum natura, charior mihi eſſe debet: Ego inquam non omnino mutus, ſed ab eccleſia matre loqui doctus, in tanto eius diſcrimine & iniuria, uocem non mitterem? non loquerer? non exclamarem? nõ etiam me quicquid ſum, impiis tuis conatibus opponerem? non omnibus uiis reſiſterem? Ego uero (præclaras illas cælo iam fruẽtes animas teſtor)

Author, qui haſtenus tacuit, nunc non poteſt nõ proloqui quæ ſentit.

Mat. x.

Eſa. xxxviii.

Cyri filius mutus.

& loquar,

& loquar, & scribam, & omnibus modis resistere tibi conabor; neq; ut spero ratio deerit, qua id assequi possim. Quem enim cui Christi nomen curæ sit, adiutorem in hac causa non habebo? Tu ad Regẽ Christianissimum mittis, ut tam impiis conatibus, quibus Christum oppugnas, fautorem se & adiutorem præbeat: & te non uel nomen ipsum christianissimi deterret, quo minus hoc ab eo petas? Si te nomen nihil mouet; quid tandem in eius factis uides, quod aliquam tibi spem ostendat posse te quæ uelis, per eum consequi? quid in omnibus eius actis rebus simile tuis? uel quid potius non maxime dissimile? Quid non in primis religiosum? quid est quod non egregium quẽdam animi affectum cum in Christum ipsum, tum propter Christum in eius uicariũ Pontificem Romanum declaret? Quis non modo eorum Regum qui nunc uiuunt, sed uel superiorum, maiora Christi uenerationis signa dedit in uicarii ipsius, id est, Põtificis Romani persona, hoc uno Francisco christianissimo Rege, cuius tu opem imploras ad oppugnãdam ecclesiam, & Rom. Pont. authoritatem? Quæ cum tot clarissimis rebus testata ab eo fuissent, ut amentis esset de eius alienatione quicquam sperare; tamẽ usq; eo præpostera ista & tua & eorum qui tibi in consilio adsunt, prudentia, te obcœcatum fuisse ostẽdis, ut non intelligẽs nec quid peteres, nec a quo, nec quo tempore peteres, Cum Rex christianissimus, in ultimam usq; regni sui partem, ut Pontifici Romano occurreret, se Massiliam contulisset, nec ut occurreret tantum honoris causa, sed affinitate etiam sibi illum deuincirẽt, data in matrimonium filio suo Principi Aureliensi, eius fratris filia; quo quidem tempore, nullum honoris genus, quod uicario Christi deferri, nullum arctissimæ familiaritatis officium, quod propinquo iam & affini tribui deberet, a Rege est prætermissum: Tum tu legatos eodẽ misisti, qui Pontifici conuitium facerent, minis etiam adhibitis, nisi iniustissimis postulatis tuis cederet; & ea in re, atque eo tempore sperauisti te christianissimũ Regem fautorem habiturũ. Quanta hæc quæso cœcitas fuit? At non minorem postea ostendisti. Cum enim congressum illum cõsequuta quædam essent christianissimi Regis facta, quæ facile omnibus testari possent, ueterum illum ecclesiæ decretorum ac rituum studiosissimum esse, & acerrimum defensorem, eaq; is omnia sua authoritate stabiliret, quæ tu euertere ac deiicere modis omnibus parabas; ne tunc quidem uidere potuisti quo cum ageres, sed multo etiam tum magis eũ per oratores sollicitare instítisti, ut ad dissoluendã ecclesię con-

Frãcisci Christianissimi Regis pietas, & erga Rom. Pontificẽ Christi vicarium obseruantia.

cordiam tecum conſpiraret. Sed qui poterat, niſi ipſe a ſeſe pluri mum diſſentire uellet, nec ſolum a ſeipſo & ſua perpetua conſue tudine, ſed a ueteri omnium Galliæ Regum præclariſſimo ſane & glorioſiſſimo inſtituto? Ii enim quaſi haſce præcipuas partes in republica Chriſtiana diuinitus ſibi datas haberent, ut eccleſię capitis ius defendendo uniuerſo corpori maxime conſulerēt, ita ſemper Pontificis Romani authoritate defendenda, maxime in eccleſia inter reliquos Principes enituerunt, ut merito nō ſolum hęreditarium cognomen Chriſtianiſſimi quiſq; eorum, ſed ab ſe etiam partum obtineret. Cum igitur ab eo nūc contendis, ut te- cum Rom. Pontificis authoritatem oppugnet; quid aliud petis, niſi, ut tibi ſua præcipua maiorumq; ſuorum ornamenta condo- net; ut ipſe a ſe deſciſcat; & quod maiores eius elogium pepere- runt, ipſe autem ſanctiſſime adhuc cōſeruauit, nūc deniq; in gra tiam tuam prodat ac deferat? Quales tandem hæ ſunt preces? qualem animum indicant? amicum ne, an hoſtilem? At certe mi- nus hoſtilem in ipſum animum præ teferebas, cū armatus de iu- re Franciæ regni contendebas, cum regis nomē illi eripere, ac ti- bi aſſerere conabaris, q̄ nunc facis, dum inſtas, ut pulcherrimum nomen, quod iam in cęlo ſcriptum eſt, ipſe per ſummum dedecus amittat. Nec enim certe par iactura eſſet, Regis Frāciæ nomine per uim ſpoliari, & Chriſtianiſſimi per turpiſſimam culpam amit tere. Illo enim nomine, regni tantummodo terreſtris, hoc autem cæleſtis & ſempiterni hæres ſignificatur. atq; hoc quādiu defen- det, Deus ipſi in illo altero tuendo nūquam deerit. Cognoſce er go poſtulationis tuæ æquitatem, qui ab illo petas, ut tua cauſa Rom. Pont. uicarii Chriſti authoritatem oppugnet, pro qua for tiſſime propugnando maiores eius Chriſtianiſſimi nomen ſibi compararunt, & poſteris ſuis cum regni hæreditate reliquerūt. Sed ſi nihil aliud, nōne tibi ſpem omnem aliquid ab eo impetrā- di contra eccleſiæ cōſuetudinem præcidere debebat uox illa ipſi us Regis Franciſci, qua nulla uuquam maiori plauſu a populo chriſtiano eſt excepta, cum hoc tuis oratoribus, qui ad res in ec- cleſia nouandas, amicitiæ iure opem eius & auxilium implora- bant, reſpōdit, aliis omnibus in rebus ſe tibi amici & fratris ani- mum præſtaturum; in iis quæ contra religionem fierent, obſequi nec uelle, nec poſſe: deniq; uſque ad aras conſtantiſſimum ſe tibi amicum fore. O uocem dignam eo, qui non nomine ſolum ac ti tulo, ſed re ipſa Chriſtianiſſimus erat; ut ſi maiores eius nunquā antea id nomen habuiſſent, nūc certe optimo iure decerni illi ac

Galliæ Reges hus capitis eccleſiæ ſemper defenderunt.

quàm inique & inhoneſte Hēricus rex a Chriſtianiſſimo rege petat.

Reſponſum Franciſci Regis chriſtianiſſimum.

Amicus uſq; ad aras.

tribui

tribui deberet. Qua enim re alia magis, q̃ tali reſpõſo animũ ue re Christianiſſimu declarare potuiſſet? Quàm tenui ergo ſpe ad eũ, rogo, acceſſiſti? Quã bona ſpe quiuis alius ad eũdem accede- ret, qui ut Põtificis partes defenderet, poſtulatũ ueniret? Quàm bona ego ipſe, qui id nunc ago, ad talẽ Principẽ accederẽ, ſuppli citer rogans reip. Chriſtianæ nomine, non ſolũ ne te contra ec- cleſiæ conſuetudinem, & ipſam primam ſedem omnia moliẽtem adiuuaret, ſed ut potius memor maiorum ſuorum, & ſuæ perpe- tuæ conſuetudinis in defendenda eccleſiæ concordia, omnibus modis te oppugnaret, & omnes conatus tuos reprimeret? An ue- ro illum putas meas preces tali in cauſa reiecturum, etiam ſi per ſona nihil authoritatis apud eum haberet, quando cauſa ipſa a quocunque ageretur, apud omnes chriſtianos principes, nedum apud Chriſtianiſſimum, authoritatem ad perſuadendum tantam afferret? Ego certe ſi nihil aliud in Rege Franciſco, præter gene roſos illos ſpiritus ipſi a natura datos, quos omnium uoce cele- brari audio, agnoſcerem; attamen poſt tantam tuam crudelitatẽ in illos uiros, quorum uitæ innocentia, ſanctitas, & doctrina, ta- li Regi ignota eſſe nõ poſſunt, quæ uniuerſo orbi chriſtiano fue runt notiſſima, minime dubitarem, nõ iam per maiorum decora, aut per res ab ipſo præclare geſtas, ſed uel per illa ipſa, quę in eo apparent generoſi animi ſigna eum obteſtans, impetrare, ut ſi te oppugnare, aut impiis tuis conatibus obuiam ire nollet, ſaltem ne te adiuuaret; idq; profecto ab eo obtinerem, quod nullo rogã te generoſiſſimam eius naturam iam pridem uideo impetraſſe. Ab hoc ergo deſertus, quouſq; te Deo impune illuſurũ eſſe ſpe- ras? Quid potes nũc expectare, niſi maximum iræ Dei flagellũ? an in quibus ſpem adhuc habuiſti, mendaciis, quibus libri cauſę tuæ defenſionem cõtinẽtes ſunt referti, & mortis ac cruciatuum minis in eos qui contra ſentire audeant, iis etiam nunc fidis? ho rum ope flagellum omne effugere te poſſe putas? An non Eſaiã audis, hæc tibi remedia dicentem parum profutura? ad te certe & tui ſimiles ſic loquitur in perſona Dei, ueſtra conſilia ſic expli cans. Audite uerbum domini uiri illuſores, qui dominamini ſu- » per populum meum. dixiſtis enim percuſſimus fœdus cum mor- » te, & cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans non ue- » niet ſuper nos, quia poſuimus mẽdacium ſpem noſtram, & in mẽ » dacio protecti ſumus. En Eſaias tanquam ſi conſiliorum tuo- » rum cõſcius fuiſſet, ita omnia illa exponit. Quis enim neſcit hęc adhuc tua conſilia fuiſſe, ut primum libris mendacibus cauſam

Generoſiſſimus Franciſci Regis animus non ſinit ipſum Henrici factis fauere.

Libri cauſam regiam defendẽtes mendaciis ſunt referti.

Eſa. xxviii.

Henricus rex mendaciis & minis mortis fidit.

tuam defenderes; Deinde etiam pacto quod fecisti cum morte, si qui uestro mendacio resistere uellent, ut morte plecteretur? Et nunc existimas, si ab omnibus deseraris, his te duobus præsidiis in tuo ipsius regno satis munitũ esse posse? At audi quid statim
» adiũgit Esaias. Delebitur hoc fœdus cum morte, non stabit: fla
» gellum inundans ueniet super uos. Quid enim? non mẽdacia tua reuelata sunt? non mortis minas uides contemni? nonne quo magis speras te hominibus timorem iniecturum, eo magis animas, & ad tibi palam obsistendum euocas? Quomodo ergo stabit pactum uestrum? quomodo hæc uos consilia defendent? Sed sine propheta, an hoc diuinare erit difficile? nonne animaduertis hostem istius causæ tuæ, & omnium conatuum tuorum potentissimum, flagellum manu tenentem, illud idem quod Esaias tibi mi
» nitari ac dicere? Delebitur fœdus uestrum: & reliqua Esaiæ uerba, flagellum inundans ueniet. Nonne uides quam potẽtem aduersarium Cæsarem ipsum habeas, qui non potest tibi non infestissimus hostis esse, nisi plane & naturæ leges contemnere, & religionis causam deserere uelit; quem utroque modo sic prouocasti, ut si uel scintilla generosæ naturæ in illo resideat, qui excellẽtissimam habet, uel religionis aliquis cultus, cui semper fuit deditissimus; facere certe nõ possit, qui se opponat conatibus tuis.

Carolus Cæsar non potest non esse hostis Henrico.

Quantum enim dedecus illud est, quod clarissimæ illius familię inurere paras? qui amitam eius, Regis Hispaniarum filiã, ipsam non minus omni uirtutis genere, quam familiæ splendore illustrem, post uiginti annos tecum matrimonio coniunctam, domo iam & thoro deturbatam, tanquam, quod dictu horribile est, meretricem exoletam reiicis, tuam uxorem esse negas, sed execrabilem & abominandam illius per tot annos cõsuetudinem dicis fuisse? Num tam insignem iniuriam familiæ suæ abs te impositam pati inultam poterit, generosissimus ille Cæsaris animus? num tantum dedecoris in se recipere, ut qui sæpe alienissimos etiam hoïes magno suo labore, ac periculo, mediocribus iniuriis prohibuit, idem nunc nobilissimam fœminam, & sibi sanguine coniunctissimam, in tam atroci iniuria, uel deserat, uel adiuuare non posse confiteatur? At hanc tu tantam iniuriam, qua uix ulla excogitari posse grauior uidebatur, altera multo maiore adiũcta, leuissimam reddidisti. Quales enim sunt iniuriæ priuatæ, si cum publicis conferantur? quanta autem, & quam publica est altera illa iniuria, non dico unius & alterius regni, sed omnium regnorum, quæcunque Christo seruiunt? Incepisti tu quidem a priuata

Caterina Cæsaris amita iniuriosissime ab Hẽrico. viii. tractata

in uxorem

in uxorem tuam iniuria, sed ita tamen priuata, ut simul duorum amplissimorum regnorum, Hispaniæ & Angliæ nomini, turpissimam & maxime abominandam ignorātiæ maculam aspergeret, cum sapiētissimos quosq; ex iis regnis homines authores per errorem nefarii & incęstuosi matrimonii constitueret; Angliæ uero priuatim præsentem pene perniciem afferret. Sed illic consistere non potuisti; nec tibi satis esse uisum est, si uxorem tuā Cæsaris amitam contumeliosissime tractasses: nisi etiam in sponsam Christi, matrem tot regum, tot nationū uniuersi populi christiani parentem, sine qua non modo nulla respublica, sed ne priuata quidem cuiusquam stare posset, iniuriosus esses. At quanta tandem hæc in ecclesiam iniuria fuit? nulla quidem in Christi sponsam tenuis esse potest, quæcunq; inferant, maximæ sint oportet. Sed tamē hæc abs te illata ita excellit, ut liquido declaret, in animo te habere ipsam funditus euertere. Nam quid aliud facis, cū spiritum Dei, pignus amoris in spōsam, pignus uitæ, & sempiternæ durationis, auferre ab ea conaris? Quid enim? nonne hoc conaris, cum tot ab illa, spiritu Dei authore, constituta ac decreta, tot longissima & nūquam interrupta consuetudine confirmata, nunc deniq; tanto interuallo in dubium reuocas? sed dicam ne te in dubium reuocare, quæ penitus rescidisti, & quibus contraria statuisti? Si tātum dubitares in iis quæ ecclesia approbauit, tum sane iudicio tuo ecclesiam Dei spiritu priuares. Nunc uero cum contra statuas atq; illa decreuit, quantulum illud est de spiritu Dei, quod ei relinquis? Nonne manifeste ostēdis te illius aduersarium & hostem esse? te eius authoritatē modis omnibus uelle extinguere? Nam qui aliter existimari potest, cum ei tutorem suum ipsi a Christo sponso relictum eripere coneris? Petro Christus ouium suarum curam commisit. Quod cum fecit, ecclesiam ei commisit; illum ecclesia lubēti animo pastorem accepit, & annos iam plus mille & quingentos perpetuo agnouit, cum nūc tu diuellere ab illa studes. Nec uero diuellere tantum, sed quasi supra mare non satis fidenti animo ambulantem, quia in multorū animis uacillare eius authoritatem uides, postq̄ Christus eum uocauit, & eius authoritatem confirmauit, demergere studes, & authoritatē penitus extinguere, ac te ipsum eius loco substituere. Ac ne hoc quidem solum, quod sane æquiore animo ferēdum esset, si saltem unum illi caput, unum tutorem præficeres; uerum in multa capita ipsam distrahis, multos ei tutores imponis. id quod manifeste ad ecclesiæ exitium spectat. Te autem unum ex

Henricus.viii. ecclesiam euertere studet.

Henricus spiritū Dei ab ecclesia auferre conatur.

Petrus pastor, & tutor ecclesiæ. Io.xxi.

Henricus se Petri loco constituere studet.

Ecclesia Hĕricum tutorē habere recusat.

præcipuis constituis. At uides ut illa te reiiciat, ut talem tutorē horreat & auersetur. Nec sane mirum. Qui enim uxorem tuam, sanctissimam fœminam, quæ tot signa dedit ecclesiæ spiritus in se habitātis, tam probrose tractaueris; fieri posse speras, ut Christi sponsa te tutorem accipiat? nunquam hoc, mihi crede, obtinebis. At tu tamen omnibus modis te infers. antea quidem blanditiis & promissis apud eius filios, ut te ad ipsam inducerent, agebas. blanditiæ nihil profecerunt, persuasi non sunt. Hic tu illos cum terrore ac minis, tum ui & omni genere crudelitatis aggressus es. A Sathana postulasti, ut omnes inferorū portas in ecclesiæ filios, qui tibi restitissent, patefaceret. Quid multa? apertæ sunt, id enim Deus permisit. Nihil uides eas ualuisse, non magis contra illos, q̃ contra ipsum tutorem, cuius tu authoritatem oppugnas. Quid ergo nunc tu? ut immanem istam iracundiam tuā saties, ex ecclesiæ filiis, qui tibi aduersari ausi sunt, præcipuos seligis, quos omni tormentorum genere excruciatos eneces, ut ita ecclesiam ulciscaris. hoc quidem te uideo fecisse; & nūc reliquos persequeris. Sed nunc quid Cæsar? num qui priuatam illam iniuriam in tuam uxorem, amitam suam, negligere sine magno suo dedecore non potest, hanc communem in ecclesiam spōsam Christi, suam uero & omnium Christum confitentium parentem, adiectam, inultam esse patietur? Num qui per hos mēses omnibus se periculis ultro exposuit, ut eos ulcisceretur ecclesiæ hostes, qui latrociniis oram Italiæ infestabant; te qui sic ecclesiam uexas, ut nemo unquam post acceptam publice a regibus fidem Christi, nec externus, nec domesticus hostis uexauit, impune in præcipuos ecclesiæ filios grassari permittet? præsertim cum & minori periculo, & maiori facilitate tuos omnes conatus reprimere, & impedire possit: qui sane multo maioris sunt momenti, quo maiora sunt ea mala, quæ animæ, quam quæ corpori & rebus tantummodo externis, inferuntur? Piratarum certe, quos Cæsar hoc tempore oppressit, crudelitas, nūquam ultra corpus processit: & ad corpus quidem hactenus peruenit, ut quos cepissent, bonis spoliatos pro seruis haberent, eos præsertim quorū opera uti possent; quibus tamen etiam ipsis permittebant, ut se pretio redimerent. Tu autem cum nulli piratæ cedis in diripiendis ecclesiæ bonis, tum non contentus corpora plus q̃ captiua, in carcerem, ubi nemini usui esse possint, condidisse, animas etiam ipsas in seruitutem abducis; quod nec Sathanas, nisi potestate a Deo accepta, facere audet. Tu tibi hoc etiam potestatis in omnes sumis, nō modo ut

Nemo unquam sic ecclesiam uexauit, ut Henricus. viii.

Henrici crudelitas maior, quàm Piratarū, quos Carolus Cæsar domuit.

do ut

do ut neminē patiaris libere quæ ſentiat effari, ſed ne opiniones quidē rectas intus in animis incluſas habere, quo ſeruitutis genere nullum miſerius ne fingi quidem poteſt; ut multo tu crudelior, q̄ ullus Pirata, audacior, q̄ ipſe Sathanas omnibus uideare; Tum uero ita eccleſiæ infeſtus hoſtis, ut cum nemine niſi cū Sathana conferri poſſis. An hæc Cæſar ſtudioſiſſimus ſalutis reipublicæ Chriſtinæ non uidet? an ſi non uideret, deeſſent qui dicerent? qui referrent? qui hanc imminentem reipublicæ Chriſtianę cladem, ante oculos ponerent? An ego ipſe, qui hæc ſcribo, ſi cæteri cunctarētur, id facere dubitarem? An me cum patriæ amor, & eccleſiæ charitas eo impellerent, poſſet aliqua priuata cauſa, uel ullius periculi proprii metus, retinere? Equidem teſtor & patriæ amorem, quem mihi natura ipſa indidit, & eccleſiæ charitatem, quam a filio Dei infuſam ex animo deponere non poſſum, ſi Cæſarem audirem cum omni ſua claſſe in altum iam prouectū, curſum ad ipſam Turcarum regiam Conſtantinopolim direxiſſe; etſi omnia mihi pericula proponerentur, nūquam quieſcerem donec ad eum peruenirem: ac ſi iam Helleſponti fauces tenētem conſpicerem, ut primum conueniēdi facultas daretur, in hæc uerba apud eum prorumperem. Cæſar quid paras? quid cogitas? quò iſto tanto apparatu nauigas? ſi amor reipublicæ Chriſtianæ te mouet, ut Regem Turcarum hoſtem antiquum nominis Chriſti, bello aggrediaris, an non unde maius periculum reipublicæ noſtræ imminet, & ubi præſens iam malū, & nouus hoſtis urget multo q̄ Turca infeſtior, eo potius curſum cōuertere te oportet? Tu quia uides tot millia chriſtianorum dura ſeruitute a Turca premi, præclarum putas tot populos liberare. & eſt quidem egregium. ſed ſi hoc laudandum, an non multo glorioſius, tot millia animarum erepta e gremio eccleſiæ, & iam in ſalutis ſuæ diſcrimen adducta, præſenti periculo eximere, & eccleſię ac fidei Chriſti reſtituere? Tale porro periculum imminere, eumq; iam extitiſſe hoſtem, qui hæc conetur, & magna etiam ex parte confecerit, non potes diſſimulare Cæſar te ſcire. Quod ſi id magis eſt laudādum; magis etiam neceſſarium uidetur ei malo in nos iam graſſanti ante mederi, q̄ corporum libertati conſulere; & quidem ita magis neceſſarium, ut niſi ei malo ſtatim occurras, fruſtra hoc quod nunc magis coneris, etiam ſi ſummotis ex Aſia Turcis uictor illinc reuertare. Quid enim quæſo tum ꝑfeciſſes, ſi pro iis quos ex Aſia expuliſſes, noui inter nos Turcæ exorti eſſent? Nā quid aliud ſunt Turcæ, quod ad religionē attinet, niſi ſecta quę

Henricus neminē patitur libere effari quæ ſentiat.

Oratio ad Cæſarē, hortans, ut Hēricum Anglorum regem potius quàm Turcam bello aggrediatur.

Præclarius eſt animas, quàm corpora e ſeruitute eripere.

dam christianorũ, qui ab ecclesia catholica olim desciuere? Nec enim Christi nomẽ Tucrę odio habent, nec Euangelia reiiciũt; sed ut Arriani olim, eam dignitatem Christo adimunt, ne sit filius Dei; ab Arrianorum autem secta multa hauserunt; & magnũ quidem prophetam Christum dicunt, & matrem eius Mariam non parua in ueneratione habent. Origo porro religionis Turcarum eadem, quæ omnium hęreticorum est, ab ecclesia enim primum defecerunt, capite eo quod a Christo relictum est, reiecto: atq; ita sensim a Christi doctrina desciuerunt. Quid igitur? semẽ hoc Turcarum nonne apud nos late sparsum uides? Vtinam quidem ita pusillum esset, ut uidere nõ posses. Sed uidisti, quod maxime dolendum est, in tua Germania. Verum illic nondum plane Turcicum semen, quia nondum authoritate publica, nec imperio unius, qui reliquis omnibus dominaretur, & cogere posset; sparsum est, eoq; minime adhuc desperandum est posse iterũ germanam illam Germanorum ecclesiam, adulterino semine oppressо, efflorescere, & ueros atq; uberes catholicæ ueritatis fructus parere. Sed ubi non minus florebat uera religio, sic in Anglia sparsum nunc est hoc semen, ut uix a Turcico internosci queat, idq; authoritate unius coaluit. Quod autem satum est, ut crescere possit, gladio defenditur; gladio contrȃ disputantibus omnibus respondetur. Atq; hoc prorsus Turcicum, sic enim eorum secta creuit. In hoc uero a Turcico differt, quod neminem ea secta cogit ad secum sentiendum. Qui Turcarum religionem non impugnat, etsi diuersam profiteat, apud eos tutus est. Quin bonos uiros quãuis contra sentientes, in honore & ueneratione habẽt; cui rei testimonio sunt Monachi illi Græcorum in monte Atho incolentes, quos ipse Turcarum imperator plurimi facit; cum ad illos etiam sæpe mittat, qui suo nomine petant, ut pro se orent, & suam salutem Deo, cui illos charissimos esse credit, commendent. Nemo uero toto eius imperio si taceat, cuiuscunq; is sectæ sit, ulli pœnæ est obnoxius. At ubi nouum hoc & pestiferum semen iactum est; in eum qui tacet, non minor pœna cõstituta est, quam in illum qui maxime aduersatur. En enim qui unus maxime & uirtute & doctrina excellebat, Thomas Morus ob silentii crimen est interfectus, monachis uero, quo sanctiores & religiosiores sunt, eo plus periculi impendet; omnium autem linguę gladii terrore retinentur. Quid quæris amplius Cæsar? si quantum periculi ex hac capitis reiectione ecclesiæ immineat nõdum hæc præclara initia, hæc uis, & crudelitas in sanctos uiros satis ostendunt,

Arriani.

Origo omnium hæreseon, negare caput ecclesiæ.

Turcicum semen in Anglia satum gladio defenditur vt crescere possit.

Monachos montem Athon incolẽtes Turca plurimi facit.

dunt, uel ipsi Turcæ, quos contra bellum paras, documento esse possunt, qui hoc aditu patefacto, Christi ecclesiã oppugnare aggressi sunt, cum supremi capitis authoritatem reiecissent, & pro ea gladii imperium induxissent; quo quidem sic se multis iam sęculis tuentur, ut sero ecclesia suos filios repetat, quos iam matris obliuio cœperit. Quod si ne Turcarum quidem secta satis ostendit magnitudinem eius, quod iam dudum oratione significo, periculi; ipsa sane Germania abunde id efficiet, si tecum animo reputabis, quam quieta olim, quã pacifica, quam religiosa prouincia fuerit, quã deniq; rebus omnibus creuerit, quoad se in unitate ecclesiæ continuit: & rursus hæc recentia tẽpora attendes, quibus & bello intestino uexata, postquam caput ecclesiæ repudiauit, & in uarias sectas diuisa ita iactatur, ut nullus finis malorũ fore uideatur, nisi iterum (quod Deus concedat) ad unitatẽ capitis reuertatur. Hęc certe unius capitis agnitio, firmissimũ semper propugnaculum ecclesiæ fuit. hoc semper omnium primũ aggrediuntur hæretici, hoc catholici semper defendunt. hoc ipsum Cæsar sic nuper in Anglia est defensum ab illis heroibus ecclesiæ filiis, ut nuda potius corpora telis hostium obiicienda putauerint, q̃ præsidium illud deserẽdum, quo expugnato, facillimus inde ad oppugnandã ecclesiam aditus Christi hostibus pateret. At expugnatũ tamen est, fortissimis quibusq; ex ecclesiæ filiis, qui sese opposuerant, interfectis. Quod quid mirum est accidisse, cum ducem hostes Regem haberẽt? Nondum uidelicet in tantis ecclesię malis, ad ullum regem hæc peruersa contagio contra ecclesiam sentiendi peruaserat. Peruasit aliquando ad nostrum, qui eodem plane modo suam hanc sectam defendit, quo Turca Mahumetanam. gladium enim strictũ ostentat omnibus qui dissentire a se audeant. Neq; quicquam nunc tantopere optat, q̃ sibi spacium ad se confirmandum dari, ut multo maiorem postea ecclesiæ perniciem inferat, quã ab ullo Turca illata sit. & inferet plane maiorem, si id quod cupit, assecurus erit. Tu ne igitur Cæsar hoc illi spatii dabis, qui tantum amorem in rem publicã christianam præ te fers, ut te omnia illius causa facere ostendas? Cũ hęc pars reipublicę male affecta, manum, opem, uires tuas imploret, cum ita maturum sit malum, ut diutius remedia differri non possint, si prodesse debeant: tu uires, tu auxilia aliò conuertes? ut ne spes quidem, propter longinquam absentiam tuam, & anceps bellum contra potẽtissimum hostem, reliqua esse queat, posse nobis, qui periculosius laboramus, q̃ illi ipsi, ad quos e seruitute li-

Germania quot malis laboret post repudiatum ecclesiæ caput.

Capitis vnius agnitio, propugnaculũ ecclesiæ.

Rex Angliæ eodem modo suam sectam defendit, quo Turca Mahumetanam.

Lan intulit.

berandos nunc properas, in tempore ſubueniri. An omnium tuorum ſpem & expectationẽ deſtitues, præſertim cum ea ſola ſpes in cauſa fuerit, quo minus adhuc domeſtica ſua auxilia experiri uoluerint; quo minus ſuis ſe uiribus defendere tentarint? Noli enim putare Cæſar, Anglis generoſos ſpiritus deeſſe; noli exiſtimare, ſinceræ religionis amorem eſſe penitus extinctum. Huius rei coniecturam certam facere potes ex illorum morte, qui religionis cauſa ſe immolandos religionis hoſtibus præbuerunt. Si Deus ſeptem millia uirorum Heliæ tempore, cum Prophetæ ab impio Achab, ſuaſu impiæ uxoris Iezabel interficerentur, ſeruauit, qui non curuarent genua ante Baal: noli exiſtimare hoc tempore, quo gratia ſpiritus multo eſt magis diffuſa, hanc impiam Iezabel, quamuis ad cædem ſagaciſſimam, ueros religionis cultores occidere omnes potuiſſe. Mihi crede, integræ adhuc legiones in Anglia latent eorũ, qui non curuauerũt genua ante Baal. Quos omnes, ſi uenias, Deus ipſe qui cõſeruauit, ad te adducet. Sunt autem iidem Angli Cæſar, qui multo leuiore de cauſa ipſi ſine auxilio externo, pœnas male adminiſtratæ reipublicę a regibus ſuis ſumpſerunt; Qui reges ſuos ob profuſius in reipublicæ damnum effuſas pecunias, ad rationes reddendas citatos, cũ eas approbare non potuiſſent, corona ſe & ſceptro abdicare coegerunt. Hos porro ſpiritus cum adhuc retineant, nihil eos a tanta iniuria regis uindicanda retardat, neq; iam diu retardauit, præter ſpem & expectationem tui; ad quem ita hanc cauſam pertinere putant, ut niſi naturæ tuæ deeſſe uelis, quam ex plurimis præclare abs te factis ſibi perſuadent eſſe generoſiſſimam, niſi religionis amorem, cuius conſtat te ſtudioſiſſimum, deponere, te nõ poſſe hanc cauſam nõ ſuſcipere pro comperto habeant. Per te autem facilius & minori negotio ac regni damno his tantis malis occurri poſſe iudicant, q̃ ſi ſuis manibus idem tentarent. idq; recte ſane ita exiſtimant, & merito te expectant. Sed quo nunc Cęſar longe ab iis refugis? Quid te relicta tãti momenti cauſa, quã domi habes, tam longe a tuis, unde minus imminet periculi abducit? an te milites tui eo trahunt? An eorum uoluntas propẽſior eſt ad orientis res componendas, ubi hoſtes antiqui ſunt, q̃ ad occidẽtem, ubi noui? At qui milites Cæſar? Nempe Hiſpani tui, quibus iure optimo plurimum fidis, quorum gloria in tuis bellis maxime eminuit. Verum ſi ipſi nobilem illam Iſabellæ progeniem, miſeria & luctu oppreſſam, in cauſa omnium iuſtiſſima ſuam fidem & opem implorare audirent; ſcio Cæſar, nondum præſtantiſſimæ

Anglis nec generoſus animus, nec religionis amor deeſt.

iii. Reg. xix.

Angli reges ſuos diademate priuauerunt.

Anglos ab iniuria Regis vindicanda, ſpes, quam in Cæſare habent, retardat.

Iniuria quam Henricus rex Caterinæ regis Hiſpaniarũ filiæ, Caroli Cæſaris amitæ intulit, & Cæſaris & Hiſpanorum omnium gloriam aperte petit.

ſtantiſſimæ

stantissimæ illius fœminæ memoriam ex illorum animis ita esse deletam, ut dignam tanta matre filiam, auxilium a se frustra petere sinerent. Scio nihil tam desideratũ illis esse posse, quod non libentissime relinquerẽt, ut huic nobili mulieri opẽ ferrẽt: quos uel Hispaniæ regni solus honor, de quo in hac causa maxime agitur, satis moueret, si tantummodo audirent Regis Hispaniæ filiam, uiginti annos in matrimonio habitam, tandem meretriculæ causa, e domo eiectam, tanquam si mimi alicuius aut balatronis filia ex ultima barbarie ad regium cubile surrepsisset, & non a generosissimo rege parente, e regno nobilissimo rite uxor data esset. hanc illi tantam iniuriam, æquo animo paterentur, quã uix infimæ conditionis homines ferrent? Cum uix reperiri possit homo tam sordido animo, qui non uel uitæ suæ periculo, tantum in filia dedecus ulcisci non omnibus modis quæreret; hanc iniuriam in Regis sui filia Hispani, quorum generosos spiritus per hosce annos tot uictoriarum continuata series satis indicat, non ulciscentur? Hanc inquam tantam iniuriam nobilissima Hispanorum natio in ipsas suas uictorias incurrentem, negligere poterit; aut aliquid ei rei præuertendum putabit, quę tam aperte & tuum Cæsar honorem & Hispaniæ gloriã petat? Quid enim magis ignominiosum uobis esse queat, quam cæteras nationes ita existimare, Hispaniam uel nolle, uel non posse tam contumeliosam iniuriam sibi illatam uindicare? Sed certe existimari ita nõ potest. Quod ut liquido cognoscas, patere tantum Cæsar me tuos milites alloqui: & uidebis, omnes simul ac Isabellæ Reginæ filiam, ac neptem, de honore, de fortunis omnibus, de regni hæreditate periclitantes, & fidem atq; auxilium suum implorantes audierint, ad eius nominis mentionem proras, si per te liceat, conuertere. Verum ego Cæsar, neq; te, neq; milites tuos quicquam Caterinæ amitæ tuæ causa rogo. Neq; enim illa uult quicquam pro se rogari; nihil illa de indignissima sorte sua queritur; facile iniquitatem fortunæ suæ tolerat, quæ in eam sic sæuit, ut quo pręcipue tempore, te maxime omnium florente, florere deberet, ipsa miserrima omnium conditione sit: & quo felicius tibi res tuę domi forisq; cedunt, eo se iniuriosius tractari & grauius premi experiatur. Sed de se nihil priuatim laborat, nihil queritur, nihil denique sua causa postulat; pro Anglia Cæsar postulat, cui data est, in quam quasi generosa planta translata & insita est, quã tanquam alteram patriã amare debet, & certe amat. Pro hac rogat, si sua causa cum huius tam nobilis & sibi modis omnibus charis

Caterina Cæsarem orat pro Anglia, cuius semper fuit amantissima.

ſimæ prouinciæ cauſa ita coniũcta eſt, ut ſua neglecta, neceſſe ſit illam peſſimo loco conſtitui; & proinde quam adueniens pacatiſſimam prouinciam offenderit, ſeditionibus ac bellis inteſtinis diuexari; id quod ſine exitio ac pernicie eius accidere non poteſt; ſi ſua cauſa ita eſt cum religione coniuncta, ut ſi illa deſerat, neceſſe ſit religionem deſeri, antiquam eccleſiæ fidem deleri, ſectas nouas non ſolũ in illa inſula, quam religioſiſſimã inuenit, exoriri, ſed contagione quadam in reliquas etiam prouincias ſpargi, totamq; eccleſiam perturbari: etſi hoc tantum malum, quo nullũ grauius eſſe poteſt, quo uno cætera mala continentur, non coniectura, quaſi tempeſtas aliqua impendens proſpicitur, ſed iam adeſſe, iam etiam eo uſq; inualuiſſe cernitur, ut nullorũ periculoſior conditio in Anglia ſit, quam illorum qui maxime religioſi ſunt, & qui antiquam eccleſiæ fidem ac conſuetudinem retinẽt (Quis enim eorum tutus ibi eſſe poteſt, cum in ſanctiſſimos uiros Roffenſem ac Morum ædita ſummæ crudelitatis exempla eſſe conſtet?) Si deniq; hæc omnia Cæſar eiuſmodi ſunt, ut principum omnium, qui Chriſti nomen charum & uenerandum habent, maxime animos mouere & excitare ad opem ferẽdam debeant: Tũ petit, ne ideo tardius ad afferendum reipublicæ Chriſtianæ auxilium accurratur, quod cõmunis cauſa ſe etiam priuatim attingat, quæ Regis Hiſpaniæ Ferdinandi filia, ex Iſabella matre ſuſcepta, & tua Cæſar amita ſit; præſertim ſi nihil indignum tantis maioribus, nihil indignum hac illuſtri conſanguinitate, & tam nobili regno unde eſt profecta fecit; neq; unquam in tanta quiduis audendi licentia, & tam immanibus inimicis, tale quidpiam ſibi obiectum eſt. Tum rogat Cæſar, ſi tibi Deus eas opes dedit, quibus tam potentem hoſtem Turcarum regem tot regnis imperitantem, non excipere modo inuadentem, ſed quieſcentem ultro laceſſere poſſis, ut unde maius malũ, q̃ a Turca reipublicæ chriſtianæ impendet, tibi autẽ uictoria minime dubia, periculi nihil oſtenditur; eo primum ſubuenias. Hoc te per propinquitatẽ, quæ tibi cum ipſa tanta intercedit, per Regni Hiſpaniæ decus, quod in hac cauſa agitur, per reipublicæ Chriſtianæ ſalutẽ, qua nihil antiquius nobis eſſe debet, ſupplex rogat, ne cum poſſis eodem tempore, conſulere & honori familiæ tuæ, & eius regni gloriæ, quod te tot uictoriis clariſſimum reddidit, tum autem a republica Chriſtiana talem cladem auertere, qualis a multis ſeculis nulla illata eſt, aliquid huic tam ſanctæ, & tam publice utili, tibique priuatim glorioſiſſimæ cogitationi præuertendum putes; cum

Religioſiſſimi quiq; maxime periclitantur in Anglia.

præſertim

præsertim quicquid hic egeris, id quasi instrumentũ tibi & subsidium futurum sit ad ea facillime perficienda quę nunc immature exequi paras. His enim rebus compositis, & tępestiuius, & minori negotio, uiribus tuis auctis potius q̃ diminutis, reliqua aggredi, ac perficere poteris. Sed quid ago, qui orationis quasi æstu ablatus, pene uideor oblitus, quo cum sermonem habeam? Tanquam enim cum Cæsare, nõ tecum Princeps agerem, orationem hic ad Cæsarem inclusi. Vt igitur eo reuertar, unde digressus sum; Animaduertis opinor, qua maxime ratione te rebus tuis consulere putabas, si Morum & Roffensem tanquam graues aduersarios sustulisses, multo maiores te inimicos iustissimis de causis tibi accersiuisse, uniuersos quidem Principes christianos cõmuniter, proprie autem Cæsarem ipsum, quo plures simul coniunctæ causæ eum magis q̃ quenquam alium stimulare debent. & eo quidem tempore tute illũ tibi hostem reddidisti, quo & inimicis maxime formidabilis euasit ꝓpter uires his paucis annis mirum in modũ auctas, & amicis præsidio esse potest: qui si nulla priuatim iniuria a te affectus esset, tamen reipublicæ nũc causa non posset non tibi infensissimus hostis esse. Hoc autem nunc dico, non tam de Cæsaris officio & pietate loquẽs, q̃ de reliquis Principibus christianis, q̃ etiam de ipso Rege Christianissimo, a quo non te pudet cõtra ipsius honorem, ut tali in causa te adiuuet, postulare. Si sane Pontifex Romanus, cui Rex Christianissimus, ut illo nomine est dignissimum, tanquam Christi uicario obedientiam præstat, hoc tempore pro sua a Christo accepta in uniuersam ecclesiam authoritate, iuberet eum has partes suscipere, ut tuos conatus reprimeret, & te armis coerceret, Cæsarem autem quiescere, & ad alias reipublicæ partes constituendas se conuertere; profecto si uel suis, uel maiorum suorum praeclare gestis rebus constare uellet Rex Galliæ, non posset hanc prouinciam sibi a summo Pontifice fidei causa delatam recusare; non posset non promptissime suscipere, etiam si frater eius germanus esset. Quam cum recepisset, nõ minorem certe laudem omnium bonorum iudicio, tuos in ecclesiam conatus domi reprimendo auferret; quam ipse Cæsar, si ex Turcarum tyrannide Constantinopolim eripuisset. atq; haud scio an etiam maioré, quo perniciosius id quod nunc agis, premit ecclesiam, quam omnia mala quæcũq; uel a Constantinopoli, uel ab omnibus quibus Turca imperat prouinciis timeri possunt. Vide ergo quo tua & tuorũ consiliariorum prudentia te deduxit, qui hisce rebus, quas nullo more,

Redit ad Henricum Regem.

Maior gloria, reprimere Henrici conatus, quàm expugnare Constantinopolin.

Henricus oēs christianos Principes hostes sibi reddidit.

nullo exemplo, summa autem iniquitate, uel impietate potius suscepisti, omnes Principes, quotquot christiani nomen tueri uolunt, necessario tibi hostes reddidisti. Quid enim habes, quod cum aliqua saltē specie iustitiæ dicere possis, uel in matrimonii tui, uel in hac, quam nunc contra unitatem ecclesiæ es ingressus, causa, Petrum & omnes successores eius a gubernaculis ecclesię summouens, & te ipsum supremum ecclesiæ caput constituens? Quid in alterutro istorum dicere potes? At in matrimonio scio quid sis dicturus. proferes tot gymnasiorum perscriptas authoritates, quæ priorem illam matrimonii tui coniunctionem minime iure diuino licitam fuisse decreuerunt, proindeq; non potuisse Pontificem dispensatione iustam illam facere. At ego hic tibi respondeo, ut nihil post hac habeas quod dicas, non illud quidem, quod omnibus uideri potest, quanquam sit iustissimum, & recte responderi possit, ecclesiam hanc non habere consuetudinem, ut qui student in gymnasiis, tales causas decidere habeant; eoq; nec illorum iudicium ullius momenti esse: sed illud dico, omnes eos quicunq; tuæ causæ fauerunt, mendaces fuisse, te decepisse, & ipsos deceptos esse. hoc nunc dico. Verum quo modo id dicam, fac auscultes, nec enim conuiciari libet, ut sine causa tot homines mendaces fuisse dicam. Iam enim affirmo Deū ipsum, omnes quicunq; tuæ sententię fauebant, decepisse, & permisisse, ut mendacium pro uero dicerēt. Sed quo argumento nixus hæc dico? Nempe illo quod mentiri non potest. Veri enim prophetæ Dei me docuerunt, oēs illos qui causæ tuæ fauerint, fuisse pseudoprophetas. Atq; hic iterum testari uolo, cōuiciandi causa me nihil dicere; sed si Deus ipse per ueros Prophetas suos hoc idem dicat, non possum, quod ille mihi certo ostendit, non proferre. quo autem modo, nunc ausculta, & audies non me sed Prophetā ipsum loquentem. sic enim ait Ezechiel tuam causam exprimēs.

Gymnasiorum iudicium super causa regia, nullius momenti est.

Omnes fautores regiæ causæ & decepti ipsi fuerunt, & regem deceperunt.

Ezech. xiiii.

" Homo, homo, de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in
" corde suo, & scandalum iniquitatis suæ posuerit contra faciem
" suam, & uenerit ad Prophetam, interrogans per Prophetam me:
" ego dominus respondebo ei in multitudine īmunditiarum suarum, ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recessit a me. Post
" quæ, sequitur statim. Et Propheta cū errauerit, & loquutus fue-
" rit uerbum; ego dominus decepi Prophetam illum. Audis ne Princeps iudicium Dei de omnibus, quos tu cōsuluisti, & de sententia Dei in causa tua, quam, cum perspectam haberet immunditiam tuam, tibi per illos respondit? Cum tu ueritatem celans

eos

eos interrogares, Deus etiam celauit eos ueritatem; & ut ad mendacem interrogationem mendax respõsum tibi darent, permisit. Verum hic negabis te immũditias in corde tuo habuisse cum illa interrogares; dices te syncero animo omnia in ista causa egisse, nihil dissimulasse, cum exquireres hominum doctorũ sententias de lege diuina, quid tibi per eam in fratris uxore ducenda licitum fuisset. Et quæ est inquies arrogantia audere de alterius animo, & uoluntate pronuntiare contra eum ipsum cuius in corde cogitationes latent, quæ soli Deo & illi cuius sunt cogitationes, notæ esse possunt? Sed possunt etiã aliis Princeps, si Deus illas reuelari uelit, si is cuius sunt, nõ possit clam habere. Nũc autem dico, Deũ non esse passum te celare quod intus habebas; sed quia cum ipso dissimulares, omnibus tuam dissimulationem patefecisse: ac quæ in corde occulta habebas, omnibus manifestasse. At hoc quo modo? cum toto eo tẽpore, quo hæc causa agebatur, non modo domi tuæ, sed semper quasi in sinu tuo illam habueris, quam expulsa uxore cupiebas in eius thorum inducere: sed ita tamen in sinu, ut in omnium oculis uersaretur, quæ omnibus cupiditatem tuam patefaceret, nec animum tuum occultum esse sineret: & eam, uix dum dictis sententiis a pseudoprophetis, non expectata illius authoritate, cuius erat sententiã ferre, uxorem duxeris: dubitamus ne quid in corde habueris toto eo tempore, quo Dei & æquitatis sententiam te quærere profitebaris? Affirmemus ergo, de tuo animo, idq; sine ulla arrogantia, te immunditias in corde tuo habuisse, cum doctorum hominum sententiam de matrimonio tuo rogares. De quo si quenquam dubitare arbitrarer, qui uel minimum quippiam in tua causa nosset: tot testimonia afferrem, ut uel cecus si non uidere, certe palpare cogitationes tuas & intimos sensus tuos in illa causa posset. Cũ ergo hoc nihil certius esse possit, te immundissimo animo interrogasse; sequitur sentẽtia Dei de tuis Prophetis recitata ab Ezechiele. Secundum iniquitatem interrogãtis, erit iniquitas Prophetæ. Hoc idem expressum & impletum est in libris Regum in impio Achab, cuius animum alienauerat a uero cultu Dei uxor impia Iezabel, quemadmodum nunc tuum nouam Iezabel a ueritate auertisse in hac causa constat. Ille uero cũ Deum per Prophetas consulere uellet, dicit scriptura in persona Dei, Quis decipiet Achab? egressus est autem spiritus, & stetit coram domino, & ait, ego decipiam illum. & ait dominus, in quo? & ille ait, egrediar, & ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum

Henr cus rex immũditias in corde habebat, quum doctorum hominũ sententias de lege diuina exquireret.

Ibidem.

iii. Reg. xxii.

" eius. & dixit dominus, decipies, uade, & præualebis; egredere &

Sicut Achab, ita & Henricus deceptus est a spiritu mendaci.

" fac ita. Sed num in solis Achab prophetis prævaluit? an etiam in omnibus qui Achab facta sequuntur? Quæ cum tu maxime exprimas, in tuis etiam prophetis eundem spiritum prævalere uidemus, ut a te decepti, te etiam decipiant. Atque hanc Dei permissionem nemo melius exprimit quam Paulus, de iis loquens, qui ueritatem audire noluerunt; a qua sic tu in hac causa abhorruisti, ut primum odio & indignatione tua, deinde morte dignos iudicaueris, qui in ueritate defendenda perstiterunt. De talibus autem dicit Paulus. Dilectionem ueritatis non habuerunt, ut salui fierent;

ii. Thess. ii.

" & ideo mittet eos Deus in operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati. Hæc Paulus. Sed redeamus ad Ezechielem, qui primus nos huius diuini iudicii de iis qui simulato animo Dei oracula interrogant, admonet; & uideamus quid præterea dicat de eo homine qui immunditias habens in corde, prophetas Dei interrogat. Hæc enim omnia ad te sic pertinere uidentur, ut omnia quæ tibi postea in hac causa acciderunt, & quæ nunc flagella iræ Dei pateris, diuinasse uideatur. sic autem ait ad eum,

Ezech. xiiii.

" qui tali animo interrogat. Et ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei. & scietis, quia ego dominus. Hic ego si tibi narrarem in iis locis in quibus mihi contigit uersari postquam a patria & regno tuo discessi, quam in omnium ore & uocibus sis fabula, quam etiam ii qui ante te nunquam propter regium nomen cognouerant, propter summam iniquitatem & impietatem familiare iam nomen tuum habeant, ut nullius nomen frequentius citetur, cum de Tyrannide uel impietate sermo est: quam non solum in tonstrinis, sed in omni consessu hominum cuiusque ordinis ab infimis ad summos omnium uocibus laceteris: hæc si tibi dicam me scire, & quotidie cum magno dolore animi audire, tu mihi non credes. Sed si hoc credis, summam iniustitiam, summam impietatem & tyrannidem homines probrosos & infames facere posse, hæc sic nunc de te ubique percrebuerunt, ut si omnibus locis publicis per orbem Christianum scripta proponerentur, quo ab omnibus legi possent, melius aut certius cognosci non possent. Quæ quidem maxime Dei in te uindictam ostendunt; qui primum tuam gloriam, & famam extingui in omnium animis uoluit, deinde te etiam ex suo populo disperdere, & prorsus eiicere. Considera autem adhuc paulisper si potes, quo pacto

Henricus rex fabula est in ore omnium.

Deus

Deus hæc quæ ad ignominiã tuam pertinent, geri & administrari uoluit. Primum permisit Sathanam ad te uenire, qui tibi hoc in animum immitteret, ut gloriam tuam & potentiam in regno tuo augeres; quod ita futurum persuasit, si supremum nomen omnium potestatũ quæ in terris sunt, tibi sumeres. Tale enim nomen est, supremum ecclesiæ caput in terra. hæc autem uia rectissima fuit, ut infra omnes homines qui sunt in terra, deiicereris. Sed quo pacto hoc suasit Sathanas? Quid autem quærimus quo pacto, cum Sampsonis librum habeamus, qui instrumentum Sathanæ fuit ad id tibi persuadendum? An uero aliquid latet, quod Sampson & reliqua Sathanæ instrumẽta tibi in aurem dixerũt, quod literis noluerunt mandare? Latet quidẽ hoc maxime, quo pacto Sathanas te assumpsit in montem excelsum ualde, & ostendens non omnia regna mundi, ut Christo, quem adducere nõ potuit illa omnia offerendo, ut suo testimonio filium Dei se pronũtiaret, cum tamen esset uere filius Dei: sed bona omnia ac possessiones sacerdotum, te adduxit ac peruicit, ut qui uix pedis locũ nunc habeas in ecclesia Dei, supremum te ecclesiæ caput esse diceres, cum tibi promitteret sese ea omnia daturum, si te supremũ caput ecclesiæ profiteri uelles. Reliqua cõmisit Sampsoni, ut per scripturas hoc etiam probaret. Scriptum est enim (inquit in persona Sathanæ Sampson), Honorificate Regem, hæc theologica Sathanæ fuit persuasio, qui postea te statuit supra pinnaculum templi; & non ille quidem dixit, si caput ecclesiæ es, mitte te deorsum, sed cum tu ad aspectum possessionum sacerdotum lubenter & prompte hoc nomen tibi arrogasses, is te sic deorsum præcipitẽ egit, ut qui duo capita appetisti, iã sine capite appareas. quod enim te habere putas ex regio nomine tam firmum, ut tolli non possit; uix simulachrũ regii capitis dici potest: & illud ualde iam debile, ut, qualecũq; est, diutius hærere non possit. cum omnes illæ uirtutes, bona illa naturæ omnia, quæq; a Christo acceperas, unde capiti uis quædam uitalis accedit, illo casu dilapsa sint, ut iam ne reliquias quidem ullius uirtutis quisquam in te possit agnoscere. Quam uero fracta & dissipata sint omnia, quæ uel speciem aliquam in te uirtutis referebant, quo pacto Deus manifestius declarare nobis potuit, quã cum in Morum & Roffensem, & cætera uasa spiritus sancti, monachos inquam illos, sæuire te permisit? Nonne in ea re liquido omnibus ostendit, ne scintillam quidem iustitiæ, aut ullius uirtutis reliquã in te esse? Nam si ulla omnino superesset, tũ sane erga tales homines aliqua ex parte

Sathanas qua arte Henricum Regẽ tentauerit.

Liber Sampsonis instrumẽtũ Sathanæ.

Nullæ iam virtutis reliquiæ in Henrico conspiciuntur.

eam ostendisses. Sed quo omnibus numeris impleretur Ezechielis prophetia infamiam tibi tuiq; similibus inter cætera prædicentis, quod immunditiam in corde habens, Dei sententiam & legis per sacerdotes interrogasti, uide ut tẽpus ipsum, uel potius tali tempore plurimum illustrata egregia uirtus illius, quẽ tute ipse inimicissimum tibi iustissimis de causis reddidisti, cum sua spõte amicissimus semper fuisset; facta tua satis illa quidem per sese ad omne dedecus exposita, magis tamen ad infamiam sempiternam nominis tui euulgauerit, & per omnium ora traduxerit. Quo enim tempore Caroli Cæsaris inuicta pietas aduersus barbaras gentes, hostes religionis nostræ, in Africa cum summo uitæ periculo res gerebat, & iam uiginti millibus captiuorũ Christianorum liberatis uictor redibat, quo nihil multis sæculis ad decus & gloriam, & ad salutem Christiani nominis præclarius factum est ab ullo Principe; eodem tempore tu scorti tui causam agens, optimum quenq; in regno tuo ueræ fidei defensorem, ipse falsissimum nomen fidei defensoris gerens, ad cædem & cruciatus requirebas; quotquot autem nancisci posses, eos non humano aliquo modo, sed quasi fera amisso humanitatis sensu, non occidebas, sed laniabas: quorum multos etiam num in uinculis habes, quos multo inclementius tractas, omnia illis horribilia intentans, quã Barbarossus religionis nostrę hostis suos captiuos tractaret, eos quos nuper Cęsar in Africa liberauit. De Roffensi uero, qui diuturni carceris miseriam perpessus in hæc usq; tempora uitam produxit, quis est qui ætatem eius maxime iam affectam, imbecillitatem ualetudinis qua semper fuit, & tenuitatem corporis notam habens, eum uel unum mensem potuisse in carcere perdurare existimasset? Ego certe cum istinc ante triennium discederem, ne si exquisitissima quidem cura in tuenda ualetudine domi suæ uteretur, afflictam in eo naturam animaduertẽs, ad unum annum posse uitam extendere iudicabam. Atq; hoc etiam postea accepi, cum Londinum accersitus esset, ut in carcerẽ conderetur, in itinere ad aliquod tempus ob uirium imbecillitatem animo defecisse. Nunc uero cum hunc constet quindecim totos menses in illo tetri carceris squallore uitam retinere potuisse, quis tandem non agnoscit manum Dei supra naturam, qui eius uitam ad tuum summum dedecus magis illustrãdum produxit, ut tuo gladio, non fato suo uir sanctissimus periret? Et ut adhuc facinus illud tuum maiori iniquitate cumularetur, permisit, ut in numerum Cardinalium etiam tum in carcere agens referret;

quo tempore Carolus Cæsar in expugnandis nostræ religionis hostibus occupatus fuit, eodem tẽpore Henricus fidei defensores occidit.

Roffensis, nisi a Deo seruatus, tot in carcere mensis perdurare non potuisset.

ut cum

Y .

ut cum eum postea necauisses, intelligerent omnes te non solum optimum episcopum, in quem nullam haberes animaduertendi causam, sed Cardinalem etiam, in quem tibi iuris nihil esset, una cum præcipuis religionis nostrę professoribus occidisse; idq; eo tempore quo Cæsar præcipuis christiani nominis hostibus profligatis, & uiginti millibus christianorum a durissima seruitute ac crudeli tandem morte liberatis, sempiternam sibi apud Deum uictoriæ coronam, & perenne apud homines famam ac gloriam adeptus est. Ita tempora ipsa actiones tuas cum Cæsaris aduersarii tui rebus gestis contenderūt, quo insigniores essent, ut quo tempore omniū templorum parietes tabellis uotiuis captiuorū uestiuntur ad summam Cæsaris gloriam, & per uniuersum orbē christianum supplicationes passim fiunt ob tam illustrem uictoriam, eodem tempore pro omnium templorum foribus diræ execrationes in te expectētur; Cæsar bonorum omnium uocibus appelletur, ut in te non solum crudeliorem hostem religionis quā Turca ipse, & Barbarossus, sed longe magis exitiosum ecclesiæ, q̄ omnes a quibus unquam oppugnata sit, arma conuertat; Pontifex deniq;, ut te quasi putre iam & mortuum membrum a corpore abscindat, omnium pene mortalium precibus flagitetur. Quæ ne diutius differātur, uide quid non casu aliquo, sed diuina agēte prouidentia acciderit, cum prȩter omnium expectationem Cęsar in ea loca perductus sit, ubi cum Pontifice de sanandis reipublicæ christianæ uulneribus, quæ tu magna ex parte inflixisti, commodissime cōsilia coram inire possit. Romam enim peruenit Cæsar eo quidem tempore, quo uictor barbarorum, & omni alia cura liberatus, malis iam intestinis tollendis totus operam dare posset. Tu autem aduersus diuinas humanasq; opes ad tuorum scelerum uindictam conspirantes, quid molieris? quid reperies, quo te defendas? quo confugies? cuius auxilium implorabis? externorum ne? At certe non natura ipsa magis regionem istam a reliquo orbe disclusit, cum eam Oceano circunfuso insulam fecit, quam te libidines tuæ & impia in ecclesiæ concordiam consilia excluserunt omni externo auxilio, eorum quidem certe qui christiani aut esse, aut etiam haberi uelint. Qua ergo re cōfides? populorum ne imperio tuo subditorum præsidio, quorum cōmodis ita consuluisti, ut qui nunc ex commerciis quæ cum externis habent, res suas tueri atq; amplificare soleant, utpote mercaturis faciendis plurimum uictitantes, paulo post omni reliquarū gentium commercio tua causa arcēdi sint? quod perinde sane illi ha-

Roffensis in carcere agens in Cardinalium numerū relatus est.

Carolus Cæsar post illustrissimā in Africa partam uictoriam uenit Romam.

Henricus nec ab externis, nec a suis auxilium sperare potest.

bebunt, ut si fortunis omnibus & uictu etiam necessario priuati abs te essent. Qua ergo re illis persuadebis, ut tantum detrimenti sustinere uelint, ne quid interea de infamia dicam, cum tanquã Turcæ hostes religionis, aut tanquam perfidi Iudæi habebunt, & omnibus despicatui erunt? cum igitur omnibus emporiis excludentur, ubi nunc magno suo cum emolumẽto permutare merces solent; quo orationis genere iis persuadebis ut tibi adhæreant? An merita tua in illos commemorabis? At illi tum non uerba solum attendent, sed res etiam spectabunt. Quid ergo? Tu poteris in tot annorum spatio, quibus in pace, sine ullo hoste regnasti, ullum tuum uel mediocre in eos meritum ostẽdere? profecto non poteris; at illi contra multas tuas iniurias & damna sua poterunt. Quid igitur facies? quo te uertes? fidem ne sacramenti, quo tibi obstricti sunt, implorabis? Ita ne uero? qui fidẽ illis nunquam seruasti, qui unus tot millia decepisti, qui nihil eorum præstitisti, quæ tu regnum iniens sancte iurauisti te facturum, nunc expectas, ut fides illos ad opem tibi in suam perniciem ferẽdam possit obligare? Ac cum Deus sit omnis fidei & iurisiurandi uinculum, tu aũt tã aperte Deo & ecclesię bellum indixeris, fidemq; fregeris, postulas ut religio alios in fide tibi seruanda retineat? Verum quis nõ uidet, ut Deus omnia tibi humana auxilia prorsus præciderit? ut regni tui fundamẽta prorsus subruerit? Quid enim? cum tibi iustitiæ bonitatis, clemẽtiæ, liberalitatis famam eripuit; an non fundamẽta regni tui una cum spe omnis subsidii euertit? num aliqua his firmiora regnorum fundamenta esse possunt? an non sola sunt? num regnum aliquod stare potest, ubi hæc non sint? num homines eum adiuuare, a cuius animo hæc abesse, & contraria affatim adesse exploratum habeant? An uero satis experti non sunt, cum per annos septem & uiginti, quibus regnauisti, nihil præter rapinas tuas potuerint agnoscere; siquod autẽ liberalitatis signum interea dedisti, id in omnibus potius aliis, q̃ iis quæ ad publicum commodum pertinerẽt, animaduerterint. primis enim regni tui annis immanes pecunias incassum profudisti; quas ærarii iacturas, ut resarcires, omne postea genus hõminum spoliasti, Nobilitatem semper ludibrio habuisti, populũ nunquam amasti, clerum omnibus modis uexasti ac spoliasti, nouissime autem homines dignissimos, qui diutissime in uita manerent, decora regni tui, columnas ecclesiæ Dei, flores generis humani (ita enim appellari debent, qui pręcipuos se inter homines fuisse, non uita solum, sed ipso etiam uitæ exitu ostenderũt) crudelissime,

Henricus fidem non seruat.

Fundamenta regni.

Henrici merita in rẽ pub. Anglicam.

delissime, nulla causa, ne falsa quidem huiusmodi quæ iusta uideri posset, non tanquam homo, sed tanquam rabida fera laniasti. An non satis uideor summam tuarum in regno administrando actionum comprehēdisse? Quid quæso aliud uere dicere posset, siquis uellet te mortuo, capita rerum tuarum in sepulchri inscriptione proponere, præter ea quæ modo retuli? nisi forte hoc etiam placeret adiungere, pro quo obtinendo īgētes thesauros effudisti; te publicis omnium gymnasiorum authoritatibus incęstuosi nomen tulisse; quo quidem elogio magnis sumptibus & summa contentione comparato, uiam tibi patefecisti cum pernicie regni tui, optimorum uirorum cæde ac parricidio, perturbatione deniq; totius populi Christiani, ad gloriosum illud, quo tibi nihil unquā ignominiosius excogitari potuit, supremi in Anglia ecclesiæ capitis nomen. Num alia sunt in rebus tuis gestis illustriora, quæ potius sepulchro tuo inscribi debeant? Equidem nihil uideo. Illud enim Sardanapali, quod Aristoteles dixit melius bouis, q̄ Regis sepulchro inscribi posse, Hęc habui, quę exaturata libido, Hausit. & cæt. tibi Regi non modo ferendum, sed etiam optandum esset, ne quid probrosius inscriberetur, & ut reliqua quæ non minus uere pōssent, tollerentur. Sed quis tibi de sepulchro polliceri audeat? quis nō potius, qui iudicium Dei nouerit in superbum regem Assyriorum, qui dixerat, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: similis ero altissimo, & reliqua superbiæ plena, quæ Esaias recitat: quis, inquam, qui id nouerit, nō potius expectet eandem in te Dei sententiam, qui eandem superbiam imiteris? eam autem sic Esaias exprimit. Omnes reges gentium uniuersi dormierunt in gloria, uir in domo sua, tu autem proiectus es e sepulchro tuo quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus cū his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci. quasi cadauer putridum, non habebis consortium, neque cum eis in sepultura. tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Sed quid quærimus Dei de te sententiam ex Esaia? Nonne siquid leges ecclesiæ ualent, quemadmodum quidem apud omnes pios ualent, iam pridem hæc in te sententia lata est, qui homines Deo sacros e clero, & in his presbyterū Cardinalem, non minus perpetua uitæ innocentia, q̄ senectute ipsa uenerabilem, uiolaris, & nefario iudicio damnatos occideris? nonne hoc uno nomine, ne alia enumerē, tibi sacris, templis, piorum congressu, & semel omnibus, quæ ecclesiæ sunt, communia,

Hēricus magnis sumptibus, incæstuosi nomen comparauit.

Sardanapali epitaphium.

Esa. xiiii.

Ibidem.

Henricum leges ecclesiasticæ iure sepultura priuant.

interdictum est:ut siquis casus te nunc eriperet, ius sepulturæ legitimæ non haberes? Verum quid tibi post mortem futurum sit, quod tu quā minimū, uel nihil potius curas, omittamus. De periculo tantum loquamur, quod tibi in uita etiam num agenti imminet. Quod quidem tale est profecto, Pōtifice præsertim & Cæsare ad causam adiunctis, & nunc in commune consultantibus, qua ratione his ecclesię malis, quorū tu magnam partem author fuisti, medeātur:ut iam securis ad radicem posita esse uideatur. Quid tu igitur? cum sic omni dedecore & ignominia notatus sis, cum omnium pene mortalium odio flagres, cum præcipuæ Christianorum potentiæ, & humanæ diuinæꝙ opes iam conspirare uideantur, ut tam perniciosum reliquo corpori membrum abscindant, quo confugies? quod tibi auxilium parabis? ut omnia quæras, certe nunquam reperies. Sed potest ne alicūde ab amico tuo quopiam inueniri? potest ne contra tot simul urgentia pericula comparari auxilium? posset quidem, si periculi tui magnitudinē agnosceres. Verum hoc est maximum tibi in malis, ꝙ te tutum esse putas, cum nemo multis sæculis Rex uicinior extremæ ruinæ extiterit. At tu diuitiis tuis fidis, quas ingentes ex spoliis ecclesiæ congessisti. Verum hoc existimare debes, nullum unquam e tyrannis, quorum miserabiles casus passim in historiis leguntur, auri penuria periisse: sed omnes abundasse iis rebus, quibus tu fidis. amicorum inopia omnes perierunt, quos iniusta auri & diuitiarum possessio omnibus inuisos fecerat, & hostiū insidiis magis obnoxios reddiderat. Quod si præter aurū amicos etiam te fideles habiturū esse speras, ne tu profecto uehementer errας, & te ipsum perniciose decipis. Nec enim habebis. Vtrum autem habiturus sis, nec ne, noli quærere ab iis, qui nunc se tibi uendītant; facta potius tua consule, & merita in amicos qui iam e uita excesserunt, ac cum repereris, quos aliquando intimos habuisti, partim reiectos a te inhumaniter, & dolore animi ad mortē coactos, cuius rei Eboracensis & Comptonus testimonio apud omnes eē possunt; alios a te ipso iniustissime necatos, ut nūc Roffensem, & Morum, quibus nunquam amiciores ullos tuiꝙ certe amantiores habuisti: si huiusmodi facta amicos conciliant, tum te plurimos habiturū existima. sin autem iam etiam conciliatos abalienant, cognosce aliquando quanto in discrimine uerseris. Quod si hæc te nihil mouent, fac aliorum exempla consideres; eius in primis Regis, quem pater tuus secum acie cōgressum uictor occidit. Is enim paucitate militum patris tui animaduersa, arbitratus

Lucæ.iii.

Henricus ingentes diuitias ex direptiōibus ecclesiarum cōflauit.

Hērico amici desunt, quorum auxilio confidat.

Hēricus amicos suos occidit.

Ricardus.iii. ab Henrico.vii. uictus. Vide Poli. Hist. Angl. lib. xxv. fo. D. lvii.

arbitratus sibi minime defuturos amicos fideles ex iis, quibus ipse tyrannice imperauisset, maximis contractis copiis, prælio experiri cum illo statuit, itaq; desertus a suis ac proditus, nullo negotio a paucissimis uictus est. Sic tu si in aliquod huiusmodi tempus incideris (atq; hoc tibi tanquam ab oraculo dictum putato) ne cui salutem quidem tuam tuto committas, reperire poteris; omnibus diffides; intus pauor, & foris gladius (ut de similibus uaticinatus est Propheta) te sic urgebunt, ut si rem marti committas, non possis non miserabiliter mori. Vbi ergo auxilium, ubi remediũ tot tuis malis, si neq; in diuitiis, neq; in amicis spei quicquam superest? An omnia sunt desperationis plena? minime equidem ita sentio. quin potius (ac uide, quo progrediar) si modo te ipse non deceperis, ut instantem iam tibi perniciem agnoscere nolis, sed omnia tuta ac periculo uacua putes: idem ego, qui iam dudum uideor tibi nihil relinquere, ex quo salutem sperare possis; ego inquam, nõ solum remedium esse dico, sed me etiam illud habere, & nisi tu recuses, adhibiturum esse profiteor. Sed quale tandem est quod dixi? Est ne uel tuum malum tam leue, uel facultas mea tanta, ut te saluum præstare possim? Tam cito aut meç ipsius tenuitatis, aut mali tui grauitatis oblitus sum? Ego uero utrũq; noui, & me nihil admodum præter cæteros posse, & te grauiori malo oppressum esse, q̃ quisquam unquam Rex fuerit; idem tamen, Dei auxilio fretus, remedium me præsentissimum habere profiteor. Id autem quale sit, alio libro, quãdo hic pene ultra modum excreuisse uidetur, exponam.

Deut. xxxii.

Henrico promittitur remedium, si sua mala agnoscat.

LIBER QVARTVS.



VENTVM est aliquando tandem Princeps ad eum locum, quem ego iam dudum, quasi quędam ex longa iactatione portum expetebam; ut postquam ea quæ tute tibi contraxisti, mala ac pericula demonstraui, deinceps expeditissimam salutis uiam tibi ostendam. In quo, si usquam alias, attentione tua, & in auscultando æquitate mihi in primis opus est. nunquam enim rem maioris momenti a quoquã audies: nisi aliquid maius corporis simul & animi salute cogitari potest. Quæ enim sum dicturus, ad utriusq; salutem sic pertinent, ut nisi ea nunc ex me audieris, sero sis fortasse aliorũ reme-

Petit, vt Rex attente ac benigne audiat.

dia auſcultaturus, ſero auxilium imploraturus. Mala namq; omnia ante te opprimét, q̃ quiſquã ſuccurrere atq; opitulari poſſit. Quare ſi unquam ulla in cauſa, nunc maxime attente omnia audire te oportet. Sed quo pacto me de tua ſalute loquentem auſcultare poſſis, quo pacto credere iis quę ſim dicturus, qui ſi ulla uerborum contumelia oſtendere poſſit animũ inimicum, ea dixi in nomen & facta tua, quæ nemo unquam hoſtis tibi obiecit, nec plura poſſet obiicere, q maxime hoſtili in te animo eſſet? Quid ergo? inimico ne, qui tam aperte, & tanta uerborum licentia tibi inſultauerit, operam dare, aut aliquid credere debes, quaſi de ſalute tua poſtea dicturo? Auſcultare quidem nihil prohibet etiã inimicum princeps; neq; ego tamen, utcunq; ex uerbis atq; oratione hoſtis uideor, tibi unquam inimicus fui, nec aliud nũc a te peto, niſi ut me tua cauſa benige audias. poſtea tantum credes, quantum tibi res ipſa perſuaſerit in rem tuam fore. Nunc tantũ auſculta. Et ut aliquo exemplo illuſtri propoſito libetius, quem inimicum iudicas, auſcultes; audi uocem magni illius regis, quẽ Deus elegit ſecundum cor ſuum, qui fuit rex idem & Propheta. Is igitur cum ab hoſte ſuo Semei non ſolum maledictis inceſſeretur, atq; omni probrorum genere laceraretur, cum & filium Belial & hominem ſanguinum appellaret, ſed lapidibus etiam ab eodem peteretur; quam rem milites Dauid, ac duces qui circunſtabant, non ferentes, ſtatim uolebãt conuiciatorem interficere: prohibuit, & dixit. Dimittite eum ut maledicat. dominus enim pręcepit ei ut malediceret. & quis eſt qui audeat dicere quare ſic fecerit? Dimitte eum ut maledicat iuxta præceptũ domini, ſi forte reſpiciat dominus afflictionem meã, & reddat mihi dominus bonum pro malediction e die hac hodierna. Hæc regis Dauid patientia fuit princeps, non ſolum in auſcultando inimici & hoſtis uerba, quẽ ſtatim interficere potuit, ſed prohibendo ne quid mali illi propterea accideret: cum tamen nihil pręter conuitia diceret, nihil ſalutare promitteret. Quam nunc patientiã hactenus a te poſtulo, ut quẽ ex oratione tibi inimicum iudicas, cum animo nemo ſit amicior, pro tua ſalute loquentem audias; præſertim cum idem dicere ueriſſime poſſim, quod Dauid de illo ſuo conuiciatore credebat, Dominum mihi iuſſiſſe, ut tibi hoc meo ſcripto maledicam; cui ipſe poſtea bonum pro maledictione reddat, ſi me æquo ac patienti animo auſcultaueris. Quid enim? putas ne me ſponte feciſſe, ut te tot maledictis onerarem, quot in nomẽ tuum & famã proximo libro congeſſi? Et quando unquã

simile

Obiectio.

Dilutio.

Dauid inimicum maledicentem patienter audiuit. ii. Reg. xvi.

Deus iuſſit authorẽ, hoc ſuo ſcripto, Regi maledicere.

simile quicquam feci? qui eo usq; semper abstinui a maledictis & conuiciis, etiam in homines me multo conditione inferiores, a quibus tamen aliquando uehementer lacessitus essem (id quod possunt testari, qui mecum familiarius uixerunt), ut multis mea hæc lenitas, lenitudo potius quædã & demissi humilisq; animi signum uideretur. Et sane ita semper natura abhorrui a maledictis, ut facilius paterer me uel iniuria ab omnibus reprehendi, q̃ alterius iniquitate adduci, ut aliquid contumeliosius in quẽquã dicerem, aut etiam maledicta maledictis ulciscerer. Quid ergo? si talis mea & natura & consuetudo est, ac semper a puero fuit, commisissem unquam, ut in regem, & in eum quidem regem, cui me subditum fateor, in eum qui nõ modo nulla me priuatim iniuria affecit, sed maximis ultro beneficiis cumulauit; in eum denique, qui hoc ipso tempore, quo alios qui eãdem quam ego sententiam defendunt, acerrime insectatur, mea studia benignitate sua fouet; in hũc igitur talem maledicta unquam mea sponte dicerem, nisi qui in me maius imperium habet, hoc mihi imposuisset? Sed quæ mysteria nunc loquor? a quo sum iussus? quis dominus me talia loqui iussit? Idem Princeps qui communis tibi mihiq; est dominus; Christus inquam me illa scribere iussit; non ut conuitium tibi facerem, sed ut peccata tua ostenderem. quod sane ita feci. Probe enim mihi, teste Deo, conscius sum me nihil in te dixisse, quod maledicti nomen mereatur. criminum certe uim omnia habent. fundamentum in ipsis tuis factis omnia habent: non mera uerba, non maledicta aut conuitia sunt, quæ in te dixi. Sed quo pacto Christus hoc me iussit facere? hoc modo Princeps. illud Christus uidit: ut multa abs te contra omne ius fasque esse commissa, sic etiam quædam te recte ac præclare fecisse. Quemadmodum autem iustitia illius ea quæ perperam facta sint, uindicare solet, sic benefactorum mercedem ac remunerationem ipsius benignitas prętermittere non potest, quam quidem magno cum fœnore semper tribuit. In hoc uero genere bene a te pieq; factorum cum nihil sit, quod magis omnibus ex partibus gloriam Christo reddat, q̃ meæ educationis suscepta abs te cura, qui me unum ex omni nobilitate Anglica elegisti, quem & uirtutibus & literis a puero instituendum curares: quantum quidem ego profecerim, nihil refert: si parũ, mea culpa est: tuum certe beneficium permagnum est, taleq; plane, ut nec rex pater principi filio maius dare possit, nec quisquam omnino hominũ quod amplius & Deo gra-

Natura authoris aliennissima ab omni maledicentia.

Non maledicta in regem author congessit, sed Regis peccata ipsi ostendit.

Authorem Rex Hē. literis & virtutibus instituendũ curauit.

Agnoscit maximum Regis in se beneficiũ.

tius ſit, in alterum cõferre. Huius ergo tanti in me beneficii, gra
Chriſtus authorẽ regi de ſe bene merito maximam mercedem rependere voluit.
tiam tibi perire noluit. & ut omnium quæ ab hominibus in ho-
mines proficiſci beneficia poſſunt, maximũ illud eſt quod tu in
me contuliſti, ſic quæ maxima homini ab homine tribui merces
poterat, quæq; beneficio tanto debita erat, eam me tibi repende-
re uoluit. Quænam igitur ea eſt? ut tibi grauiter & pernicioſe er
ranti, errorem indicarem, & ad rectam uiam te, ſi ſequi uelles re-
ducerem: deniq; ut imminens tibi periculum denunciarem, & cer
Ioãnes Baptiſta. Mat.xi.
tiſſimam ſalutis rationem oſtenderem. Hoc maius beneficium, il
le quo nemo inter natos mulierum maior ſurrexit, patriæ ſuæ &
ciuibus in perniciem ruentibus conferre non potuit. Hoc ego
Errãtem reducere ad viam rectam maximum eſt beneficium.
nunc a Chriſto excitatus, tibi & ciuibus meis tribuo. Tibi iam
errorem tuum indicaui, & nunc ſum paratus uiam etiam rectam
monſtrare. Tibi ſummum periculum in quo uerſaris, notum iam
Lu.iii.
feci, tibi ſecurim ad radicem arboris poſitam denunciaui; & nũc
ſalutem tuam, ſi auſcultaueris oſtendam? Auſculta tantum, & ſe-
quere; ac tum audacter pronunciare audebo, omne periculũ eua
ſimus, uicimus. Habeo princeps in manibus id quod mihi Chri-
ſtus dedit ad te ſeruandũ; habeo inquam in manibus illud, quod
ſi a me acceperis, uicimus. quid amplius quæris? Et cum honore
quidem uicimus. Habeo princeps priuilegium humani generis.
Pœnitentia, priuilegium humani generis.
priuilegio enim opus eſt, ut ſalutem conſequaris. Tale autẽ pri-
uilegium eſt, quale ne angelis quidem peccantibus Deus conceſ
Mat.iiii.
» ſit. Sed quid moror oſtendere? Pœnitentiam age princeps, pœni
» tentiam age, & appropinquabit regnum cęlorum. Pœnitentiam
oportet agas, & (mihi crede) non tanto cum dedecore cecidiſti,
quanto cum honore reſurges. Hoc quidem eſt priuilegium meri
to Chriſti hominibus conceſſum, per quod a morte ad uitam re-
uocamur: Quod quidem tantum eſt, ut nec angelis peccantibus
Angelis peccantibus non eſt conceſſa pœnitentia.
conceſſum ſit. Sed qua uia, quo modo, Rex regem doceat, modũ
tu ab eo rege audies, qui cũ Deo eſſet cariſſimus, tamen permiſ-
David.
ſus eſt cadere, ut reliquos omnes modum reſurgendi doceret,
quem in ſe expertus eſſet. hoc autem Deo promiſit ſe facturum,
ſi ſubleuatus a terra eſſet qui grauiter cõcidiſſet. Dicebat enim,
Pſal.l.
» Docebo iniquos uias tuas, & impii ad te conuertentur. An Da-
uid regem ſequi te piget Princeps? Sequutus es peccantem, fac
nunc ſequaris & pœnitentem. Ille enim miſer etiã factus eſt pec
cato, ut de ſe dicebat quod tu eodem modo de te ipſo poſſis dice
Pſal.xxxvii.
» re. Miſer factus ſum, & curuatus ſum uſq; in finem, & lumbi mei
impleti ſunt illuſionibus, & nõ eſt ſanitas in carne mea. Ac licet

propheta

propheta esset, tamē non magis agnoscebat peccatum suum quā tu nunc tuum, donec ab alio propheta, quem illi Deus admonendi causa miserat, edoceretur. Sed ut audiuit Nathan admonentem, statim dixit, Peccaui: & cum illo uerbo audiuit a propheta. Et dominus transtulit peccatum tuum. O princeps, si ego nunc idem uerbū abs te audirem, qui iussu Dei te de peccato tuo admonui, an non putas me etiam mandatum a Deo habere, ut tibi dicam, Et Deus transtulit peccatum tuum? Habeo certe. etsi grauius tu longe q̄ Dauid peccauisti, tamen non minus cito audies peccatum tuum esse translatum q̄ Dauid. Habeo quidem hoc in mandatis a Deo, ut tibi dicam, & quæcunq; præterea ægrum animum uel sanare, uel consolari possint ostendam; eandem deniq; uiam, per quam hæc omnia Dauid est assequutus, patefaciam, si modo ingredi, & per eam Dauid regem sequi non recuses. Sed cur recusares? An dux tibi displicere potest? Sed melius considera, cōuerte paulisper oculos, & intuere qualis sit. Nimirum is est princeps, cuius Christus ipse non est dedignatus filius dici. Ipse Dei filius Princeps naturam humanam assumēs, filius Dauidis dici uoluit. & tu ducem Dauidem ad salutem tuam auersaberis? An ipsa erroris confessio, & pœnitentia, sine quibus nulla nec apud Deum nec apud homines honoris uel salutis spes esse possit, te retardāt? Quid in his uides uel dedecoris uel difficultatis quod te moretur? Si illum qui erat prophera summus, non pudebat confiteri errorem suum: si ille cum peccatū commisisset, peccatum non agnoscebat, donec ab alio admoneretur; tu princeps post grauissima & horrenda optimi cuiusq; iudicio a te commissa peccata, probrosum tibi esse duces, grauitatem scelerum confiteri te nesciisse antequam admonereris; aut post admonitionē dicere, peccaui, & de peccatis pœniteret? Quid cogitas? Quid speras? quid te retardat ab hac confessione peccati? An expectas aliam uiam magis honorificam? an hæc ipsa tibi non maxime honorifica esse potest, in qua omnium sæculorum nobilissimū regem, ducem atq; exemplum habes? At tibi hoc affirmo, si omnes homines quicūq; ab initio conditi humani generis, in hunc usq; diem prudentia & consilio præstitisse existimantur, in unum cogerentur, ut de tua salute consulerent, nunquam illos nec expeditiorē, nec magis honorificam rationem hac per pœnitentiam errorum confessione ostēdere posse; immo nullam aliam ullo ingenio excogitari posse. Sed quid tu Princeps, an nō satis honorificam esse ducis? Scis ne quid sit pœnitētiam agere, & culpam confiteri?

David nō prius agnouit peccatum, quàm a Nathan esset admonitus.
ii. Reg. xii.

Dux Regi illustrior ad pœnitentiam dari non potest, quàm Dauid.

Nulla Regi salus speranda citra pœnitentiam, & errorū confessionem.

Nulla unquam natura creata, sola crimine uacauit.

An sine culpa uis haberi? At hoc nulla unquam natura creata, utcunque in suo genere præstans esset, consequi potuit. Id quod non tam hominis casus in perfecta natura creati, quam angelorũ cæteris omnibus dignitate naturæ excellentiũ ruina, satis nos docere potest. Non ergo hæc præstantia ab homine natura iam misero expectanda est, ut peccatis erroribusque uacet. In quo igitur

Hominis dignitas in pœnitentia consistit.

dignitas hominis, ac præstantia existit? Nempe in hoc princeps, in hoc ipso, in quo tu dedecus atque infamiam times: in pœnitentia inquam, ut cum natura humana erroribus uacare non possit, simul ac iis implicatam se sentiat, statim inde expediri nitat, & nõ tanquam sus cęno inuoluta libenter in peccati sordibus conquiescat; quoque magis inde euocet, eo profundius se immergat.

Peccatum uiciatæ naturæ soboles.

Nihil enim princeps tam deturpat hominis naturam, quam peccatum; cum peccatum nihil aliud sit, quam degeneris ac uitiatę naturę,

Caro.

quæ in sacris literis nomine carnis exprimi solet, soboles quædam; quæ si crescendi tempus nanciscatur, quo magis se diffun-

Spiritus.

dit, eo magis naturæ generosæ, quem spiritum eædem sacræ literæ uocant, fructus corrumpit, donec omneis tãdem absumat, breuiterque tale quiddam sit peccatum, quale si exemplo declarare uolumus, in generosis multis plantis uermes fructum absumentes, quos ex ipsa morbida arboris parte in perniciem fructus sępe uidemus enasci. Quo malo affecta ipsa quidẽ planta, si sensum aliquem haberet, non posset non grauiter offendi, & omnibus modis significare, se nihil magis cupere, quam hoc tanto se premẽte malo liberari; etsi ipsa se adiuuare nõ posset, cultoris manum imploraret, ut tantum malum in intimis suis uisceribus hærens ac penitus defixum, cui mederi ipsa non posset, quoquo modo eximeret.

Pœnitentia.

Talis quidem in animo mali agnitio est pœnitẽtia, quasi sensus quidam generosæ plantæ relictus, per quem & perniciem suam aduentantem sentit, qua quidem maxime offenditur; & cum seipsam liberare non possit, ad agricolã clamat, ut malum tollat. Et tu nunc princeps planta Dei es. Sic quidem Propheta dicit,

Esa. lx.

" non magis de aliis quam de te loquens in persona Dei, Germẽ plan-
" tationis meę ad glorificandum. Sic sane es a Deo factus, tanquã generosa planta, tanquam uitis quę fructus ad Dei gloriam uberes pareret, de qua in alio loco alius propheta. Ego plantaui in

Hiere. ii.

" te omne semen uerũ. At nunc maior lues hos fructus uastat, quã ulla ex uermibus in arboribus timeri possit; cui tu ipse mederi non potes. Quid ergo? ad uinitorem non clamabis? non ostẽdes te tuo malo offendi? An ita in te oẽ generosæ naturæ semẽ consumptum

sumptum esse palam facies, ut ne malum quidem tuum sentias? At non potes non sentire, si uel minimum uitæ semen in te relictum sit, quod reliqui omnes & uident & sentiunt. quid ipsa tot iam annorũ sterilitas nonne id satis ostendit? uinitor porro ipse ad te misit, qui malum tuum tibi, spectãte uniuersa ecclesia, monstraret. Ipse uero aliud nihil expectat, nisi ut manũ suam implores. ad omnem uocem uenire est paratus. Adhuc te clamante, dicet, ecce adsum. O summã eius benignitatẽ. De te aũt Princeps quid hic dicam, si tali in statu positus eius opem recuses implorare? Quid ego hic dicam? quid quisquam hominũ? quid tu ipse, si recuses? An hoc? quod quidem solum reliquum est, quod cum aliqua honesti specie dici possit, te non pœnitẽtiam recusare, modo apud animum tuum constet te errasse, sed donec ueritas contrariæ partis in animo tuo elucescat, quæ tibi errorem tuũ monstret; intepestiuam omnem pœnitentiæ esse mentionem. Quod si rationes meæ necessario concluderent. & quænam ueritas esset liquido ostenderent, tum quidem recte me ac tempestiue facturum, si monerem, ut qui contrariam sententiam tueretur, erroris pœniteret. Cum autem in obscuro adhuc lateat, quam ego asseuero ueritatem esse, immaturum tibi uideri de pœnitẽtia agere. Quando ergo erit maturũ Princeps? differemus ne in illud tempus, dum per rationes ueritas in eiusmodi causis sic explicetur, ut nulla amplius dubitatio in animo tuo relinquatur? An tum locus erit de pœnitentia te admonẽdi, qui grauissima multa commisisti, cum tuam sentẽtiam probatum erit falsam esse? Hoc quidem nunc fateberis. Sed ausculta Princeps dum unum dicam, quod prima facie arrogantius fortasse dictum uidebitur, uerissimum tamen est. Si in iis de quibus hoc in opere disputatum est rebus, rationes meæ non effecerunt ut ueritatem tu cerneres, dico nullius hominis rationes id efficere posse. Sed cur hoc dico? an quod ipse omnia quæ in hac causa dici possint, sic & ingenio comprehendisse, & oratione explicuisse me putem, ut nullã cuiquam facultatem reliquerim, uel copiosius eandem causam uel enucleatius efficaciusq; posthac agendi? Nihil equidem minus cogito Princeps, neq; id ullo modo mihi arrogo. Sed ut ante me in hac ipsa causa agenda multa sæpe a multis & prudẽtius excogitata, & commodius enunciata esse confiteor, quã ego ullo studio cõsequi potuissem; ita nõ dubito quin adhuc eodẽ modo ab aliis etiam possint. Verum quod negaui, si meæ rationes non effecissent, ut tu ueritatem causæ huius animo cõprehenderes, nul

[Margin notes: „ Esa. lviii. „ — Obiectio. — Solutio. — Rationes nullius hominis magis possunt ueritatem Regi ostẽdere, quàm quæ sunt in hoc opere adductæ]

lius hominis rationes id unquam effecturas; dixi equidem non tam de hominum ratione utentium facultate, ingenioue loqués, quam de ipsius rationis ui: quæ quanquam plurima sane percipit, ad quæ frustra sensus aciem intenderemus; ualde tamen imbecilla est, minimumq; ualet iis comprehendendis, quæ fide potius diuinitus inspirata: q̃ scientia per causas, & rerum argumẽta parta constant: cuiusmodi fere sunt quæ ecclesia magno consensu comprobauit. In his igitur dico non esse rationi locum, non certe magis q̃ sensui oculorũ in solis lunæue magnitudine comprehendenda. Supra rationem sunt Princeps omnia quæ in præcipuis ecclesiæ dogmatibus continentur, & quæ ex his deriuantur. quæ etsi ratione tractari posse non negauerim, attamẽ ne in his quidem lucida illa ueritas, in qua animus acquiescit, ratione peruestigari atq; erui potest. Nec enim hominem magistrum, a quo penitus animis inserantur, habet: Deum habent. & nisi quis a Deo illa discat, nunquam Princeps in his ueritatem uidebit, quantumuis ratione & ingenio ualeat. Immo siquis in præcipuis illis dogmatibus, in quibus minorum ueritas continetur, ratione rimari ueritatem uelit, contra eueniet; Quo enim magis ratione nititur, eo minus penetrabit, eo longius ab eo ueritas se subtrahet. Ad sponsum ecclesiæ, qui ecclesiæ dogmata discere, & in his ueritatem perspicere uelit, cõfugiat oportet; ad quem quicunq; ratione sua nixus contenderit, nunquam propius accedet. statim enim sponsus ab eo auolabit. Ita namq; in canticis is loquitur, Oculi tui, inquit, me auolare faciunt. Non ergo oculis rationis, qui proprii oculi sunt hominis, utendum est ei qui ueritatem a sponso quærit. Sed quid faciendum? Hoc ipsum, quod nõ possum non perpetuo auribus tuis inculcare, pœnitentiam ut agas, uel ob hoc tãtum, quod cum ratio tua aliud tibi probaret; atq; multorum sæculorum ecclesiæ consensus ostẽderet; contempta ecclesię consuetudine, rationi potius cesseris; & quod ea tibi dictaret, ecclesiæ cõsensui prætuleris. Hoc quidem Princeps maximum peccatum est, ex quo multa postea grauissima scelera cõsequuta sunt; quorum si te pœniteat, ad uerum doctorem te ecclesia adducet, qui te omnem ueritatem edocebit. Simul ac enim rationi fidere cœpisti, uerus doctor, a quo solo ueritas in eiusmodi causis est petenda, qui solus animum illustrare potest, sese tibi subtraxit: neq; unquam ad te redibit, nisi pœnitentiam agas. Audi uero quid Esaias propheta dicat de hoc doctore, cum ad pœnitentiam & fletum populum Israel, qui propter peccatũ, co

Ratio imbecilla, ad comprehendenda ecclesiæ dogmata.

Veritas dogmatũ ecclesiæ, a sponso ecclesiæ quærenda.

Cant. vi.

Rationem consuetudini ecclesiæ præferre, scelus est.

gnitionem

gnitionem ueritatis amiserat, & a uero doctore aberrauerat, hortatur. Plorans, inquit, non plorabis, miserans miserebitur tui: ad uocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi, & dabit uobis dominus panem arctum & aquam breuem, & non faciet a te auolare ultra doctorem tuum. Et erunt oculi tui uidentes preceptorem tuum, & aures tuæ audiēt uerbum post tergum monentis. Hęc est uia, ambulate in ea, & ne declinetis ab ea, neq; ad dextram, neq; ad sinistram. Hæc Esaias non tam Iudæorum populo, q̄ omni pœnitenti uerbis Dei ꝓmittit. En ergo uia Princeps, si ueritatem scire desideras; a qua nusquam declinandū esse Propheta monet, qui hanc assequi speret. Sed quid Princeps? quia iam de ecclesia loquimur, & quo pacto ueritas in eius dogmatibus agnosci possit; an obliti sumus, quæ initio huius operis, de ecclesia & eius origine, ac statu diximus? an non illa satis declarant id quod nunc asseueramus, rationis instrumentum non sufficere ad clarissimam illam in ecclesiæ decretis ueritatem, in qua animus acquiescit, indagādam? ratio quidem in ueteri domo, in ea societate, quæ per naturam prudētia humana cōgregatur, maxime ualet: In ea uero quæ supra naturam est, quæq; non per rationem humanam, sed per spiritum Dei cogitur, quid faciet? Vis ut dicam Princeps, quid faciet? Idem plane, quod in politia humana is qui nihil præter sensum afferat, nullū rationis usum habeat. Quid autem faciet in ciuitate bene constituta, qui humana prudentia careat? Nempe hoc eum facere oportebit, ut obediat illis, qui prudentia, rerumq; usu præstant. Sic est in ecclesia, quæ ui regitur multo superiore, q̄ sit ratio, planeq; tali, ut infinitū sit, quanto hæc plus rationem antecellat, quā ratio sensum superet. Spiritus enim Dei sic rationem humanam uincit, ut ne conferri quidem inter se possint. ut autem sensus non potest iudicium ferre in iis quæ propria rationis obiecta sunt, nec in iis ueritatem perspicere: sic nec ratio in iis quæ spiritus Dei iudicat uera; qui omnia iudicat, a nemine iudicatur. Animalis autē homo (ut inquit Paulus, loquens de illis qui anima tantum rationali in iudicio rerum utūtur) non percipit ea quæ Dei sunt. nec enim, inquit, potest. Si non potest, quid aliud faciet, q̄ quod dixi oportere eum facere, qui in ciuitate humana prudētia constituta agēs, nullum aut certe tenuem prudentiæ usum habeat: ut cedat obediatq; prudentioribus? Hoc idem ratio faciet in ecclesia, quę spiritu Dei regitur: sese illi summittet, & cōstitutis ab illo ultro accedet; non iudicabit de iis, nec enim potest inferior uis de su-

Esa. xxx.

Ratio in politica societate multum valet.

Sensus.

Ratio.

Spiritus Dei.

i. Cor. ii.

Ratio cedere debet spiritui Dei, qui regit ecclesiam.

periori iudicare. Atq; hoc quidem est, quod primi illi fundatores ecclesiæ a Christo architecto constituti, dixerunt, se prædicare euangelium ad obediendum fidei. Hactenus enim progreditur ratio humana, & in hoc dumtaxat ualet. ultra siquid sibi sumat, idest, ut cognoscere uelit ac iudicare de iis quæ spiritus statuit, non potest non in præceps ferri. Sic primus noster parés cecidit, cui ad declarandam præcipuam uim hominis naturæ, præceptum ad obediendum datum est. cuius postea q̃ iudex esse uoluit, ut ratione duce inquirere auderet de ui præcepti diuini, statim cecidit. præstantiam autem naturæ suæ una cum salute perdidit, cum obedientiam perdidit; Cuius quidem recuperádę nulla excogitari ratio potest nisi per pœnitentiam, quæ secum obedientiam afferat. Pœnitentiam ergo agas oportet Princeps, si ullum lumen ueritatis in iis quæ ecclesia statuit, uidere uolueris. Sine pœnitentia nunquam poteris, quæ spiritus Dei statuit, uidere, etiam si reliquis omnibus ratione præstares. sed ut supra scripsi, eo minus perspicies, quo magis ratione præstiteris, si eam ducem sequeris. de qua re si adhuc dubitas, uel illud argumentũ ex euentu rerum sumptũ facile rem totam declarabit, siquis ad initia & incrementũ ecclesiæ, in qua tot iam nationes in spiritu Dei congregantur, cogitationem cõuerterit, & secum cõsiderauerit, qui primi, qui ultimi, ad tantum lumen percipiendum, quod per spiritum Dei in ecclesiam illatum est, accesserint. Illic enim uidebit primos hãc ueritatis lucem uidisse, eos qui, longius ab omni prudentia, sapientia, & ratione humana abfuere: idiotas inquam homines & simplices, qui nec prudentiæ partem ullam, nec sapientiæ attigerant: postremos uero omnium reges, & illos qui maxime prudentia humana niti solent, atq; ipsos philosophos, quibus propositum est quæ per rationem humanam sciri possunt, ea ut inuestigent. Vt ergo ii in uniuerso hominũ genere ultimi fuerunt quorum in animis lumen ueritatis appareret; cum caliginosa omnia, & ignorantiæ obruta tenebris dici uerissime possint, quæ illi sua uel prudentia in agendis rebus, uel in percipiendis rerum causis sapientia consequi potuerunt, si cum iis conferanť, quæ ipsi postea diuino hoc lumine illustrati clarissime uiderunt; item in singulis hominibus usu uenire solet, ut quo plus ratione polleant, eaq; nitantur, tardius ad lumen ueritatis perueniant. Neq; uero unquam perueniét, nisi reiecta omni rationis fiducia, se tanquam paruulos cum omni summissione & obediétia ad discendam ueritatem præparent. Hoc enim est de quo ipsa ueritas

Ro. 1.

Ratio non potest iudicare de iis quæ spiritus Dei statuit in ecclesia.

Adam dũ diuini præcepti vim discutit, cedit.

Idiotæ & simplices primi viderũt lucem veritatis in ecclesia.

Rationis fiducia abiicienda ei qui veritatẽ discere velit.

Deo

Deo patri gratias agit, cum dicit. Gratias tibi ago pater quod " *Mat.xi.*
abscondisti hæc a sapientibus, & prudẽtibus, ac reuelasti ea par- "
uulis. Nulla porro præparatio ad tantum lumen percipiendum "
esse potest, præter eam, quam ille qui missus est ob hanc causam,
ut homines se ad diuinum lumen percipiendum præpararẽt, edo
cuit: qui non erat illa lux, sed ut testimoniũ perhiberet de lumi- " *Io.i.*
ne: qui cum se uocem clamantis in deserto esse dixisset, nihil au- "
tem aliud clamaret, nisi parate uiã domino; explicans quid his
uerbis significaret, hoc solum dixit, pœnitentiam agite, & appro " *Mat.iii.*
pinquabit regnum Dei. En tibi nunc Princeps unde ueritas pe- "
tenda sit; en uia quæ ad eam ducit. quid iam cunctaberis? quid te
retardabit quo minus eã statim ingredi uelis? An duces adhuc
quæris? Si quæras, ecce, non eum solum, quem modo tibi nomi-
naui, nobilissimum Regem & Deo charissimũ Dauidem: sed no-
bilissimos quosq; in humano genere duces habebis; omnes de-
niq; quotquot aliquam honoris, aliquam uere felicitatis partẽ,
uel in præsenti uita gustarunt, uel in futura sperarũt. Nihil enim
hic necesse est unum aliquem nominare; omnes hac uia incesse-
runt. neq; alia sane ad felicitatem uia esse potest. Sed quid cun- *Pœnitentia non sta-*
ctaris? An asperum tibi uidetur pœnitentiam agere? An diffici- *tim reiiciẽda, quia du-*
le rationem propriam abdicare? quid si asperum, quid si diffici- *ra & aspera.*
le? an ideo relinquendum? & ubi uirtutem inuenies, ubi honorẽ, χαλεπὸν τὸ καλόν
si aspera omnia & difficilia fugies? quis unquã uel Deo charus,
uel apud homines clarus fuit, qui aspera recusaret? An non ideo *Virtus in arduis ha-*
clari homines, quia præclare se in rebus arduis gesserunt? an ali- *bitat.*
bi usquam uirtutis sedes est, q̃ in arduis & difficilibus? Sed præ
mium paulisper intuere, non solum enim maximæ miseriæ decli-
natio, sed felicitatis ipsius adeptio promittitur; & ab eo promit-
titur, qui nunquã nec fallit nec fallitur. An huius tanti boni con *Virtutis præmium*
sequendi spe proposita, in quo omnia bona comprehendunt, ali- *considerandum.*
quid durum aut asperum tibi uideri potest, quod eo perducat?
An non facile tibi persuadebis, cum hoc laboris præmium uide-
as, omnia aspera, quæ diu certe durare non possunt, perpetienda
esse, ut perpetua postea felicitate fruaris? Persuade tantum hoc
tibi Princeps, & ego tibi nec durã, nec difficilem uiam esse ostẽ-
dam. Quid enim est difficile in iis ad quæ te nunc hortor? An *Rationis lumẽ quan-*
primum rationem propriam in iis quæ non nisi diuino lumine *to sit obscurius illo lu-*
perspicua fiunt, abdicare, ut pro rationis lumine, diuino lumine *mine quod per Chri-*
in perspicienda ueritate utaris? An lucernulæ lumen Princeps ti- *stum in animis no-*
bi gratius est splendore solis? Quid putas esse rationis lumen, *stris fulget.*

quod a natura habemus, si cum eo lumine comparetur, quod supra naturam per Christum, qui splendor patris est, in animo nostro fulget: ne obscurissimæ quidem lucernulæ nomen profecto meretur, si cum eo quod a Christo habemus, comparetur. Quod si claritate cum illo comparandū non est, hoc tibi uerissime persuadere potes, nec tam iucundum unquam uolucribus cœli esse posse post tenebrarum abscessum orientis solis splendorem, ad cuius aspectum in uoces & cantus excitantur, omne genus animalium exhilaratur, q̄ animo humano cui tāquam lucerna in loco tenebroso, dum solis ortus expectatur, ratio est data, minima scintilla diuini luminis, quod sane uerum & naturale lumen animi est, ut sol omnibus quæ sensu sunt prædita. Quod enim ex ratione lumen habemus, tale est, quale animantibus lumen lunæ, quale etiam excluso & solis & lunę lumine lucernæ lumē. quod etsi necessitas, absente sole luna ue, quādo alia ratione uidere nō possumus, non ingratum facit: tamen nullo modo tam iucūdum esse potest iis quibus naturale lumen solis splendor præbet. Verum autem & naturale lumen animi, est Deus, est Christus ipse, qui est splēdor patris. Quid ergo hic Princeps? malignam ne lunæ, uel etiam lucernæ lucem pręferes lumini solis? Aegre ne tibi persuaderi patieris, ut lumen rationis dimittas, quo lumine diuino gaudeas? At hoc quidem nūquam dices; Illud fortasse dices quod a multis dicitur, lumen rationis nos usu experiri, in omnibus nostris actionibus utile nobis esse; illud autem quod diuinum lumen dico, te non satis intelligere quale sit. quodcunq; autem sit, magis id in futura nobis sperādum esse uita, q̄ in pręsenti, quæ tota rationis usu gubernetur. Hæc si dicas, non absurde quidem dicentur, dum quo modo accipienda sunt, intelligatur. Quid ergo? Tollet ne ea quæ modo de diuino lumine dixi, illud quod rationis uis in gubernatione rerum humanarum maxime est perspicua? Minime sane, si quod nō minus perspicuum est, animaduertere uelimus; rationem si suum ducem spiritum Dei lumen diuinum præferentem sequatur, maxime posse in rebus humanis: sin ipsa sibi dux esse uelit relicto lumine diuino, & spiritu; nō magis proficere posse, q̄ Adam post maledictionem labor suus profuerit, cui dixit Deus, Maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germinabit tibi. Ita quidem res se habet. Vbicunq; ratio sibi relicta, honorem sibi, utilitatem, uel iucunditatē parere cogitat ac nititur, ibi contra accidere uidemus, ut ignominiam, damnum, & cōtraria omnia iis quæ expectauit sibi conciliet.

Ratio, nisi spiritum Dei tanquam suū ducem sequatur, toto errat cœlo.

Gen. iii.

ciliet. Id quod uerum esse inueniet, quicunq; rationē spiritu Dei illustratam habens, historias omnium temporum, uel ciuitatum uel singulorum etiam hominū euoluerit. Illic enim animaduertet, quoties homines relicto diuino lumine, tranquillitatem sibi, uel aliquid in uita utile parare conati sint, contraria omnia sibi ipsos accersiuisse. Id quod si exemplis uti uellem uel superiorū temporum uel nostrorum, tam manifestum facerem, ut nihil clarius esse posset. Et plane uterer, nisi ea res lōgius me ab eo, quod propositum habeo, ut de rebus ecclesiæ loquar, abduceret. non enim de actionibus in lege naturæ, cuiusmodi sunt de quibus nunc commemoro, loqui est propositum. Sed si de iis dicere uellem Princeps; in tuis ipsius actionibus, cum ea prius exponerem quæ acta sunt, postquam reliquisti quæ spiritus diuinus dictabat, & te totum tuæ rationi ac prudentiæ dedidisti; an me probationes deficerent quibus id planum facerem, te cum iucūdam uitam cum honore ac securitate quæsisses (de quo sane dubitari a quoquam non potest) cōtraria omnia tibi contraxisse, id est cū summo dedecore summum periculum? cuius exitus non poterit non acerbissimus tibi esse, nisi iterum rationem spiritui adiungas, quem in omnibus ducem sequatur. Sed ut aliæ probationes deessent, nonne uel hoc unum qualiter se res habeat testatissimū facit? quod in tanta facultate, quantam habuisti ad res maximas gloriosissimasq; gerendas, in tantis naturę dotibus, tanta rerum externarum abundantia, amore populorum, copia præclarissimorum ingeniorum, in tot annorum constanti ac perpetua pace, nihil unquam gessisti, uel tuo ipsius iudicio, quod aut ad Dei honorem, aut ad gratam tui memoriam posteris relinquendam pertineret. & siquid, quod speciem mediocris cuiuspiam laudis haberet aliquando gessisti: tute ipse id obruere penitusq; ex hominum memoria delere maxime studuisti. Vnde hoc? An tibi ratio defuit? non defuit illa quidem, sed quæ illustrata lumine diuino esset, defuit; quo lumine absente nihil unquam uera laude dignū cogitari potest. Sed ingrediamur ecclesiam Princeps. de eius enim dogmatibus quærimus, quo pacto in iis ueritas sit perspicienda. An hic nullum lumen præterquam rationis quæres? An quia diuinum lumen magis proprium est futuræ uitæ, nullū hic eius usum esse dices? Et qui possumus hoc dicere, qui non possumus id non fateri, ecclesiam spiritu Dei totam regi? Quid? primū illud dogma ecclesiæ, Christum esse filium Dei, unde nam hausit ecclesia? unde Petrus ipse, qui propter hāc cognitionem beatus

Henrici. viii. facta in dicant quam cæca sit ratio, spiritui diuino non obediens.

Diuini luminis vsus est in ecclesia.

filii Dei iudicio pronunciatus est? An non lumine diuino percepit, reuelante ipso patre? an non ipse hoc satis ostẽdit reliquis omnibus qui quasi uiuæ petræ superędificati essent, unde lumẽ ueritatis in ecclesia sit petendum, ex quo fonte emanent quæ Christi filii Dei cognitionem dant, & ad eum pertinent, qualia sunt quæ in ecclesia discuntur? Sed quid Princeps? cum quæ ratione cognosci possunt, ecclesia credenda proponit, nonne in eo satis ostendit hanc uiam cognoscendi magis esse proprium filiorum ecclesiæ, q̃ illam quæ rationis usu nititur? Age uero si in ipsis hominibus diuersas has cognitiones, quasi digito monstrare possim, non uetera exempla consectans, aut ad primam illam & modo nascentem ecclesiam recurrens, in qua ecclesiæ filii donis spiritus sancti magis abundabant; sed his ipsis corruptissimis temporibus, quibus multi existimant cognitionem eam quæ per lumen diuinum habetur, in hominibus esse penitus extinctam, homines certos & tibi notissimos ꝓponens, qui cõstantissime decretis ecclesiæ adhæserũt de quibus dici non possit ratione se persuasos esse: an alias adhuc probationes tu requires? Quid dices Princeps de Roffensi & Moro cæterisq;, quos uasa quædam spiritus sancti uere possumus appellare, qui ad extremum usq; spiritum ueritatem dogmatum ecclesiæ defenderunt? quo lumine illã uiderũt, cuius amore ita exarserant, ut nullo nec præmio, nec cruciatu proposito, diuelli ab ea potuerint? Quid hic quæso dici potest? ut quisquam maxime calumniari uelit, quid dicet? hoc fortasse, illos nec diuino, nec rationis lumine ullã omnino ueritatẽ uidisse: sed pertinacia quadam animi cum falsam opinionem defendere initio cœpissent, mori prius statuisse q̃ deserere eam uideri. Verum Princeps excute quæso paulisper rationem tuam; & horum qui ita loquantur, orationem perpẽde. Atq; hoc primum ipse qui illos homines probe noueras, tecum fac consideres, quales nam in reliqua uita fuerint. Ego uero hoc solum te rogo; ecquem fuisse memineris, qui ante id tempus ex quo hæc causa publice agitari cœpta est, ullius imprudentiæ eos accusarit? Sed nunc de Moro uno loquor. An eo quisquam in omni regno tuo, quoad ille uixit, prudentior habitus est? nemo plane, omniũ, qui eum nossent iudicio nominari potest, qui fuisse uideatur ingenio & prudentia cum illo comparandus. Qui ergo sic prudentia præstaret; cum ea causa incidisset, ut si sententia desisteret, non modo omnia incõmoda, molestiasq; uitare, sed honoribus apud te & gratia reliquos oẽs anteire posset; an credibile est eo imprudentiæ

Roffensis & Morus diuino lumine illustrati ueritatem uiderunt.

Morus, prudentissimus.

dentiæ deueniſſe, ut non ſolum honoribus ſe & gratia tua ſpolia ret, ſed omne genus calamitatis, tantumq; omnino mali, quãtum homini ab homine inferri poſſet, non ſibi tantum, ſed uxori, ſed liberis, & uniuerſæ familiæ accerſeret, ob hoc tantum, ut uel ſumma ratione perſuaſam ſibi opinionem defenderet? Profecto ſi rationem ipſam tuam audire uoles, nunquam ea tibi dicet fieri potuiſſe, ut propter opinionis retinendæ pertinaciam, ac contentionem, quæ præſertim emolumenti nihil oſtẽderet, homo omnium prudentiſſimus, ſi nihil aliud q̃ humanam prudentiam ſequeret, tot & ſua & ſuorum commoda libens prætermitteret, & ſibi exitium, illiſq; calamitatem ultro conciliaret. Fuit ergo Princeps aliquid ſupra omnem rationem & prudentiam, cuius ſplẽdor animo eius oblatus, ſic omnia obſcuraret, quæ humana prudentia tanquam maxime uel expetenda, uel fugienda proponit, ut ne apparerent quidem. Quod uero de Moro dico, idem de reliquis omnibus exiſtimari debet, qui uitam potius q̃ amabilem illum ueritatis aſpectum deſerere maluerunt, nempe hos etiam diuino lumine animos illuſtratos habuiſſe, a quo ueritas illis oſtenſa ſit, non a ratione; quæ niſi diuino lumine illuſtrata, lucere non poteſt, in iis dumtaxat quę ad fidem pertinent, non magis profecto q̃ lucerna priuſquam ab igni accenſa ſit. Sic Princeps omnia diuina eloquia ſunt ignita lumine diuino. „Ignitum eloquium tuum, inquit Propheta.„ In quorum uirtute inueſtigãda, ſi ratio aliquid ualeat, lucem ſuam inde mutuetur oportet, a diuino ſcilicet igne. Sine illo nihil niſi in perniciem ſuam, & ad ſe reſtinguendam poteſt. Quo fit, ut qui huic tãquam duci fidat, ſæpe ſibi aduerſetur, ſæpe ſententiam mutet, qđ prius defenderat, idẽ poſtea oppugnet. Cuius rei ſi exempla quærerem, tu ipſe Princeps nonne mihi ſuppeditare multa poſſes, eos enumerans qui per te ad epiſcopatus honorem euecti, aliud priuati, aliud iam epiſcopi facti de dogmatibus eccleſiæ ſenſerunt? hoc quidem te eis crimini uertentem nõnunquam audire memini. Ex iis uero qui poſt adeptum epiſcopatum diuerſa de iiſdem rebus ſenſerũt, quot exempla tibi præbuit hæc quæſtio de authoritate ſummi Pontificis? quæ nullos acriores aduerſarios nunc habet, q̃ eoſdem, qui ſtatim poſt adeptum pontificatum acerrimi erant propugnatores. Cuius mutationis cauſa etſi expers malitiæ eſſe non poteſt, tamen coniuncta ignorantiæ etiam malitia eſt, cum duci cœco fidunt, ideſt rationi ſuæ. Sic enim eſt Princeps qui rationi ſoli fidunt, etſi uident, ſunt tanquam non uidentes: uident & non ui-

Veritatem cum vitæ diſpẽdio defendere nemo citra diuini luminis ſplendorẽ poteſt.

Pſal. cxviii.

qui ratione nituntur, ſubinde mutant ſententiam.

Hanc leuitatem Rex Stephano Gardinero Vintonienſi Epiſcopo obiecit.

qui rationi fidunt, vident, & non vident.

dent; eoq; sententiam sæpius mutant. Qui uero a lumine diuino rationem incensam seruant, uniusmodi semper sententiam & opinionem afferunt, quam nulla nec uis nec ratio labefactare, aut conuellere potest; quæ longe certior illis est, quã ea quæ oculis, auribus ue percipiuntur. Quam exploratam cognitionem uolẽs exprimere Ioannes Euangelista de uerbo uitæ loquẽs, ita dicit, Quod auribus audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ attrectauerunt de uerbo uitæ. Talem certe cognitionem, tam certam, tam exploratam, præbet lumen Dei. Atq; hinc Princeps, ex hoc inquam lumine tãquam ex igne, lucerna accensa est, ea quã nos christiani profitemur, fides; neq; aliter stabilis aut permanens esse potest. per hoc lumen credimus, & cognouimus Iesum esse Christum, Iesum esse filium Dei, & seruatorem mundi. Sic enim inquit Ioannes. Omnis qui cognouit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. non enim hoc libri atramento scripti, nec hominum uoces, & testimonia docere possent. Quod siquãdo ex iis uidemur aliquam cognitionem haurire, tamen nisi lumine diuino illustretur, ita est tenuis, ut facillime leuissima quaq; ex causa euanescat. id quod Christus in euangelio non obscure significauit, similitudine quadam atque imagine usus seminis, quod quidem cum seritur, partim secus uiam cadit, idq; pedibus conculcatur: partim super saxa, inter ue spinas spargitur; ac ne sic quidem ad frugẽ bonam peruenit, sed aut a spinis suffocatur, aut auibus prædæ est. Talem enim cognitionem uel aduersæ res, uel diuitiæ, uel deniq; uoluptates sæculi statim extingunt. Quod si res ipsa non satis clara esset, quã multa nobis Princeps aula tua exempla suppeditaret eorum hominum, quibus post agitatas quæstiones de dogmatibus ecclesiæ, uel timor, uel sæculi amor omnem ueritatis cognitionem sustulit? Sed nunc non tam de iis loqui est propositum, qui scientiam ueritatis aliqua simili de causa amiserunt, quam de illis, quibus nec sensus per signa quamuis magna, nec ulla doctrina auribus percepta, quantũcunque in se uera, stabilem & firmam ueritatis cognitionem in iis quæ ad Christum pertinẽt, dare potuit. Quo in numero cum Ioannis eius qui Baptistæ cognomen habuit, discipuli se fuisse manifeste ostendant: iidem nobis, quid de reliquis, qui talem præceptorem non habuerint, nec tot signa uiderint, existimare debeamus, satis præscribunt. Illi igitur (ut in euangelio scriptum legimus) cum sæpius uocem magistri audissent, qui Iesum esse Christum, ipsumq; uere agnum Dei peccata mundi

Lumen diuinum certissimam cognitionem præbet.

I.Io.i.

Fides Christiana ex diuino lumine accensa est.

I.Io.v.

Mat.xiii.

Cognitio quæuis nisi diuino lumine illustrata, facile perit.

mundi tollere testatus esset, atque adeo digito monstrauisset: nullo tamen eius testimonio persuaderi potuerãt, ut hoc ita esse certo crederent; sed semper titubarant, & in sententia uacillauerãt: donec tãdem Ioannes, tanquam ipse etiam dubius, eos ad Iesum mittere cogeretur, qui ipsos doceret, planeque persuaderet se esse Christum. Quod nisi ita factũ esset, ut a Christo ipso id aliquando discerent, nunquam sane exploratam de eo cognitionem habuissent, nunquam fidem firmam ac certam tenuissent. Neque uero Christo in carne adhuc uersante discipuli aut apostoli, hoc de quo nunc loquor, cognitionis & fidei genus ab eo hauserãt; sed postquam per passionem glorificatus est, adhuc expectasse legũtur spiritum Dei, spiritum Christi, a quo ipsi omnem ueritatẽ docerentur: qui spiritus, linguarum ignearũ specie illis apparuit. Atque hic ille spiritus est, qui in illa fide, quæ Dei donũ est, & supra omnem quæ ab homine excogitari potest, cognitionẽ, ac scientiam firmam stabilemque donat. Quid enim? existimari ne potest Princeps, quæ per hominum scripta per hominũ testimonia, per miracula denique habentur, Christi diuinitatis argumẽta, ad confirmandos in fide Christi animos hominum maxime ualere; aut ab iis nostram fidem originem habuisse? Si ita esset, Iudæi quidem essent omnium maxime dediti Christo, quos a Christi fide alienissimos uidemus. apud quos plura testimonia per scripta, per hominum uoces, per miracula de Christo habentur, q̃ apud ullam aliam gentem: apud quos Christus omnia sua miracula edidit, quos solos docuit, apud quos & natus & mortuus est; quos cum reliquit, non inde se ad alias nationes contulit, sed in eorum conspectu ad cælos ascendit: & tamen qui magis, q̃ Iudæi, a fide Christi alieni sint, reperiri nulli facile queant. Non ergo fides nostra ea est, quæ ab externa aliqua uoce, aut signo colligitur. Illa quidem ad tempus persuadere potest, quemadmodũ multi persæpe signis commoti Christum filium Dei esse confessi sunt: ut Centurio, cum magnam illã Christi uocem, in ipsa emissam animæ exhalatione audisset: sed nisi ea fides lumine supernaturali (tale enim lumen est, quam nos fidem Christi ac catholicam appellamus) illustretur, ac tanquam inchoatio quædam formam perfectionemque inde accipiat, protinus euanescit. Nec sane mirum quicquã in eo accidit. Illa enim fides, uel opinio potius, a ratione suum lumen expectat; ad illam respicit; ratio uero cum ex miraculis, ex testimoniis, ex scriptis fidedignorum hominum multa collegerit, quæ sane non negauerim in hominum mẽtibus

Ioannes baptista discipulos suos ad Christum misit, ut ab ipso ueritatem discerent.

Apostolos spiritus Dei docuit omnẽ ueritatem.

Fides quæ ex miraculis aut scripturis colligitur, supernaturali lumine eget, ut sit perfecta.

Fides catholica.

lumen aliquod cognitionis posse accendere, tandem tantũ proficiet, quãtum qui in humida materia magnã parua candela adhibita flammam excitare conetur. Qua in re aut nihil ꝓficiet, aut hoc certe assequetur, ut fumum fortasse ignis signum efficiat. quo si contentus non sit, & adhuc speret ex illo candelæ igniculo, claram se posse flammam excitare, nimirum omnis eius labor hunc deniq; exitum habebit, ut candela cõsumatur, ipse uero fumi molestiam patiatur, & se maioribus q̃ ante, tenebris lucerna consumpta inuoluat. Sic quidem est Princeps. qui cognitionem filii Dei, qui est Christus Iesus, ex ratione miracula ac testimonia externa colligente, in hominum animis accendere uelint, primum quidem talem fumum excitabunt, ut magnum quidẽ prophetam fuisse Christum agnoscant; talem autem fidem habeant, qualẽ illi de quibus Christus apostolos suos ita interrogabat, quem dicunt homines esse filium hominis? cum illi responderent, alii Eliam, alii Hieremiam, aut unum ex prophetis. Quod si perseuerauerint ratione inquirere, tandem ne talem quidem in omnibus extitisse credent, qualis prædicatur; sed multa quæ de eo ferantur, fama inferiora esse ducent. Quod si similia signa de aliis referantur, ut de Apollonio Tianeo multa eius generis miracula narrantur; aut tantum credent Apollonio quantum Christo; aut quæ de utroq; referuntur, fabulas esse iudicabunt: fabulas item, quæ de Dei prouidentia in rerum humanarum, & omnium aliarum gubernatione dicuntur. Hic quidem finis cognitionis eius, & fidei est, quæ nullam sui originem supra rationem humanam agnoscit, quæ in summam tãdem perfidiam, impietatem, ac sui fiduciam desinat necesse est. Sed uides ne Princeps qualis hic finis sit? Si uideres, principium quidem omnis miseriæ & infelicitatis uideres, non illius solum quæ futura prædicatur, sed huius etiam, quam nemo in hac quidem uita prorsus effugere, aut declinare possit. Id quod pluribus sane uerbis differerẽ, nisi uererer, ne nos ea res lõgius ab eo fine quo te iam properare cupio, retraheret. Ad illam enim fidem, qua Deo per Christum toti initimur ac fidimus, te iam rapere laboro, quã qui adipiscant̃ utcunq; miseri ante fuerint, in beatorum numerum statim referuntur; ad eam inquam fidem, per quam solam ingressus ad mysteria diuina cognoscenda datur: de qua, si in scripturis ueritatis lumen quæras, per Prophetam dicitur, nisi crediderit is nõ intelligetis. Quid aliud uis Princeps nunc dicam de hac fide? si omnia quæcunq; dici de eius præstantia possent, & quanta bona

secum

Fides ex humana ratione parta vis, ac fluxis.

Mat. xvi.

Apollonius Tyaneus.

Fides vera.

Esa. vi.

ſecum afferat, colligere uellem; enumeranda ſane mihi omnia eſſent, quæ ab initio humani generis præclare acta ſunt; quæque poſtea, quādiu erit humanum genus, præclare & feliciter agi publice priuatimq; poterūt. Hæc enim omnia illius fidei ad quam nunc te hortor, fructus ſunt, de qua ueriſſime dici poteſt; ſiquam umbram felicitatis in hac uita, quæ cum corpore degitur, humanum genus unquam eſt adeptum, eius authorem atq; effectricē fuiſſe huius fidei imaginem, ad quam nunc ueluti ad archetypū exemplar contemplandum, mentis tuæ oculos cōuertere cupio. ſiqua uero maior ac ſolidior felicitas ſperatur, ad eam hinc demum, ideſt, a fide perueniri: ſine fide autem, uel hac uera, uel illa adumbrata, non modo nullum genus felicitatis, ſed ne uitā quidem ſibi quēquam poſſe promittere. Hac enim fide Princeps, ſiue in ſe, ſiue in imagine ſua (imaginem autem appello illam fidem quam a natura habemus; quæ ſemper affert ſecum cognitionem impotentiæ & imbecillitatis noſtræ, implet uero animum ſalubri fiducia ac ſpe, nos per Dei benignitatem conſequi poſſe quod expectamus), Hac inquam fide nulla unquam gens caruit, quæ quidem in rebus humanis aliquid ſit quod homini expetendum uideatur, aſſequuta. Atq; hic Princeps ſi mihi liceret in hunc campum digredi, ut Regum, uel populorum res præclare geſtas, uel quam ſe rebus ſuis geſtis adeptos putabant umbram felicitatis excuterem, hoc quidem in omnibus planiſſimum facere non dubitarem, ut quæq; gens plurimum in Deo ſpei ac fiduciæ poſuiſſet, ita maxime quod optauiſſet conſecutam eſſe: contra autem ut quæq; in ſuis uiribus, in ſuo ingenio, in ope humana plurimum ſibi eſſe præſidii ſtatuiſſet, ita ſpe ſua deſtitutam, minimam partem eorum quæ expetiſſet adipiſci potuiſſe; qui uero eo impietatis deueniſſent, ut omnia in ſuis uiribus, omnia in ope humana ponerent, eos ab omni ope humana deſtitutos, non ab hominibus, ſed a Deo ipſo funditus eſſe ſublatos. Sic in hiſtoriis hebræorum numeroſiſſimum Sennichareb regis exercitum, qui de ſua potentia contra Deum gloriatus eſſet, nō ab hoſtibus, ſed ab Angelo Dei deletum eſſe legimus. Sic Gomorrā & Sodomam ciuitates, quæ in ſeipſis, & ubertate agrorum ſuorum, felicitatis fiduciam locauerāt, manu Dei funditus euerſas. Sic etiam apud alias nationes impietatem, & omnino fiduciam humanarum uirium, quæ quidem ad contemptum Dei prouidentiæ proceſſiſſet, maximis cladibus conſtat eſſe ſancitam. Sed de hac nunc fide non eſt nobis propoſitum loqui. Neque hæc ſane

Fidei imago.

Fiducia in Deum feliciſſimos homines efficit.

Fiducia ſui miſeros reddit.

iiii. Reg. xix.

Gen. xix.

Fidei uiua ubi, & efficacia.

illa est Princeps, ad quam te hortor: Sed de illa quæ & hāc con- tinet, & perpetuo duraturam nobis felicitatem, & regnum cum Deo affert; quæ supra naturam nostram infinito interuallo nos tollit, cuius uel minimam scintillam nemo uidere potest, quin o- mne genus felicitatis quæ in terris uel sentiri, uel animo cōpre- hendi possit, statim contemnat, ac pro nihilo ducat. quæ si forte diuitum oculis oblata sit, ut ab iis cerni possit, non modo ut li- benter diuitias abiiciant, sed paupertate etiam ut delectentur fa cit. Sapientibus autem facile persuadet, omnem ut sapiētiam su am contemnant, & stultos se haberi minime indignentur. iis ue- ro qui in honore & gloria uiuunt, omnes ut honores negligāt, & despectui habeant, immo ut ignominia etiam gaudeāt. Quid hoc est Princeps? quid hoc est? nam aliquos esse taleis nihil atti net ostendere, qui tam multi sunt, ut propter multitudinem uix nominari queant. Legiones enim multas huius generis hominū ecclesia proferre potest. Quid ergo hoc est? quid sibi uult, quod tot homines non coacti, sed sua sponte, omnia quæ iucunda na- turæ esse communis hominum sensus iudicat, sæpe uisi sunt re- linquere; & quæ miseriam afferre iudicat, ea eligere & consecta ri? An homines miseria delectari possunt? an quisquam miseriā libenter eligat? at hoc ne fingi quidem potest. Quid ergo est? Quid aliud dici, quid cogitari aliud potest, cum nemo ultro mi- seriam expetat, cum corporis uoluptates quantam uim habeant nemo non satis, & plus q̄ satis sentiat atq; experiatur, reperian- tur autem qui & illas, & omnia in quibus cæteri summam felici tatis sitam existimant, sponte relinquant, nisi eos maius aliquod lumen, quod maiora ipsis bona, maiorem felicitatem ostendat, mentis oculis uidere? Sed quale lumen hoc est, quod hi uident, alii non uident? quod genus hoc felicitatis quorundam hominū proprium, quod aliis miseria uidetur? hic quidem aliud dicere non possum q̄ quod Christus respondit quærenti ubi ipse habi- taret. ueni, inquit, & uide. Sic si quæras quale lumen est hoc, quo quidam ita delectentur, ut lumen solis prę illo contemnere uide antur, ueni Princeps & uide. ueni inquam eō unde excidisti. ue- ni in ecclesiam Princeps. ibi Christus habitat. ibi hoc gratum, quod quæris, lumen uidebis, idem illud lumen in quod Angeli (ut scriptura dicit) intueri cupiunt, quod ab illius uultu resplē det: de quo Paulus non tam pro se q̄ pro omnibus qui in eccle- sia sunt, ita gloriatur, se lumē supra id quod in Moysis facie ap- paruisset, uidisse. illud enim dicit euacuatum esse. de hoc quod

Io. i.
Veni, & vide.

Christus, & uerum lumen in ecclesia ha- bitant.
1. Pet. i.

& ipse,

& ipse, & omnes ecclesiæ filii uiderent, ita ait. Nos uero omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eãdem imaginem transformamur, tãquam a domini spiritu. O Princeps, si uel una scintilla huius luminis, perrupta densissima hac caligine, quæ te circũsistit, ad oculos animi tui perueniret; nihil prorsus, nec tam uiolentum, nec tam iucundum in uniuersa rerum natura esse posset, quod te retineret, quo minus relictis rebus omnibus, & ruptis quæcunq; te morarentur uinculis, eum quæreres a quo illa scintilla defluxisset. Nunquid audisti regnum cælorum uim pati, & uiolentos rapere illud? De iis hoc dicebatur, qui iucundissima quæq; in natura relinquentes, per omnia aspera Christũ quærebant, a quo in eorum animos scintillæ eius gloriæ peruenerãt. Hæc uero ab iis tantum uident, qui in ecclesia se continent, extra ecclesiam nullum lumen Christi apparet. Eo ergo accedendum omnibus qui ullam partem huius tam immensi boni gustare uelint; & tibi Princeps, si eius particeps esse uelis, eodem redeundum. Sed quid? cunctaberis ne ad hoc tantum bonum accedere? An uiam ad ecclesiam es oblitus? An nescis eandem esse, quæ ad Christum ducit? An non recordaris illius uocem, qui præcursor domini est appellatus, qui missus fuit ut uiam prępararet domino, & homines in eius occursum excitaret? Pœnitentiam agite, clamabat ille, & appropinquabit regnum cælorum. Hæc est uia quæ ducit ad ecclesiam, quæ ducit ad contemplandam gloriam relucentem in facie Christi, quæ cælum & terras exhilarat. Sed rectas facite semitas eius uiæ, idẽ præcursor admonet. Noli dissimulare Princeps. Noli excusationẽ peccati quærere. Hæ enim semitæ minime sunt rectæ. Hę quidem prima specie uident perducere ad ecclesiam, ubi Christus regnat. Sed reuera recta conducunt ad portas inferi, ubi sæuissimus & perẽnis humani generis hostis tyrannidem exercet. Fac ergo semitas rectas, aperte, ac sine omni dissimulatione fatere peccata. Sed quid (inquies) uidebo ne statim hoc quod tantum prædicas lumen, si præteritorum pœnitentia ductus, ad ecclesię obedientiam rediero? Quem uere pœnitet Princeps, is nunquam hoc quæret; immo se indignum iudicabit, qui hoc lumen uideat, in quod nemo unquam, quãuis innocẽs, ex natura sua, aut operibus dignus fuit, qui uel oculos attolleret. Hęc uero sunt superbi mercenarii uerba, quasi mercede lachrimas fundentis, qui dominum audet interrogare de tempore, tãquam pactus cum eo, ut simul ac lachrimas ostendisset, lumine diuino impertiretur. Hæc sunt elati illius pharisęi

ii.Cor.iii.

Mat.xi.
Regnum cælorũ uim patitur.

Lumen Christi extra ecclesiã non apparet.

Mat.iii.

Pœnitẽtia est uia ad ecclesiam.

Semitæ rectæ.

Lucæ.xviii.

uerba, quæ dominus in Euangelio reprobat, qui in templo orãs dicebat, ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo: propter quæ iudicabat sibi deberi a Deo, ut omnia quæ petiisset, impetraret. At sic nullo modo is quem uere pęnitet; Cuius & oratio & status in publicani persona exprimitur: de quo sunt Christi uerba; & publicanus a lõge stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori, dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo; quoniam omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.

Vere pœnitentis signa.

Ibidem.

Ecce hic Princeps uere pœnitẽtis uerba, audis ne quęso, ut nec oculos attollere auderet, quos in terram demiserat? An talem censes postulaturum statim fuisse, ut sibi luminis illius, quo pulchrius quicquam in cælo non uidetur, contemplandi facultas daretur, qui ne hoc quidem se dignum iudicabat, ut ad cælum oculos tolleret? Nunquam ergo is quem uere pœnitentia cepit, ut aliquod donum iure suo a Deo exigat, in animum inducere potest. In omnibus potius debitorẽ se Deo agnoscet, nihil sibi iure deberi contendet, pręter flagella, quæ non modo nõ recusabit, sed etiam optabit. Hoc quidem maximum pœnitentis signum. cuius uerba si adhuc distinctius audire cupis, quia ad te maxime pertinent, ausculta quę dicit Ecclesiasticus ille, quem cum consiliorum suorum pœnitẽtia cepisset, & dolor, quod a Deo relinqui uideretur in consilio eorum qui sibi prauorum facinorum authores fuissent, id quod tibi nunc accidit, sic orationem ad Deum dirigens, ait. Domine pater, & dominator uitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu & consilio eorũ, nec sinas me cadere in illa exprobratiõe. Quis enim dabit in cogitatu meo flagella, & in corde meo correptionem sapientiæ, ut ignorationibus eorum quę feci, non parcatur, & peccata mea nõ prætereantur?

Vere pœnitens flagella optat.

Eccle.xxiii.

Ecce hic Princeps quam non refugiat Dei flagella, sed etiam optet: neque his ignosci cupiat, quæ ignorans fecit. Cupit grauiter ab aliis corripi. Quam hæc omnia abs te conueniret dici, qui multa grauiter peccasti, partim perniciosis consiliis inductus, partim tua sponte, partim ignorans? Te uere nunc præuenit Deus: antequam tibi in mentem ueniret id optare, ad te misit qui te grauiter corriperet, qui oratione sua nihil peccatis tuis parceret. Quid enim? putas ne Princeps me mea spõte fecisse, ut te tam grauiter corriperẽ, peccata tua & scelera tibi ante oculos ponerem? sponte quidem hoc feci. Sed (Deum & ipsam charitatem testor) sic sponte, ut nihil eo me impulerit præter tui

Ratio salutis regiæ exposcebat, ut grauiter ab authore corriperetur.

amorem,

amorem, & studium salutis tuæ, qui cum sententiam abs te roga
rer in dogmatibus fidei, uiderim te non solum in illis, sed in reli
quis omnibus, quæ ad salutem tuam pertinent, frustra quærere,
nisi prius delicta agnosceres. Idem enim uere existimare potes
tibi dictum, quod populo illi scelerato, electo tamen, quærenti a
Propheta Dei uoluntatem, Deus ipse respondit, quasi eorum de-
sideria irridendo, quod nescientes se peccatorum pōdere premi,
neq; illa agnoscentes, Dei uoluntatem & mandata sciscitarent.
Sic autem ait Propheta in Dei persona, Me de die in diem quæ- » *Esai. lviii.*
runt, & scire uias meas uolunt. quasi gens quæ fecerit iustitiam, »
& quæ iudicium Dei non dereliquerit, rogant me iudicia iusti- »
tiæ, & appropinquare Deo uolunt. Hoc idem cum te Princeps » *Henricus iudicia iu-*
agere uiderem, rogare iudicia iustitiæ Dei, quem scire maxime *stitiæ rogauit quasi*
Dei iustitiam dereliquisse, & tamen non cessare uias domini in- *Rex qui iustitiam fe-*
terrogare; quid aliud accōmodatius ad salutem tuam facere po- *cerit.*
tui, monitus a Iudæorum, & Prophetæ facto, in quo tuum repre
sentatur, q̄ quod ex imperio Dei fecit Esaias eodē loco, quo po-
pulum peccatis oppressum hęc interrogantem damnat? Ita enim
ibi loquitur. Clama, ne cesses; quasi tuba exalta uocem tuam, & » *Ibidem.*
annuncia populo meo scelera eorum. hoc idem prorsus a Deo in »
salutem tuam mihi dictum iudicabam: qui quasi Rex qui iustiti
am fecerit, iudicia Dei q̄reres, & scire uelles uias Dei; quas qui-
dem nunquam prorsus intelliges, nisi primum tibi ob oculos pec
cata tua ponantur, ut ea agnoscas: deinde etiam tollantur. Hæc *Peccata veri luminis*
enim sunt, quæ luminis, idest, ueritatis in præceptis Dei aspectū *aspectum auferunt.*
prorsus auferunt. Quare iis, qui ad diuinum ueritatis lumen pe-
netrare uoluerunt, cū peccatis redundarent, dicit Propheta, Tol » *Esa. lix.*
le offendicula a facie tua, & uidebis. offendicula intelligens pec »
cata. id quod adhuc manifestius dicit. Peccata, inquit, uestra, & »
iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & me, ut faciem meā ui- »
dere non possitis. Primum ergo, qui ueritatem quæris, quæ relu »
cet in facie Dei: tibi peccata sunt agnoscenda, deinde etiam tol-
lenda. Quo ergo modo, cum hoc populo peccatore quærēte Dei
mandata usus est Esaias, ut primum peccata illis sua in memori
am redigeret, deinde uiam, qua tolli possent ostenderet; eundem
nunc tecum, idem quærente, ipse usurpaui. Quid ergo nunc tu fa *Henricus Rex Au-*
cies? An in me, qui præ cæteris dedi operam ne peccata tua te la- *thoris vitæ insidiat,*
terent, uia autem ad ea delenda maxime pateret, tanquam in ma *qui ipsum suorum sce-*
ximum aduersarium impetum facies? uitæ meæ omnibus mo- *lerum admonuerit.*
dis insidiaberis? Sed hic nihil opus est īsidiis. Siquid enim inde

lucri facturus sis; si hoc ad salutem, si ad honorem tuum pertineat, si tibi ad utilitatem cedat, ut ego moriar, non semel quidem sed sæpius, si fieri possit; Deum authorem uitæ testor, libenter etiam moriar. Sed hoc nūc maxime considerare te oportet, quid tibi mors mea prodesse possit. An hæc illa uia sit, qua honorē tuum prolapsum erigere, hominum in te beneuolentiam nunquam magis q̄ hoc tempore labefactatam (sic enim esse nemo, nisi cœcus adulator, negare potest) fulcire, pericula tot urgentia declinare, uel minimam partem eorum, quæ amisisti, recuperare possis, si ipse e medio tollar? An potius, si hoc committeres, mala tua hac ratione multo magis augeres; me uero si uel casus aliquis sustulisset, utilissimum & aptissimum tibi ad hæc omnia recuperanda instrumentum desiderares? Certe si amor erga salutem & honorem tuum aliquid possit, quemadmodum quidem nō potest non multum ualere; ego nulli unquam cedam eorum qui uel maxime in rebus tuis uersati sunt: facultatis uero tantum habebo, quantum mihi fons ipse sapientiæ dabit, uel quantum tute ipse conaberis ad hunc fontem accedere, a quo quia longius te abduxeras, in hæc omnia mala incidisti. Quid est (inquit Propheta ad Israel, & idē ad te) quod in terra aliena inueterasti? Coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum iis qui descendūt in infernum? dereliquisti fontem sapientiæ. Hoc uno malorum omnium causas est complexus. Hunc porro fontem cum te dereliquisse res tuæ actæ maxime declarent; eo si redeas, quæcūq; amisisti, maiori cum gloria & fœnore recuperabis. Disce, inquit Propheta, ubi sit prudentia, ubi sit intellectus, quæ quidem aliunde non hauriuntur, q̄ ab hoc fonte unde profluunt. O Princeps, si gustares hanc prudentiam, hanc sapiētiam ex hoc fonte haustam, quā te puderet ueteris & sapientiæ & prudētiæ, & reliquorum omnium in quibus unquam aliquam spem honoris, uel iucunditatis posuisti? de iis enim omnibus dicit Propheta. Erubescetis super hortis, quos feceratis, qui sunt tanquam quercus foliis defluentibus. Quod si ad hunc fontem accedas, ut inde honorē, inde salutem, prudentiam & sapientiam haurias: eris tanquam arbor plantata secus decursus aquarum, Cuius folia non defluent, quę fructum dabit in tempore suo. Germinare quidem hic incipies, applaudentibus & hominibus, & angelis, fructum uero in cælo reperies. Sed conuerte te Princeps, ad hunc fontem. Noli machinari malum iis, qui tibi uiam ad tantum bonum muniunt, & patefaciunt. id quod maxime profecto faciūt, qui dant operam, in

Cædes authoris Regi plus damni quam cō modi afferret.

Henricus fontem sapientiæ reliquit.

Hortatur Regem, ut redeat ad fontem sapientiæ.

Ibidem.

Esa. i.

Psal. i.

eoq; sunt plurimũ occupati, ut peccata agnoscas. Hoc uero nũc
iterum dico. Cum ultra mortẽ nihil mali homini ab homine ex-
cogitari possit; quod ad me attinet, cum iucunde semper & liben
ter uixerim, quia sic est uoluntas Dei, multo iucundius, & liben-
tius, quandocũq; Deus uocauerit, me moriturum spero. dico au-
tem quandocunq; uocauerit; quia nisi ille uocauerit, ac permise- *Mors nemini ab ini-*
rit, machinari quidem inimici poterunt, perficere certe nũquam *micis, nisi Deo per-*
poterunt. At si permiserit, uel sola recordatio illius uitæ, quam *mittente, inferri põt.*
pro tali morte mihi paratã esse certo scio, nõ posset non omnem
quem inimicus animus dolorem excogitaret, facile superare, &
gaudio immenso animum complere. Quare quod dixi, ad me ni-
hil attinet, siue ipse uiuam, siue moriar; ad eos maxime attineret,
siqui essent qui talia mihi machinarẽtur; ad te maxime Princeps
attineret, siquid tua culpa mihi accidisset. Quæ res, quando ad
me minus pertinet, tibi ipsi etiam atq; etiam consideranda relin-
quatur. O quanto magis rebus tuis prodesset, ut de tuo flagel- *Henrico utilius esset*
lo cogitares; & quod supra recitaui de ecclesiastici oratione, sæ- *de suo flagello, quam*
pius usurpares, Deumq; rogares, ut tibi peccata tua cõdonaret, *de aliorum cæde co-*
potius q̃ cogitares qua ratione aliorũ in te benefacta, quia tuæ *gitare.*
uoluntati, uel prauæ potius cupiditati repugnent, malefactis cõ-
pensares? Quanto magis conueniret, quod reliquum est in ora-
tione Ecclesiastici, abs te dici? quod sic se habet. Extollentiam ,, *Eccle. xxiii.*
oculorum ne dederis mihi, & omne desiderium auerte a me; au- ,,
fer a me uentris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ,,
ne apprehendant me, & animo irreuerenti & effrenato ne tradas ,,
me. Audin Princeps quid tandem oret? ne tradatur animo irreue ,,
renti & effrenato. Cui magis conueniret hæc a Deo petere q̃ ti- *Henrici irreuerẽs &*
bi, qui reliquis regibus omnibus christianis in fide & obedien- *effrenatus in ecclesiã*
tia ecclesiæ Romanæ manentibus, non modo defecisti ab eccle- *animus.*
sia, sed eam omnibus modis oppugnas? qui ecclesiæ consuetudi-
nem, & decreta multis iam sæculis firmata, sic animo effrenato,
& irreuerenti reiicis, ut quæ a tuo priuato cõsilio domi sunt sta-
tuta, ueteribus ecclesiæ decretis longe præferas, quorum præci-
pua in dubium uoces, nulli autẽ satis credas. quis quæso magis
irreuerenti & effrenato animo peccare posset? Sed aduertis ne
quanta hæc sit irreuerentia? An cum quãta sit ecclesiæ dignitas, *Ecclesiæ dignitas.*
ignores: simul quantam illi reuerentiam debeas, te ignorare est
necesse? Sed potes ne ignorare ecclesiæ dignitatem, cum audis
in scriptura spõsam Christi ecclesiam nominari, pro qua is mor-
tuus est, ut eam suo sanguine lauaret, integram autem & imma- *Ephes. v.*

culatam redderet? An quia uitiis & peccatis eam deformatam, & inquinatam uides, maxime in præcipuis, ut tu iudicas, membris: idcirco minorem illi reuerētiam habes; & ideo deficis ac recedis ab eius decretis? Sic quidem tu dicis, hāc rationem contemptus tui affers. Sed ausculta paulisper Princeps. Cum de decretis ecclesiæ tantum loquimur, iam nihil nobis cum hominibus, qualibet improbi sint qui ecclesiam regunt. Si ecclesiæ decreta nō minus q̄ tu, eos condemnant; si multo etiam magis, cum non solum coram hominibus, sed coram sponso ipso summo iudice testimonium contra illos dicant; quid tu ab ea descíscis, quæ idem damnat quod tu? Sed quæ hæc irreuerentia Princeps, quod iudex eius dogmatum esse uelis, & post tot sæcula tāquam debitorem ad rationem reddendam uocare, nihil deniq; admittere præter id quod tuo & tuorum iudicio fuerit probatum? An tu hic, quod solum dici potest, id dices? te non ad iudicii tui, sed ad scripturę sacræ normam ecclesiæ decreta exigere? Sed quid? num ecclesia tot sæculis, quot sponsa Christi appellata est, cum ipsa locum & authoritatem scripturis dederit, non intellexit, quid iis conueniens, quid repugnans esset? An ipsa amussim ad petram applicare nesciit, quæ scripturis ut regulæ uim ac nomen obtinerēt, dedit? an non tum applicauit, cum quales libri reciperentur, quales reiicerentur, decreuit? quam uero nunc absurdum est, ut quibus ecclesia authoritatem dedit, iis tu plus tribuas, q̄ ipsi ecclesiæ? ut scripturas admittas, quæ non nisi ex ecclesiæ decreto authoritatem habent; ecclesiam quæ a nullo nisi a Christo Dei filio authoritatem habet, & scripturas in honorem atq; authoritatem adduxit, paruipendas? Sed uide quā Paulus uas electionis, qui in tertium usq; cælum raptus est, ubi arcana Dei uidit, illam non paruipenderit, uel potius quanto in honore habuerit. Ille enim Corinthiis scribens, cum quiddam statuere uellet, quod ad morum honestatem ualde conferret, eiusq; rationem ipse eam attulisset, quæ cuiuis æquo rerū æstimatori satis esse deberet, animaduertens tamen, si authoritas præcepti ex ratione solum pēderet, nullam unquam posse tam firmam afferri, cui contentiosus animus non aliquid aliquando obiicere contra posset; quid fecit? an satis habuit suam unius authoritatem interponere, quæ sane non poterat non maximi momenti esse, cum nemo eorū ad quos scribebat ignoraret, quis Paulus esset, cuius dictū firmius omni ratione haberi deberet? Sed quid fecit? ut omnem contentionē plane præcideret, & omnium ora obstrueret, disputationi deniq; loci nihil

Ecclesiæ decreta condemnant malos prælatorum mores.

Authoritas ecclesiæ est scripturæ maior.

ci nihil relinqueret, sic uno uerbo conclusit. Siquis autem uidet̃ ,, *i.Cor.xi.*
cōtentiosus esse, nos talē, inquit, consuetudinē nō habemus, neq; ,,
ecclesia Dei. Ecce hic quāti pōderis uoluit esse consuetudinē ec ,,
clesiæ Dei; cuius adhuc authoritatē multo magis in epistola ad
Timotheum explicat, cum ecclesiam firmamētum & columnam ,, *i.Tim.iii.*
ueritatis appellat; adeo ut huc tandem recidant omnes rationes,
omnes disputationes, etiam scripturæ ipsæ, quæ etsi regulæ nomen,
ac uim obtinent, tamen huic columnæ ueritatis quæ est ecclesia,
innitantur necesse est. Huius ergo dogmata, huius decre
ta, authoritatis pondere, omni & scripto & rationi sunt præferen
da; cuius tu nunc Princeps minimam habere rationem uideris,
quia, ut dicis, animaduertas eos qui ecclesiam gubernent, ab ecclesiæ
decretis plurimum desciuisse. Quid enim aliud dicere pores?
At ob eam ipsam causam multo magis ecclesiæ in decretis
suis ueritatem admirari deberes, quę eosdem uel maxime conde
mnat. Sed si ecclesiæ uim atq; authoritatē ex iis quos uides, metiris;
non potes non uehemēter falli. Qui enim maxime regit ecclesiam,
minime omnium uidetur; qui est Christus ipse; utcunq;
tibi uideantur mali homines gubernare. Nōdum Princeps tempus
est, ut quotquot in ecclesia sunt, uita immaculata, & sine ruga
sint. Hoc quidem tempus expectamus. Nūc uero, ecclesia est *Mat.xiii.*
tanquam sagena missa in mare, ex omni genere piscium congregans, *Ecclesia bon. espariter*
in quam tam boni q̃ mali conueniunt; & tanquā arca Noe, *ac malos co tinet.*
in qua animalia & munda, & immunda. Nec tamen tam immunda *Spiritus sanctus non*
esse possint, ut a Christi spiritu ecclesia relinquatur, qui qui *relinquit ecclesiā pro*
dem in eius dogmatibus semper relucet. Si fuerit ecclesiæ multi *pter malos.*
tudo ut arena maris, tamen Christus semper sibi aliquos reserua *Esa.x.*
bit, in quorum animis spiritus sanctus remaneat, utcunq; multitudo
corrupta sit. Quid enim putas Princeps? Si in lege naturæ
tum cū hoīes corruptissime uiuerent, sic ut non magis ante diluuium,
q̃ & post, & hoc etiam tempore, dici posset, omnis caro cor ,, *Gen.vi.*
ruperat uiam suam; nunquam tamen ulla ciuitas reperiri potuit, ,,
quæ sic esset corrupta sic sensum naturæ præceptorum amisisset,
ut omnino ueritatem in illis perspicere nō posset; quo pacto uis
in ecclesia Dei, pro qua Christus mortuus est, ut in ea perpetuo
Dei spiritus maneret, sic eundem spiritum esse extinctum, ut potius
ueritatem a mutis libris, qui semper contentionis materiam
hominum ingeniis præbent, q̃ ab ecclesiæ consensu, quæ nunquā
caruit spiritu Dei, & obedientiā, quę maxime grata est Deo, hoc
modo docet; petendam putes; præsertim cum Christi ipsius pro-

Io.xiiii. Mat xxviii. missum ecclesia habeat, fore ut usq; in finem saeculi, & in aeuum ipse spiritu suo semper praesto sit ecclesiae, neq; unquam ullo temporis momento inde absit. Si ergo, ut ꝓpheta Hieremias inquit (Hiere.xxxiii.) » in persona Dei, pactum meum inter diem & noctem, & leges cae» li & terrae non posui, equidem & semẽ Iacob & Dauid serui mei » proiiciam. Sed cum pactum eius inter diem & noctem sit positũ, si leges naturae stant, si nunquam tam corrupta natura fuit, ut nõ hunc sensum uerum habuerit, honorandum esse Deum, honorandos parentes, alteri non esse faciẽdum quod sibi quis nolit fieri, quae omnia sunt dogmata naturae, a quibus etsi homines improbitate sua saepe discedant, manet tamen hic sensus ueritatis in natura; quanto magis in ecclesiae praeceptis, quae Christus supra naturam in hominum mentibus inseruit, remanebit? utcunq; homines sua deprauata uita sensum eorum se amisisse ostendent, semper tamen Christus aliquos sibi reseruabit, per quos hunc ueritatis sensum illustrari uelit, qui non a natura hunc sensum ueritatis habent in opinione tantum positae, aut per rationes ex naturae fontibus haustas demonstratae, sed supra naturam per fidem illustratã spiritu diuino; cuius clarae cognitioni, nihil quod per uiam naturę cognoscimus comparari potest. Atq; hi quidẽ sunt, (ii.Cor.iiii.) » in quorum cordibus Paulus dicit fulgere illuminationem euan(i.Pet.ii.) » gelii glorię Christi, qui est imago Dei, quos, ut inquit Petrus in epistola, Christus uocauit in admirabile lumẽ suum, quibus de(Psal.xviii.) » niq; Propheta dicit, Praeceptum domini lucidum, illuminãs ocu» los. Quam cognitionem per Christum habemus, qui est splẽdor Dei; quę ne antiquis quidem patribus ante Christum defuit, etsi non ita copiose ab illis hausta; utpote quibus promissa magis q̃ pręb ita esset: nisi forte ab eo uno ubertim hausta est, qui primus (Abraham fide & obedienti a clarissimus.) supra rationem & naturam, Deo credidit, qui fuit Abraham, cu(Io.viii.) » ius semini promissus est Christus; de quo Christus dicit, Abra» ham uidit diem meum, & gauisus est. Ab illis uero post Christũ uberrime est hausta, qui maxime Abrahae fidem & obedientiam (Ro.iiii.) sunt imitati, quem Paulus patrem credẽtium appellat, quẽ Deus obedientia & fide fecit clarissimum. Hoc uero genus cognitionis per spiritum Dei nunquam in humano genere sic fuit extinctum, ut non aliqua eius scintilla maneret; sine quo lumine natura ipsa nihil quod ad se tuendam pertineret, facere unquam potuit. Sed tum prolixe effusum est, cũ quod Abrahae promissum (Heb.i.&.ii.) fuerat, Deus persoluit; Cum filius Dei, splendor patris, Abrahae (Io.i.) semen apprehendit; Cum lumẽ illud quod illuminat omnem ho-

minem

minen. venie [illegible] hunc mundum, caro factum est, tum quidem
natura humana co[illegible]piosissime hanc cognitionem per spiritum Dei,
qui semper manet in ecclesia, hausit: licet omnes qui sunt in eccle/
sia, non eodem modo gustent: sed vt Christus membra in eccle/ Ro xii, et, i. Cor. xi.
sia honore differentia posuit, sic quæ magis, & quæ minus gu/
stent, eadem habet: non enim omnibus datum est nosse myste/ Mat. x ii.
ria regni Dei: nemo vero extra ecclesiam agens eam gustare po/
test, sed ii demum, qui Abrahæ fidem & obedientiam imitantur.
Omnes vero tales, vbicunque locorum sint, in ecclesia sunt: qui
enim sunt extra ecclesiam, ab Abrahæ fide & obedientia absunt.
Tales sunt de quibus Paulus dicit. Quod si opertum est euan/ „ ii. Cor. iiii.
gelium, in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius se/ „
culi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illumina/ „
tio euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Vt autem illi, „
qui cæcus natus sit, nulla ratio ostendere queat, quale sit lumen
hoc, quo nos ea omnia quæ sub sensum oculorum cadunt, com/
præhendimus: eodem modo qui oculis tantum corporeis est præ/
ditus, animum vero excæcatum habet, nulla ratione persuaderi po
test, esse aliquod lumen supra hoc quod sensu percipitur: imo
stultos iudicabit omnes qui ita dicant. Sed tu Princeps, cum Alius lumen fidei, alius rationis.
homines prudentissimos videas, pro dogmatibus fidei libenter
mortem oppetere, id quod aliis qui eandem, quam illi, lucem cer/ „
nere non possunt, stultitia videtur: persuadere merito tibi potes, „
alio modo illis fulgere veritatem, quam his qui rationis tantum
lumine vtuntur: nam cum ne ipsis quidem in iis quæ tam constan/
ter ac fortiter defendunt, rationis lumen desit: sed abunde po/
tius adsit: omnino aliud quoddam lumen est, cui ratio recta nun/
quam repugnat: sed qui hoc vident, rationem prorsus abiiciunt,
quemadmodum nos orto sole, lucernas solemus. Vt vero pro/
pius accedam ad eos homines, qui nuper pro ecclesiæ decretis vi/
tam potius relinquere, q̃ quod semel aspexerant, veritatis lumen
non agnoscere voluerunt: cum hoc constet, nullos in vniuerso tuo
regno nec prudentiores, nec doctiores omnium iudicio, prius q̃
hæc dogmata in quæstionem venissent, habitos esse: quid aliud
de iis existimari potest, nisi splendidius lumen veritatis illis af/
fulsisse, q̃ quod a cæteris qui eadem mentis acie præditi non es/
sent, posset compræhendi? viderunt Princeps, viderunt: nec enim
aliter dici potest. Nec vero rationis lumen illud fuit: quæ etsi
plus, q̃ sensus, videt: tamen cum a sensu cognitionem hauriat, vt ..
ipsæ sensus operationes, simul ac obiecta remoueris, euanescunt, ..

Z

sic omnis quæ inde habetur cognitio, nunquam animum stabilem & firmum in veritate reddere potest: nunquam efficere, vt potius vitam, quæ omnium rerum humanarum est iucundissima, q̃ a tali principio haustam cognitionem repudiet. Sed per illud lumen viderunt, quod omni vita est iucundius: per lumen Christi, & spiritum eius, per spiritum Dei, quæ animæ nostræ vita est: & lumen; quo nunc immortaliter fruuntur. Hoc ergo Princeps si tu videre & eo frui cupias, sine quo nulla vita, & cum quo summa fœlicitas: ad Abrahæ fidei & obedientiæ exemplum te componas oportet: ad ecclesiam redeas necesse est: extra quam non magis fieri potest vt vel veritatis cognitionem vel salutem consequaris, q̃ fieri potuit, vt qui extra arcam Noe erant, ab aquis diluuii seruarentur, semper in hoc sæculo imminet animis diluuium, qui solam ecclesiam perfugium habent. Ad ecclesiam ergo redeundum tibi est Princeps, qui nimium longe ab ea discessisti: et si redeundum est, pœnitentiam agas oportet: hæc enim demum via ad ecclesiam ducit. En ergo quàm sæpe ad pœnitentiam reuoluimur, & qui aliter fieri potest, cum de reditu ad salutem sit totus sermo, & hæc vna via sit, qua ad salutem peruenitur? nimirum hæc sola ducit ad ecclesiam, vbi salus est, hæc sola via ad percipiendum lumen veritatis, quod a spiritu Dei deriuatur: Ad quem enim, inquit Propheta, respiciam, nisi ad humilem, & contritum, ac trementem verba mea? de qua cum pauca adhuc dixero, hic te tanquam in limine ecclesiæ relinquam. Quid autem dicere aliud possum, præter ea quæ iam dixi? An exempla summorum, & clarissimorum virorum pœnitentium proferam, in quorum numerum libenter te conferas, vt vno ex iis quasi manu apprehenso, maiori tua cum dignitate, ecclesiam sic comitatus ingrediaris? O Princeps quàm longe a tuo animo recederet omnis honoris ac dignitatis recordatio, si vere te tui erroris pœniteret? quàm tu nullum honorem peteres, nullum agnosceres, nisi siquis ex reiiciendo omni honoris nomine, & teipsum maxime demittendo, atq; indignum omni honore iudicando, contingere honor posset? At qui maxime potest Princeps: hæc enim vera radix honoris est, vnde necessario qui splendidissimus honor dici potest, efflorescit: verba enim Christi sunt. Omnis qui se humiliat, exaltabitur, ex quibus etiam consequitur, qui se maxime humiliauerit, maxime exaltatum iri. Et quia Christus super omnes se humiliauit, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: ideo datum est illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine

Hortatur Regem, vt ad ecclesiam redeat.

Esa. lxvi.

Verus honor ex humilitate paratur.

Lucæ. xviii.

Philip. ii.

eius

eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum ”
Nemo vero vnquam veri honoris fructum gustauit, qui non ante
sui contemptum gustauisset. En Abraham quanto honore apud Abraham.
Deum & homines fuit? sed non prius, q̃ ipse sese terram esse &
ciuerem agnouit: ita enim dixit, cum ipsi supra omnem, quæ ex/
cogitari posset, dignitatem, honor a Deo promitteretur: Ego ter/ ” Gen. xviii.
ra & cinis. Dauid vero ex pastore sublatus ad tantum regnum, il/ Dauid.
lustratus tot victoriis super omnes inimicos: quo magis a Deo
attollebatur, eo magis suam ipse indignitatem agnoscebat. Quis
ego sum domine, inquit, aut quæ domus mea, vt præstares mihi i. Para. xvii.
talia? Sed si hunc honoris splendorem, qui ex tali radice humili/
tatis efflorescit, oculi tui ferre adhuc non possunt, ac ducem quę/
ris ad pœnitentiam, quem sequi saluo honore possis: quem nam
maiori tua cum dignitate sequi possis, q̃ illum, quem toties iam
nominaui, Dauidem, Regem vnum omnium clarissimum, & Deo
charissimum, cui lachrymæ panes erant die ac nocte, qui lachrymis Psal. xli.
rigabat stratum suum? Verum si tibi hic videtur tantum excel/ Psal. vi.
lere, vt eum desperes consequi posse. En tibi multo propinquius,
ac nobilissimum pœnitentiæ exemplum. Theodosius Romani
imperii tum florentissimi moderator, & Imperator fœlicissimus: Theodosius Imperator.
qui post graue facinus admissum, cum aliquãdiu nullum pœniten/
tiæ signum dedisset, immo ne culpam quidem agnouisset, tandem
singulare obedientiæ & pœnitentiæ exemplum, cum maximo ec/
clesiæ fructu omnibus se præbuit: crimen vero tale fuit, vt magnã
iuris speciem præ se ferret: in quo non tam factum, q̃ modus &
ratio reprehendi posset: sic enim de eo memoriæ proditum legi/
mus. Cum Thessalonicæ, magistratus Imperatoris, a populo ma/
le mulctari, & pulsi essent: Imperator vt hoc resciuit, ne tantum,
ac tam audax populi facinus, quod pessimi exempli in posterum
fore videretur, diutius inultum esset, statim cohortes armatas in
eam vrbem intromisit, non quæ sceleris authores comprehende/
rent, sed quæ promiscuam, nullo meritorum discrimine, plebem
cederent. Talis fuit animaduersio eius, tale factum: in quo qui/
dem negari non potest, quin populus graueis pœnas ob iniu/
ria affectos Principis ministros mereretur, neq; hoc scilicet in il/
lo reprehensum est, quod non prætermittendam tantæ audaciæ
animaduersionem iudicasset, sed illud, quod non potius in scele/
ris authores inquisisset, qui sane omni genere suppliciorum erant
digni, q̃ in populum milites immitteret: cum dubitari non pos/
set, quin multi eius culpæ expertes essent, quibus tam audax fa/

cinus in Imperatorem suum maxime displicuisset: sed ille videli/cet in omnes, nihil distinguens nocentem ab innocente, animaduer/terat: de qua re cum Mediolani ab Ambrosio eius ciuitatis Epi/scopo admonitus esset, nec tamen resipisceret: tandem maxima sa/tellitum & ducum suorum turba stipatus, ad templum vt sacris in/teresset, accessit: quo iam appropinquante, Ambrosius templi fo/res vt clauderentur, imperauit, & se illi venienti in ipso aditu op/posuit: atq; in conspectu omnium suorum tanta vi & seueritate ver/borum eum reprehendit, ac castigauit, vt cui oriens & occidens pa/rebat, is vnius hominis castigationi necesse habuerit cedere: do/mum itaq; reuersus, statim ad Episcopum cum mandatis misit, qui suis verbis dicerent, se in eius potestate futurum: pœnam sce/leri statueret, quæ ipsi videretur: nihil tam graue statui posse, quod non ipse libenter subiret: id quod sane re ipsa postea præsti/tit, cum impositam sibi ab Episcopo pœnam, quasi omnium mi/nimus persoluit. O magnum pœnitentiæ exemplum, & a te Prin/ceps maxime imitandum. O quantum ecclesiæ profuit hoc vno suo facto? plus certe, si verum fateri volumus, q̃ vllus vnquã Im/perator: nullum enim adhuc legimus, sic claustra imperii Christi validis præsidiis muniisse, vt hic fecit, cum se obedientiæ & pœ/nitentiæ exemplum omnibus proposuit: qua vna re, non solũ ho/stes summouit, sed quicunq; in ecclesia erant, in officio firmissi/me continuit. O Princeps, si tu idem imitareris his temporibus, quantum prodesses? Atq; hic quidem Imperator est, in cuius fœli/citatis elogium, ob res plurimas prospere gestas, hi versus omni/um vocibus celebrabantur, " O nimium dilecte Deo, tibi militat " æther, Et coniurati veniunt ad classica venti. Et quid tibi Prin/ceps ad fœlicitatem deesse posset, si huius obedientiam & pœni/tentiam tibi imitandas proponeres? quã cito omnia quæ in eccle/siam peccasti, in maius ecclesiæ bonum Christus conuerteret? quot animos tua vnius obedientia in Christi fide confirmaret, qui vt vacillarent, tua ista defectione effecisti? vt enim draco ille e cœ/lo cadens, tertiam partem stellarum secum traxit, ita tu ex eccle/sia deturbatus, cum obedientiam reliquisti, plus q̃ tertiam partem nobilissimarum regni tui animarum, quæ ciues cœlorum erant, tecum detraxisti ad perniciem: quæ omnes si tu in cœlum redie/ris (redibis autem, si ad obedientiam & pœnitentiam te conuer/teris, hæc enim via ad cœlum, a qua deerrari omnino non potest) ipsæ etiam comitatæ plurimis aliis & magis confirmatæ, eodem tecum reuertentur: hæc enim Princeps, quæ ad te de obedientia

Ambrosius Mediolanensis episcopus.

Henrici Regis error, multos traxit in perniciem.

& pœnitentia

& pœnitentia scribo, etsi tua præcipue, tamen omnium etiam qui tecum ceciderunt, causa scribo: quæ autem tibi, eadem illis quoq; ad salutem patet via: ego vero omnes saluos maxime cupio: ac ne illius quidem saluti inuideo, cuius amorem constat omnium horum malorum esse causam: imo vero in primis saluam esse velim: erit autem salua, ac ne honoris quidem sui iacturam vllam fecerit, si tecum ad obedientiam, & pœnitentiam redierit: nouit enim Christus, quod natura non potest, etiam iis quæ corruptæ sunt, florem virginitatis reddere, quod si tu illam iterum post pœnitentiam ad amorem receperis: o quanto suauiores & dulciores amores erunt, quos iam non inhonesta concupiscentia, sed Christus omnis suauitatis mensura excitabit, & coniunget: o quanto admirabilior tu Princeps & iucundior omnibus appareres, post pœnitentiam ad Christum & ecclesiam rediens? quantam primum in teipso animi suauitatem sentires, quam nunc sentire non potes, peccatorum conscientia exacerbatus? quam tum sentires te non modo graui onere leuatum, sed totum renatum, renouatam autem vt aquilæ iuuentutem tuam? quam gratus porro omnibus tuis erit aspectus tuus post pœnitentiam, qui infinita mala, quæ necessario illis propter tuam ab ecclesia defectionem impendent, cum summa animi solicitudine timentes & expectantes: si ad obedientiam redieris, non modo ista maxima solicitudine, & quasi certa pernicie se liberatos sentient, sed antiquum illum erga te amorem, veterem spem, quam de te adolescente omnium virtutum indole ornato concipiebant, multo magis renouabunt; plura abs te bona, quam vnquam ab vllo Rege læti atq; hilares expectabunt. Neq; vero eos spes sua fallere poterit: si enim post tam grauia peccata, & grauiora quam vllus vnquam Rex in isto regno commisit, ad Christum redieris: nobiliorem plane te & præstantiorem reliquis omnibus quicunq; istic imperium habuere, Christus te restituet. Ecclesiæ deniq; vniuersæ quam gratum spectaculum erit, quæ te tanquam nouum & maxime admirandum Christi opus intuebitur: neq; enim quanti momenti ad omnes controuersias, quæ ipsam nunc miserabiliter diuexant, sedandas, futurus sit reditus ad obedientiam tuus, ignorare potest: eoq; non minus assidue nunc pro te, vt vitæ restituaris orat, quam sanctæ illæ fœminæ pro Lazaro Christi amico, quem Christus ad illarum preces in vitam reuocauit, orarunt. Nec vero cupidius plurimi ex Iudæis ad Lazarum visendum conuenerunt; vt eum tanquam maximum Dei miraculum aspicerent, quam omnes & populi & natio/

Anna Bullena postea à rege interfecta.

Quantæ commoditates sunt secuturæ pœnitentiam Henrici regis.

Psal. cii.

Io. xi.

nes concurrent ad hoc ſpectaculum, vt te morte extinctum mul/
to grauiore, quanto ſcilicet animæ quam corporis mors eſt gra/
uior, cum maximo gaudio ſuſcitatum aſpiciant. Audeo vero di/
cere, neminem nec amicum, nec hoſtem fore, qui nō maximo gau/
dio de tua pœnitentia afficiatur, & maioribus quam vnquā antea
amicitiæ vinculis coniungi tecum cupiat. Sed quid de gaudio,
quod populus omnis chriſtianus hic in terris ex tua ſalute eſt ac/
cepturus, dico, cum ne cœlum quidem expers huius gaudii ſit
futurum? neq; enim vel tacita animi cogitatione accingi ad pœ/
nitentiam potes, vt non id ſtatim in cœlo ſciatur. Si autem bona
fide reſipueris, hoc iam dico, ſi Angeli in terris, Chriſto nato, cō
cinendo laudes Dei, gaudium ſuum teſtabantur, ſic Chriſtum in
animo tuo nunc mortuum renaſci & ſuſcitari ſi cognouerint, fieri
non poſſe vt gaudium ſuum contineant: ſed quod in Chriſti nati/
Lucæ.ii. „ uitate canebant, idem canticum vſurpaturos eſſe. Gloria in excel/
„ ſis Deo, & in terra pax hominibus: cuius tu cantici fructum & ve/
ii.Cor.iiii. ritatem in teipſo primum ſenties, cum occulta, vt Paulus appel/
Solatium ac gaudium quod vere pœnitentes intus ſentiunt. lat, dedecoris, quæ intus in animo latent, ex quibus, quicquid ma/
li, vel dedecoris foris apparet, erumpit, auferri primum ſenties: ti/
bi autem a Chriſto idem dici audies, quod in ſecunda circunci/
ſione populi Iſrael, poſt tranſitum Iordanis, Ioſue illorum duci
Dei verbis dictum eſt. Hodie abſtuli a vobis opprobrium Aegy/
Ioſue.v. „ pti: hoc enim ſenties tolli, cum pro terrenis & humanis cupidi/
tatibus, quę te longe infra dignitatem tuam ſeruum Pharaoni,
nec meliori conditione quam bruta animalia, conſtituerint, cœ/
leſtia & diuina deſideria tibi a Chriſto inſeri ſenties, qui ſolus re
Pſal.cii. „ plet in bonis deſiderium tuum, ex quibus animi pax & tranquil/
litas conſequetur, & iam odor alterius generis fœlicitatis in re/
gno Dei, qua vna cum Angelis eius perpetuo frueris: hæc enim
Rex debet ſequi ſacerdotes non præcedere. bona veram pœnitentiam conſequuntur: ſi prius, vt Ioſue Dux
populi electi in tranſitu Iordanis ad terram deſideratam, lacte &
melle fluentem, ſacerdotes præcedere Dei verbis iuſſit, ſic tu Dux
populi Dei in hoc tranſitu ad regna æterna deſiderata & promiſ/
ſa, permittas ſacerdotes Dei præcedere, nec te illis vlla ratione
Ioſue.iii. „ præferas: nec enim ſic Ioſue fecit: & tum audiuit a Deo, Hodie
„ incipiam te exaltare coram omni populo Iſrael. Idemq; tibi pro/
mittit, ſi Ioſue exemplum in hoc ſequaris: victoremq; te, vt illum,
omnium inimicorum tuorum faciet? Sed aliquando tandem vi/
Peroratio. deo modum eſſe orationi ſtatuendum: non enim expectandū eſt,
dum illa me deficiat: in qua ſane nullum finem inuenio, præſertim
cum

cum de iis, quę ad salutem tuam pertinent loquor, non certe ma-
gis q̃ in meo erga te amore, vnde illa omnis oratio ducitur: qui (vt
dicitur) fundum non habet. Hic ergo abrumpamus orationem, &
finem faciamus, si hoc tantum de vniuersis & singulis quæ in hoc
libro scripsi attestatus ero, me non aliter sententiam meam in his,
de quibus rogatus sim, dixisse, quàm fecissem, si ad tribunal Chri-
sti dicere debuissem. Atq; hæc tamen perinde erunt, vt ea accepe-
ris: nam si quo animo a me scripta sunt, acceperis; hoc iam affirma-
re audeo, Christum in maximam & tuam & regni tui totius salu-
tem, ea esse conuersurum: sin aliter interpretatus eris, mihi profecto
nocere non poterit peruersa interpretatio, nisi hactenus, quod illi
exitiosa fuerit, cuius salutem supra omnes res humanas cupio. Ego
quod mei officii fuit, abunde feci. Buccinam, vt inquit Ezechiel de „ Ezech. xxxiii.
iis qui impendentis propter peccata calamitati & dei vindictæ ho- „
mines admonent, insonui. Quod si tu auscultare recusaueris, se- „
quuntur in te verba Prophetæ. Audiens, quisquis ille est, sonitum „
buccinæ, & non se obseruauerit, veneritq; gladius, & tulerit eum; „
sanguis ipsius super e[illegible] eius, sonum buccinę audiuit, & non se „
obseruauit, sangui[illegible]us in ipso erit. Ego vero qui Dei sententiæ „
veritatem aperui, peccata ostendi, impendentis calamitatis admo-
nui, & rationem effugiendi monstraui, quicquid acciderit, coram
Deo & hominibus, hoc meo scripto fidem meam libero. Atq; hic
tandem Dei misericordia per Christum fretus: prophetæ verbis
pro vobis concludam: Conuertimini, & agite pœnitentiam, & nõ „ Ezech. xviii.
erit vobis iniquitas vestra in ruinam. „

¶ Excussum Romæ, apud Antonium
Bladum Asulanum.

Errata.	Fol.	Pag.	Lin.	Sic corrigenda.
Semel abiicere	ii	ii	7	simul abiicere
si qua	vi	i	16	si quæ
Adiocitantur	xi	ii	11	adhortentur
ineptum	xviii	i	17	impetum
detuisses	xix	i	36	debuisses
populi fœlicitatis	xxii	ii	37	populi fœlicitas
siue sacerdotis	xxiii	i	25	sine sacerdotis
humani generi	xxiiii	i	31	humani generis
fruantur	xxiiii	i	32	fruatur
necessarium	xxv	i	11	necessariarum
poscebant	xxxiiii	ii	22	poscebat
nidelicet	xxxix	i	9	videlicet
quia se	xxxix	i	37	qui se
illi diceret	xlvii	i	14	illi diceret
possint	xlvii	i	21	possint
Explicetur. Vt igitur	xlvii	i	22	explicetur: vt igitur
duodem	liiii	i	17	duodecim
teratio	lix	i	3	te ratio
significatur	lx	i	21	significantur
vnam pro se, alterum	lxi	i	17	vnum pro se, alterum
quorum adducas	lxi	ii	26	quorsum adducas
beatituni	lxv	ii	8	beatitudini
non possum vehementer	lxv	i	11	non possum nõ vehementer
vt. faciem cognosceres	lxxii	i	2	vt petri faciem cognosceres
qui ita tũ fecisset	lxxi	i	34	qui ita tum fecit,
etsi Iudei	lxxiii	i	9	etsi Iudæi
manu Dei lapidibus	lxxiii	i	22	manu Dei pfectis lapidibus
tantam infamiæ	lxxv	i	40	tantum infamiæ.
desideratura	lxxvi	iii	26	desideratura
horrendum	lxxxiii	ii	38	horrendam
e celo	lxxxiiii	ii	18	e cœlo
seditionis	lxxxvii	i	7	seditionis
dumtatat	lxxxviii	ii	32	duntaxat
circumuenisset	lxxxix	ii	8	circumuenirent
perulgata	xc	i	20	peruulgato
ac summa in	xci	i	35	ac summo in
demisisset	xci	i	38	demisisset
omnium femina	xcii	i	31	omnium malorũ femina
virutis	xciiii	ii	3	virtutis
deferebant	xcvi	ii	17	referebant
incestuosta	xcvii	i	35	incestuosa
intelligens	cviii	i	21	intelligeres
decreta tot longissima	cx	i	19	decreta longissima
reipublicæ Christinæ	cxi	i	7	reip. Christianæ
quod nunc magis	cxi	i	37	quod nunc agis
cœperit	cxii	i	6	ceperit
Isabellæ reginæ	cxiii	i	25	Elisabethæ reginæ
permissis	cxiiii	ii	22	permisisse
ne tu pro	cxviii	ii	26	næ tu profecto
benige	cxix	ii	14	benigne
dimitte eum	cxix	ii	26	dimittite eum
proprium filiorum	cxxv	ii	8	propriam filiorum

FINIS.



